





BM535  
.P11  
v.2





Digitized by the Internet Archive  
in 2014





LA DISPUTA DE TORTOSA

II





L A D I S P U T A  
D E T O R T O S A

POR

ANTONIO PACIOS LOPEZ, M. S. C.

PREMIO «MENENDEZ PELAYO», 1949

II

A C T A S



## ADVERTENCIAS

---

### 1.—TEXTO.

A) *Manuscritos*: G. (Gerundense), pág. 10-54; 58-137; 114-309; 436 hasta el final. V. (Vaticano), pág. 7-10; 54-58; 137-144; 309-436 E. (Ms. del Escorial): usado sólo para las variantes

B) *Variantes*: a) '...' [E. ...] = variante del Ms. del Escorial. b) ... [E.+...] = añadidura del E.—c) '...' [E.—] o [E. (—)] = falta en el E.—d) .. [...] = añadido por nosotros para completar el sentido.

Del E. sólo ponemos las variantes que aclaran o modifican el sentido. Consultamos en él con especial cuidado todos los pasajes oscuros o incompletos del Ms. base.

C) *Puntuación*: La pusimos toda por nuestra cuenta. Puede, por tanto, el lector modificarla cuando lo juzgare conveniente.

D) *Ortografía*: Anárquica, aun en una misma página; añádase el uso de dos manuscritos base, y la existencia de tres amanuenses distintos en el G. Respetamos escrupulosamente la grafía de las palabras hebreas o arameas. En lo demás procuraremos cierta unificación, aunque no total, para que pudieran observarse las diversas formas (salvo en la confusión de *d* y *t* — inquit, set, quitquid, etc — que procuramos unificar siempre). Por eso respondemos de que las formas del texto se hallan en el original, pero no siempre en el lugar en que las transcribimos. Para que el lector se haga cargo de esa anarquía, vayan los siguientes ejemplos de formas halladas en los Ms.:

Isaias, Ysayas, Isayas; Noe, Nohe; Quipot, Quippot, Quipod; Helias, Helyas, Elyas; Abraham, Abraam, Habraham; Bethleem, Bethleem; Sanhedrim, Sanhedrin, Canhedrim, Sanihedrim; Rab, Rau, Rav; Abon, Avon, Auon; Raban, Ravan; bablista, bavlista; deffendere, defendere; referri, refferri, y formas derivadas; aufferetur, aufereur; difuse, diffuse; offuscare, obfuscare; afirmo, affirmo; acquirere, atquirere, adquirirere; quidquid, quidquit, quitquid; sed, set; inquit, inquit; talmut, talmud; Talmutiste, talmudiste, talmutdiste; anichillat, adnichillate, anichilate; littera, litera; glosa, glossa; dupliciter, duppliciter; aparens, apparens; oportunos, opportunus; reperire, repperire; presupono, presuppono; presupositum, presuppositum; replicacio, repplicacio; verumtamen, verumptamen; oculus, oculus; occultus, occultus; occasio, occasio; acusacio, accusacio; adimplecio, adimpleccio; ovili, ovilli; sigilatim, sigillatim; silogismus, sillogismus; corre-

llaria, correlaria; revelatus, revellatus; quodam, quoddam, quandam, quamdam; adiciet, addiciet; idcirco, icirco; ymolo, immolo; sumersa, submersa; augmentare, aumentare; tanquam, tamquam; forsan, forsam; quatuor, quattuor, quator; octoginta, octuaginta; dirivatur, derivatur; adverto, averto; animadverto, animaverto; locucio, loquucio; stercore, sterquore; turcorum, turquorum; capessenda, capescenda; auctorizata, actorizata; his, hiis; hee, hec (por hee); elucescat, eluscecat; mostro, monstro; demostro, demonstro; mosayca, moysaica, mosaica; edifico, hedifico; habunde; abominacio, abhominacio; substancia, sustancia; attendo, adtendo; diabolus, dyabolus; diferencia, diferencia; Rabasse, Ravasse; habundent, abundant; delecta, deleta; obsculamini, osculamini; nequit, nequid; collere, colere; adhiberi, adiberi; yeme, hieme; oppinative, opinative; ommitti, omitti; Astruch, Astruc; ortodoxa, orthodoxa; anullo, adnullo, annullo; attamen, actamen; sumatim, summatim; febroarius, february; maius, madius (sólo en las últimas sesiones; forma usada también en el Liber Privilegiorum de San Mateo, villa donde se celebraron esas últimas sesiones); actenus, hactenus; comunico, communico; hebrayco, ebrayco, ebraico; caldayca, caldaica; comunis, communis; oportet, oportet; dissipatus, discipatus; presumtive, presumptive; nichil, nil; averto, adverto; haggadot, hagadot, agadod, agadot; proiciebat, prohibiebat; locuntur, loquntur, loquuntur; oculariter, oculariter, oculanter; etc., etc.

E) *Régimen y concordancias*: Los respetamos casi siempre, incluso cuando nos parecían equivocados.

## II.—ACOTACIONES.

A) *Notas marginales*: Las añadimos todas por nuestra cuenta. Damos la referencia del *Pugio Fidei* siempre que la pudimos verificar. La sigla B. N. = edición del *Bereshit Rabbá* de Moshé ha-Darshán, hecha por Brierre-Narbonne.

B) Añadimos, en castellano, las sesiones numeradas.

C) Añadimos el índice bíblico y el índice castellano de las sesiones, para mayor comodidad del lector, y más fácil y útil manejo de la obra.

D) Por dificultades tipográficas de la Imprenta a que el Consejo Superior de Investigaciones Científicas encomendó esta obra, no hemos podido poner ninguna palabra en caracteres hebreos, ni seguir las normas de ese mismo Consejo en la transcripción. Por el mismo motivo, hubimos de renunciar a nuestro primitivo propósito de poner en un apéndice todas las autoridades alegadas en la Disputa, confrontando el texto hebreo que nos legó Raimundo Martí en el *Pugio* con el que nos ofrecen las ediciones modernas.

E) Se pone al final la fe de erratas principales por nosotros halladas después de la impresión.

# INDICE DE MATERIAS

---

## [CODICE VATICANO]

In libro seu presenti processu de XVI tractatur materiis, que numerantur prout sequitur, et signantur.

Primo, tractatur de hiis in quibus christiani et iudei circa fidem concordant, et in quibus discordant. Et de hoc in prima dieta et quinquagesima octava habetur, ubi signatur vel ponitur in margine libri, A (1).

Secundo, tractatur de virgini quatuor condicionibus attributis Messie, et tractatur hoc in prima et quinquagesima octava dietis, et pro signo ponitur in margine littera B.

Tercio, tractatur de terminis assignatis in adventu Messie, qui diu est transiverunt. Et habetur de hoc in dietis secunda, tertia, 6, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 46, 47, 49, 51, 52, 57 et 61, cum signo in margine huius littere C.

Quarto, quod in tempore destructionis templi Ierusalem erat natus Messias. Et de hoc ponitur in quarta et quinta dietis, in margine libri cum littera D signatum.

Quinto, quod quo fuit predicta destructio templi, nedum natus erat Messias, quoniam ymo venerat, fueratque manifestatus. Et de hoc tractatur in quinta, septima, quintadecima dietis, et in margine libri per E litteram designatur.

Sexto, quod Messias erat illo anno venturus in quo fuit passio Salvatoris Domini Nostri Iesu Christi. Et de hoc in decima octava et vigesima prima dietis, in signo littere F.

Septimo, quod prophecie de operibus loquentes Messie, sicut de templi reparacione et reduccione in unum Israel, atque de felicitando Ierusalem, debent spiritualiter, et non materialiter intelligi. Et de hoc in prima, 7, 23, 24, 26, 31 et 36 dietis, et per litteram G signantur.

Octavo, de duodecim interrogacionibus habetur iudeis super actibus Messie factis. Et de hoc tractatur in vigesima tertia, 24, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 35, 36, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45 et 62 dietis, habetur in signo littere H.

(1) En las Actas hemos prescindido de estas letras.

Nono, tractatur quod lex mosaica non est perfecta, neque perpetua. Et de hoc in dieta 32 habetur, sub signo littere L.

Decimo, de sacro Eucharistie Sacramento tractatur. Et de hoc in 33 habetur dieta, in signo littere M.

Undecimo, quomodo et qualiter fuit invencio tractatus vocati libri Talmut. Et de hoc in 44 dieta, sub signo littere N.

Duodecimo, quod iudeus de necessitate tenetur credere omnia in Talmut contenta, sive sint glose legis, iudicia, cerimonie, vel sermones aut annunciaciones, glose, addiciones, sive invenciones, facte super dicto Talmut; nec licet iudeo aliquid negare de illo. Et de hoc in 54 dieta habetur, et cum littera P signatur in margine.

Terciodecimo, quid est legis articulus; et probatur quod non venisse Messiam non est iudayce fidei articulus. Et de hoc tractatur in dieta 59, in signo Q.

Quartodecimo, declaratur quid fides, quid scriptura et quid articulus sit, et de hoc in 61 dieta habetur, sub signo littere R.

Quintodecimo, tractatur abhominaciones, hereses, immundicie et vanitates que in libro Talmut continentur. Et de hiis in dietis 63 et 65, 66 et 67, et signo littere T habentur.

Sexto decimo, quod iudei non sunt in captivitate presenti nisi propter peccatum odium gratis quod habuerunt contra verum Messiam Dominum Iesum Christum. Et habetur de hoc in dietis 13 et 35 sub signo littere S.

## INDICE DE SESIONES

Secuntur diete que sunt in processu presenti, que numerantur in parte cartarum alta sub numero 1.º, 2.º, 3.º, 4.º et sequentibus.

In prima dieta ponitur arenga quam magister Ieronimus direxit iudeis, ad ostendendum eis intencionem Sanctissimi domini nostri domini Benedicti pape XIII circa informacionem presentem.

[E. + In] 2.<sup>a</sup> Ad probandum data et tempora constituta per doctores antiquos pro adventu Messie, transactas, allegavit magister Ieronimus auctoritatem sex mille annorum. Cui auctoritati responderunt iudeorum rabini, eis que dictus magister Ieronimus satisfecit.

'In' 3.<sup>a</sup> Ad premissam conclusionem probandam, allegatur 85 iubileorum auctoritas. Et illi auctoritati iudeis respondentibus, dictus magister Ieronimus satisfecit.

'In' 4.<sup>a</sup> Ponitur auctoritas arabi ad probandum quod, quando fuit templi destruccio, natus erat Messias. Cui auctoritati

responderunt rabini, et ipsis dominus noster Papa taliter satisfecit, quod unus ex maioribus rabinorum in illa dieta confessus est natum fuisse Messiam, non tamen se ostenderat neque venerat.

'In' 5.<sup>a</sup> Recitavit magister Ieronimus conclusiones precedentium dietarum, et tunc rabini confirmarunt quod dictum fuerat, scilicet [E. + natum fuisse] circa templi destructionem Messiam, tamen ipse numquam fuerat demonstratus. Et magister Ieronimus, ad probandum quod monstraverat se Messias, allegavit prophetiam Isaie, ubi dicitur (1): «antequam parturiret peperit». Cui prophecie responderunt iudei; quibus magister Ieronimus satisfecit.

'In' 6.<sup>a</sup> Ad confirmandum quod venerat iam Messias, allegavit magister Ieronimus prophetiam Iacob (2): «non auferretur ceptum de Iuda», etc. Et respondentibus iudeis, satisfecit magister Ieronimus.

'In' 7.<sup>a</sup> Iudei iterum altercantur super hiis que dixerant in proxima dieta transacta. Item interrogati fuerunt si super hiis que probata eis fuerant, scilicet, quod Messias natus fuerat et monstratus aliquid dicere vellent. Et unus ex rabinis incepit novas glosas facere auctoritatibus allegatis, quibus glosis fuit plene responsum.

'In' 8.<sup>a</sup> Dieta, magister Ieronimus recitavit omnia in diebus precedentibus expedita; tamen aliqui ex rabinis glosarunt iterum supradicta. Tandem de precepto domini nostri Pape, magister sacri palatii replicans, conclusit natum fuisse Messiam.

'In' 9.<sup>a</sup> Dieta, dictus magister Ieronimus proponendo dixit, quod tam ex auctoritate de «non auferretur ceptum de Iuda», quam ex aliis, fuisse probatum advenisse Messiam, quibus auctoritatibus non videbatur fuisse sufficienter responsum; interrogando iudeos si habebant aliud ad dicendum, quia audirentur libenter. Et tunc unus ex dictis rabinis, dicte prophecie glosam novam aliam allegavit, cui per dictum magistrum Ieronimum fuit in continenti responsum. Tunc etiam, de precepto domini nostri Pape, prior generalis ordinis predicatorum contra dictos iudeos replicuit, et tunc temporis, murmurantes iudei, negaverunt quecumque ante concesserant. Ideo sanctissimus dominus noster Papa precepit quod de novo dictam disputationem inciperent, et quod omnia ex utraque parte producenda ponerentur in publica scriptura, notarios super hiis assignando.

'In' 10.<sup>a</sup> Dieta, dictus magister Ieronimus proposuit in scriptis auctoritatem sex mille annorum, ostendendo ex ipsa iam venisse Messiam, repellendo aut respondendo rationibus quas

(1) Is. 66,7.

(2) Gen. 49,10.

facere poterant contra ea que magister Ieronimus dederat. In qua scriptura allegarunt prophetias quas, secundum eorum intentum, probatur nondum venisse Messiam.

'In' 11.<sup>a</sup> Magister Ieronimus in septem partes iudeorum responsionem divisit, et cuilibet fuit responsio subsequuta.

'In' 12.<sup>a</sup> Dieta, ets iudeorum replicacio responsioni magistri Ieronimi. Item triplicacio dicti magistri Ieronimi. Et in ista dieta baptizati fuerunt 10 iudei notabiles, cum suis uxoribus atque familiis.

'In' 13.<sup>a</sup> De contradiccione est iudeorum satisfaccionibus magistri Ieronimi, et de responsione insius magistri facta iudeis, dando per sex puncta intelligere ipsis quod eorum dicta erronea sunt.

'In' 14.<sup>a</sup> Est cedula pro parte iudeorum oblata, in qua continebatur quod iudeis bene videbatur respondisse suffcienter, et eorum nescire et insufficienciam, dicentes quod nichil sciunt aliud respondere, tamen volunt in sua oppinione et credencia remanere. Et in dicto die conversi fuerunt ad fidem 11 iudei, cum suis uxoribus et familiis.

'In' 15.<sup>a</sup> De nova probacione per magistrum Ieronimum facta 6 auctoritatum rabinorum auctenticorum Talmuti iam venisse Messiam. Et de responsione iudeorum, quod premisse auctoritates figuraliter debebant intelligi: et de precepto domini nostri Pape quod predictas figuras declarent, et nominarent quis eas doctor poneret.

'In' 16.<sup>a</sup> De responsionibus iudei probacionibus magistri Ieronimi, dicens quod non tenetur prefatis auctoritatibus dare fidem; et ubi eciam daret fidem, conatur probare quod ex illis non sequitur venisse Messiam (2 bis).

### [CODICE GERUNDENSE]

In decima septima, de divisione responsionis iudeorum per XII partes, et de probacione per magistrum Ieronimum quod iudeorum responsiones non habent effectum. Et de cedula iudeorum, continenti quod molebant aliud, quam quod superius dixerant, respondere; nesciebant amplius.

In decima octava, de probacione magistri Ieronimi, quod Messias venire debuit illo tempore punctuali quo fuit passio Christi. Et ad probacionem tres auctoritates allegavit: prima «parvulus enim natus», etc. (3); 2.<sup>a</sup> «non auferetur ceptrum de

(2 bis) 'In' antepuesto por E. a las sesiones 2.<sup>a</sup> a 16.<sup>a</sup>, falta en V.  
(3) Is. 9,6.



Iuda», etc. (4); 3.<sup>a</sup> auctoritas Talmuti dicens (5); «degunt: decem miracula fiebant», etc.

In decima nona, de responsione iudeorum debili, predictis allegacionibus, et in fine dicunt amplius nichil scire.

In vicesima, de replicacione per bagistrum Ieronimum premissis responsionibus iudeorum, illam in partes duodecim dividendo, dicendo illas responsiones non posse procedere.

In vicesima prima, de cedula iudeorum continenti quod in responsionibus premissis perseverant, neo sciunt amplius. Et de declaracione ipsis iudeis facta per magistrum Ieronimum de ebdomadis Danielis ad premissam conclusionem firmandam.

In vicesima secunda (5 bis), de responsione iudeorum illarum predictarum ebdomadatum, et de replicacione magistri Ieronimi dicte responsioni, illam per quinque responsiones repellendo; et de finali iudeorum responsione, quod amplius nesciebant. Et dum fieret, plures ex iudeis ad fidem conversi fuerunt.

In vicesima tertia, de arenga per magistrum Ieronimum facta cuius thema (6): «convertimini, filii revertentes». In qua ostendit duriciam iudeorum, et per rationes certas probavit quod operationes que iudei applicabant secundum Scrpituram, sicut edificare templum, recolligere populum, et prosperari Ierusalem, debent spiritualiter intelligi; et de duodecim interrogacionibus super actibus Messie.

In vicesima quarta, de responsione prolixa iudeorum, conantes se excusare de ipsorum duricia, et conantes probare quod omnes prophecie de Messia loquentes quod debent [intelligi] materialiter et temporaliter. Et de responsione ad duodecim interrogaciones.

In vicesima quinta, de divisione responsionis iudeorum, licet prolixa, in quattuor particulas. Et illo die revocat quid in prima particula dictum fuit.

In vicesima sexta, de revocacione secunde particule et tercię, docendo clare quod pars magna prophetarum de Messia loquentes intelliguntur spiritualiter necessario.

In vicesima septima, ostendere quod responsiones iudeorum duodecim interrogacionibus facte, sunt false. Et probat super prima interrogacione, per quinque auctoritates, quod locus natiuitatis Messie erat civitas vocata Bethleem Efrata.

(4) Gen. 49,10.

(5) Yoma 39 a.

(5 bis) Desde esta sesión hasta la LXV.<sup>a</sup>, el G. usa numeración romana, y desde "In sexagesima sexta" hasta el final vuelve a numerar las sesiones con letra.

(6) Ier. 3,22.

In vicesima octava, de probacione per plures auctoritates notabiles ac rationes, quod Messias era nasciturus sine semine patris carnalis, et sine matris corrupcione, quod est contra ipsorum responsionem.

In vicesima nona, de probacione Messie quod esse debuit verus Deus et homo, contra ipsorum responsionem.

In trigesima : de adventu Messie, qui esse debuit ad salvandas animas pro vita spirituali, etc., et quod in suo adventu remissum [fuit] peccatum primiparentis, et quod, ante illum, omnes ibant anime ad infernum. Quod debebat pati mortem et passionem ad dictum peccatum delendum, et tamen ipsi contrarium responderant 3.<sup>a</sup>, 4.<sup>a</sup>, 5.<sup>a</sup> et 6.<sup>a</sup> interrogacione.

In trigesima prima, probatur quod Messias habebat salvare in genere totum genus humanum, ad contrarium illius quod ipsi iudei respondent in septima interrogacione. Item probatur quod istud vocabulum *Israel* significat totum illum populum qui ad doctrinam Messie veniret.

In trigesima secunda, probatur quod Messias habebat dare legem atque novam doctrinam, in contrarium illius quod ipsi iudei respondent in octava interrogacione. Item quod lex mosaica non erat perfecta neque perpetua.

In trigesima tertia, probatur quod in tempore Messie omnia sacrificia animalium que antiquitus fiebant in templo Ierusalem cessare debebant, quod est contra hoc quod ipsi, iudei respondent in nona interrogacione. Item probatur quod habebant fieri sacrificia tantum de pane et vino, per modum quod fit hodie in Ecclesia sancta Dei.

In trigesima quarta, probatur quod cerimonie legis mosaice, sicut prohibicio fercularum, et sacerdocium solum fore de tribu Levi, et similia, cessare debeant tempore Messie, al contrarium illius quod ipsi iudei in decima interrogacione responderunt.

In trigesima quinta, clare probatur eciam qualiter ista captivitas, que hodie in populo hebrayco est, non est nisi propter ingratitude ea odium gratis, quod ipsi iudei habuerunt contra verum Messiam, scilicet, Christum; quod est contra illud quod interrogacione undecima responderunt.

In trigesima sexta, probatur eciam quomodo iudei de cetero non debent acquirere seu conquistare prossidereque terram sanctam, ad contrarium illius quod in duodecima interrogacione responderunt. Item probatur quod terra et Ierusalem, promisse in prophecis pro tempore Messie, gloriam spiritualem significat.

In trigesima septima, de hoc quod iudei nituntur contradicere probacionibus ipsis factis in 25 et 26 dietis. Item qualiter magister Ieronimus revocavit illud, dividendo eorum contradicciones in septem partes.

In trigesima octava, quomodo magister Ieronimus restantes contradicciones in dictis particulis revocavit.

In trigesima nona, qualiter respondent iudei, dicendo quod, habita deliberacione super triplicacione per magistrum Ieronimum facta, non curant plus dicere, tanquam illi qui super hiis nesciunt magis, conando tamen contradicere probacionibus ipsis factis super prima interrogacione, faciendoque varias glosas textibus allegatis per magistrum Ieronimum, qui predictas glosas annullavit multiplici racione.

In quadragesima, qualiter iudei conantur allegacionibus per magistrum Ieronimum factis in secunda interrogacione contradicere, faciendo glosas falsas propheciis, et quomodo idem magister Ieronimus sufficientibus racionibus illas cassat.

In quadragesima prima, quomodo iudei nituntur allegacionibus per magistrum Ieronimum in 3.<sup>a</sup>, 4.<sup>a</sup>, 5.<sup>a</sup> et 6.<sup>a</sup> interrogacionibus factis contradicere, et qualiter ipse satisfaciat argumentis et dubiis eorumdem.

In quadragesima secunda, qualiter iudei conantur allegacionibus per magistrum Ieronimum in 4.<sup>a</sup>, 5.<sup>a</sup> et 6.<sup>a</sup> interrogacionibus factis contradicere, quas quidem contradicciones ipse magister Ieronimus destruxit sufficientibus racionibus.

In quadragesima tertia, qualiter iudei nituntur contradicere allegacionibus per magistrum Ieronimum in 7.<sup>a</sup> et 8.<sup>a</sup> interrogacionibus factis, et quomodo ipse anichillat eorum raciones.

In quadragesima quarta, quomodo iudei conantur eciam allegacionibus per magistrum Ieronimum in 9.<sup>a</sup>, 10, 11, 12 interrogacionibus factis [contradicere], et qualiter ipse magister Ieronimus necessariis racionibus revocat illas.

In quadragesima quinta, de responsione quam iudei tradiderunt dicentes quod, habita deliberacione super triplicacionibus per magistrum Ieronimum in 12.<sup>a</sup> interrogacione factis, non intendebant plus dicere, tanquam illi qui se bene credebant respondisse, et quod in hoc amplius nesciebant.

In quadragesima sexta, qualiter magister Ieronimus, de mandato domini nostri Pape, recitavit raciones et auctoritates transactas, quibus probatum fuerat Messiam iam venisse, illas punctuatim finaliter concludendo.

In quadragesima septima, qualiter magister Ieronimus perfecit appunctuacionem dictarum allegacionum, requirendo iudeos quod darent aliquam racionem, si quam habebant, aut confiterentur se fuisse conclusos. Item eciam requisivit quod scriptura publica inde fieret.

In quadragesima octava, quomodo dominus noster mandavit congregari totam suam curiam et omnes Rabinos, et mencionem

fecit eis, qualiter in duabus dietis proxime preteritis fuit facta relatio de omnibus preteritis, et cum eius Sanctitas iudeos monisset eosdem si amplius volebant respondere, et quod omnes dixerant quod non, exceptis Rabi Ferrer et Rabi Mathatias et Rabi Astruch, quibus mandaverat dari copiam actitorum huiusmodi. Ad eosdem audiendum, certos propterea cardinales et prelatos especialiter deputavit. Item assignavit certos in sacra pagina professores ad informandum iudeos, qui dixerant quod volebant ulterius disputare, nam amplius nesciebant.

In quadragesima nona, de quadam scriptura quam Rabi Ferrer et Rabi Mathatias noviter tradiderant contra allegaciones per magistrum Ieronimum factas, super questione quod Messias iam venerat, et signanter contra auctoritates sex mille annorum et 85 iubileorum, certas rationes et obiecciones contra eundem magistrum Ieronimum faciendo, dictasque auctoritates false et cavillose glosando.

In quinquagesima, qualiter magister Ieronimus ad ostendum cavillationes, et ad rationes, obieccionesque per dictos duos rabinos factas annullandum, facit certum presuppositum, et deinde omnia verba illorum divisit in tres particulas, et illa dicta contradixit ad primam particulam rationibus sufficientibus valde.

In quinquagesima prima, de rationibus quas magister Ieronimus facit contra secundam particulam supradictam, reprobando tres obiecciones factas per ipsos.

In quinquagesima secunda, qualiter magister Ieronimus monstravit racionabiliter cavillationem et fallaciam que continebantur in 3.<sup>a</sup> particula, scilicet, in glosis factis per ipsos duos rabinos in duabus auctoritatibus supradictis.

In quinquagesima tertia, quomodo Rabi Astruch presentavit unum quaternum continentem 8 punctos; verumptamen cepit loqui et publicare coram domino nostro et eius curia tertium punctum, quia duo primi non tangebant proprie ad materiam disputationis; et qualiter magister Ieronimus dicto puncto respondit.

In quinquagesima quarta, qualiter dictus Rabi Astruch recitavit quartum punctum sui quaterni, et quomodo magister Ieronimus respondit eisdem.

In quinquagesima quinta, qualiter magister Ieronimus respondet aliquibus rationibus restantibus 4i puncti.

In quinquagesima sexta, qualiter predictus rabi recitat 5um., 6um., 7um., 8um. punctos dicti sui quaterni.

In quinquagesima septima, quomodo magister Ieronimus respondet contra dictos ultimos quator punctos dicti rabi, annullando omnia verba ipsius, et monstrando cavillationes que in illis sunt,

ac impugnando quamdam falsam figuram quam dictus [Rabi] fecit in dicto 7º puncto.

In quinquagesima octava, qualiter dictus rabi recitat primos duos punctos quos dimiserat, et magister Ieronimus anichillat omnes eius rationes, et ostendit racionabiliter qualiter est bene conclusum in principali conclusione, que est : iam venisse Messiam.

In quinquagesima nona, qualiter Rabi Ferrer contra rationes quas magister Ieronimus fecerat in dietis preteritis, dedit unum quaternum, in quo posuit 10 conclusiones et sex argumenta. Et fundabat se principaliter in dicendo nondum venisse Messiam, et quod est articulus fidei iudaice, et pro tanto, dato quod auctoritates allegate per magistrum Ieronimum ostenderent ad litteram iam venisse Messiam, tamen non debet intelligi sic, quin ymo, facere talem glosam, ut non contrarietur articulo supradicto.

In sexagesima, qualiter magister Ieronimus respondendo dicto Rabi Ferrer, facit duo : primo, ostendere grandem variacionem istius rabi et aliorum in omnibus altercacionibus quas habuerunt ; 2.º, declarare duos modos fallaciarum seu evasionum, quibus dictus rabi usus est in isto suo quaterno. Item unam conclusionem, super qua dictus rabi fundat totam suam scripturam, que est expectare Messiam quam diu iudei in captivitate persistent, et est articulus legis moysaice. Formavit insuper magister Ieronimus octo rationes valde auctenticas, ad probandum quod dicta conclusio, modo quo dictus Rabi Ferrer intelligit seu protulit, est falsa ; attamen, intellecta ut fides catholica profitetur, posset esse vera, et tunc monstraretur eius oppositum, pro quo dictus rabi allegat eam.

In sexagesima prima, qualiter magister Ieronimus facit certas distinciones super istis vocabulis, scilicet, fides, scriptura, et articulus ; et respondit particulariter cuilibet illarum decem rationum et sex argumentorum dicti Rabi Ferrer. Item, ostendit perfidiam cavillosam quam dictus Rabi Ferrer tenet super auctoritate sex mille annorum et octoginta quinque iubileorum.

In sexagesima secunda, qualiter magister Ieronimus, de mandato domini nostri Pape, coram ipso et sua sancta Curia presentibus iudeis, recitavit summatim omnia preterita, a die qua inceperat disputacio seu informacio, usque ad illam diem, de dieta in dietam, necnon 12 interrogaciones, quas ipse iudeis fecerat, ut preferitur ; et qualiter tunc grandis multitudo iudeorum ad sanctam fidem catholicam se convertit.

In sexagesima tertia, qualiter magister Ieronimus allegavit certas auctoritates, continentis vanitates et immundicias et hereses Talmut, requirendo rabinos quod si scirent excusare talia, quod facerent, alias dictus Talmut debebat dampnari. Et ipsi ne-

garunt quod ita fuisset ad litteram, sicut ipse allegabat. Et tunc dominus noster mandavit libros deferri Talmut ante ipsum, et magister Ieronimus ostendit iudeis ipsis in textibus omnia, prout allegaverat ipse.

In sexagesima quarta, quomodo ex parte omnium iudeorum, exceptis Rabi Ferrer et Rabi Iucef Albo, fuit data quedam cedula, in qua continebatur quod ipsi, propter suam insufficienciam, nesciebant respondere nec scibant huiusmodi abhominaciones dicti Talmut aliqualiter excusare.

In sexagesima quinta, qualiter dominus noster fecit quamdam valde sanctam et misericordiosam exortacionem. Deinde magister Ieronimus, facta certa arenga per ipsum, cuius thema fuit (7) : «Querite Dominum, dum inveniri potest», fecitque relacionem summariam de toto processu preterito, tam de probacionibus Messie, quod abhominacionibus Talmut ; quodque illa die Rabi Iucef Albo et Rabi Astruch presentarunt unam scripturam in defensione dictarum abhominacionum, cui scripture respondit sufficienter reverendus magister Andreas Bertrandi, Elemosinarius domini nostri Pape. Tuncque magister Salomon, iudeus, rabi aliame dertusensis, certas raciones, dictum Talmut conando defendere, fecit.

In sexagesima sexta, qualiter magister Ieronimus respondet cuidam cedule, quam dederat communitas iudeorum, in qua decibatur quod compilatores Talmut erant homines scientifici et bone vite. Et ipse respondit contrarium fore verum, probando qualiter erant inscii, et quomodo peccabant in omnibus septem peccatis mortalibus ; fecitque idem magister Ieronimus septem notabiles raciones contra dicta ipsius magistri Salomonis, ipsu ex illis efficaciter concludendo.

In sexagesima septima, de quodam parlamento quod magister Ieronimus, de mandato domini nostri Pape, in forma narracionis et monicionis, fecit. Tuncque Rabi Astruch, nomine omnium iudeorum, dedit unam cedulam, in qua continebatur, quod nesciebant defendere dictas abhominaciones nec dabant fidem illis ; et omnes iudei asseruerunt quod erant concordēs in dicta responsione, exceptis duobus iudeis, scilicet, Ferrer et Iucef Albo.

In sexagesima octava, qualiter ex parte omnium iudeorum, et eorum vice, et nomine comunitatis ipsorum, fuit presentata dicta cedula in villa Sancti Mathei prefato domino nostro Pape, presentibus dominis Cardinalibus et aliis de curia ut est moris. Et quomodo in illa instancia mandavit dominus noster Papa publicari coram omnibus

(7) Is. 55,6.

iudeis sententiam ordinatam per ipsum contra Talmut, et cum illa simul alias constituciones, ordinantas ex parte sue Sanctitatis, de modo vivendi iudeorum et eorum conversacione cum christianis.

In sexagesima nona dieta, tituli et tenoris constitucionum et sentencie predictarum.





## SESION PRIMERA

In nomine Domini nostri Iesu Christi Messie verissimi. Amen.

Anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo decimo tercio, die septima mensis februarii, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini, domini Benedicti, divina providencia Pape terciidecimi anno decimo nono, illustrissimo ac serenissimo rege Aragonensi domino Ferdinando, sub anno primo dominii sui principante, in civitate Dertusensi, eiusdem regni, ex mandato prefati domini nostri Pape, omnes maiores doctores, sive Rabini, qui, in regionibus dicti regni, inter iudeorum alias sunt reperti, fuere pariter congregati, ut errores propter quos ab actibus Messie actenus deviabant, ipsis presertim nondum venisse Messiam asserentibus, in eiusdem Sanctitatis presencia sueque universalis curie, amonerentur. Et ad probandum eius adventus plenitudinem diu est fuisse iam ut verissimam conclusionem, scilicet, Dominum nostrum Iesum Christum Dei filium, omnium redemptorem, verum esse Messiam, a Deo promissum et a prophetis prenunciatum, de quo omnia prophetice dicta per prophetas super vero Messia filio David adimpleta fuere, reducerentur.

Et licet in dicta Curia prefati domini Pape, sint quam plurimi sacre theologie magistri et doctores, sapiencia, sciencia, ac discrecione non modica prefulgentes, placuit dicto domino nostro Pape in conclusionibus supra dictis, discretum virum et honorabilem magistrum Ieronimum de Sancta Fide, sue beatissime persone medicus, ad iudeorum informacionem esse specialiter deputatum, velut in veteris Testamenti Biblia, glosisque eiusdem, necnon Talmut cunctisque tractatibus iudeorum, per quorum dicta et autoritates sicut dicti domini nostri Pape propositi est dictos iudeos in eisdem informari, copiose fundamentum. Quos quidem in conspectu prefati domini Pape, reverendissimo-

rum patrum dominorum cardinalium, totiusque sue universalis curie, dictus honorabilis prefatus magister Ieronimus, de mense ac anno quibus supra informare 'conciens' [E. incipiens], modo sequenti suam premisit arengam:

Sanctissime ac Beatissime pater: humillima reverencia ac subiectione, cum pedum osculo, beatorum necnon Reverendissimorum patrum dominorum Cardinalium, prelatorum, omnium in sacra pagina magistrorum, doctorum cuiusvis facultatis, omniumque nobilium, ante vestre Sanctitatis conspectum existencium, emendacione ac correccionem debite premissis, ut Sanctitatis vestre propositum 'ac' [E. in hac] divina concione fiendum, iudeis notificetur et presentibus divulgetur, occurrunt michi verba Isaie primo capitulo scripta:

«Venite, et arguite me, dicit Dominus; si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis et audieritis me, bona terre comedetis. Sed si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est» (1).

Cuncti Sacre Scripture doctores, tam catholici quam rabini 'ebreici' [E. ebrayci], concorditer proclamant verba de Deo per prophetas dicta, nedum sensum litteralem, verum etiam allegoricum, indubitanter habere; quod secundum catholicos claret, fidei autem catholice est fundamentum vetus Testamentum esse figuram, seu speculum, ubi omnia post Messie adventum sequencia, eminent vel relucent. Ebreyci vero idem scribentes textus propheticos plures habere sensus, unum hebrayce *pessat*, quod sensus litteralis, alium vero continere *Midras*, quod moralis interpretatur, appellant concorditer, dicentes sensum moralem continere litteralem. Quod Rabi Abraham Abenazra exponens, ait: sensum litteralem sicut corpus, sensum vero moralem velut indumentum existere.

Sed erravit non leviter in similitudine. Quoniam veritas est, litteralem sicut corpus, moralem velut animam fore, quemadmodum enim anima excellencior est corpore, sicut moralis litterali sensu. Ad hoc notabilis apud vos fulget auctoritas Rabini Moysi de Egipto, in prologo cuiusdam libri vocati More sapientis verba Parabolarum, 'vigesimo quinto capitulo' [E. cap. 25], declarantis (2): «mala aurea in lectis argenteis», sic inquit:

«Sic sunt verba prophete sicut pomum aureum insertum reti argenteo, quod cum homo viderit, iudicio primo, totum videtur argenteum, et reputat optimum magnique precii fore. Cum autem plus aproximatur eisdem, efficaciusque per foramina intuetur, preciosius latere

(1) Is. 1,18-20.

(2) Prov. 25,11.

ab intus considerat. Sic quidem est cum quis sacre Scripture verba, iuxta litteralem sensum, considerat in eis virtutes acquirere, bona posse facere, mala cavere, bona docere, mala vero victare. Victanda et declinanda intuetur, et breviter, est velut quedam copiosissima apotheca in qua invenit homo quidquid necessarium est ad salutem. Ipsis autem medulitis attentis et allegorice perscrutatis, perspiciet quod capacitatem transcendit naturalem; ibi sunt (3) «penne columbe deargentate, et posteriora dorsi eius in specie auri», cum significat eloquia Scripture supernaturali divino lumine plena, sensum vero eius interiorem maiore celestis sapiencie gracia prefulgentem» (4).

Proinde prefatum thema iuxta utrumque sensum possumus declarare:

Primo, secundum sensum litteralem. Isaias enim, qui in tempore iniquorum regum ydola collencium, tam regem quam populum, ut converterentur, amonebat, et expediencius quo poterat, ab erroribus, quos servare conabantur, retrahebat, in septimo capitulo legitur regi Achaz dixisse (5): «pete tibi signum a Domino Deo tuo». Prefatus vero rex, magna cordis duricia captus, renuit examen subire, in delicto suo perseverans. Insuper ipsum videmus ad subeundum examen, ac cum Deo disputandum, prefatum populum, et ad arguendum provocabat, inquiring (6): «Venite et arguite me, dicit Dominus», prestans eis securitatis firmamentum, quod, si facerent, iocundiores exitus atque desideratos haberent, cuius occasione Deum congnoscerent, et suorum veniam acquirerent delictorum, cum sequatur (7): «si fuerint peccata vestra, etc.» Ipsi vero prophetiam supra dictam negligentes, in errorem proprium permanserunt, donec perderentur, et, modo quo propheta eis predixerat, punirentur, inquiring (8): «si nolueritis, et me ad iracundiam, etc.» Ecce huius thematis intencionem, iuxta litteralem sensum, *peccat* hebraice nuncupatum.

Secundum vero sensum spiritualement, prefata prophetia, huic diete consona, per dominum nostrum Papam, universalem pastorem ac verum Christi vicarium, misericordia omnia disponentem, ovesque dispersas in sinu suo congregantem, qui nimirum super rebus precipue ad cultum divinum ac salutem animarum expectantibus, toto orbe terrarum ab universalissimo Salvatore potestate obtenta, vobis concionaliter congreganti assignate sui, racione pastoralis sui officii, motusque caritatis affectu, vos a via erroris et venenose perfidie, quam collitis, cupiens

(3) Ps. 67,14.

(4) Véase *Pugio*, 427-428.

(5) Is. 7,11.

(6) Is. 1,18.

(7) Is. 1,18.

(8) Is. 1,20.

revocare, non invitos sed spontaneos, non violentos sed multa deliberatione, in vestra mera liberalitate permanentes, veris ac efficacibus rationibus, per vos cognitiss atque concessis, ad huiusmodi celeste atrium salutiferum voluit evocare. Proinde, mense augusti proximo elapso, retrahencia vos a vera conclusione prefata, sub hiis verbis comatice, compendiose, et in genere, sequentibus proponi fecit coram vobis:

Primo, certas esse conclusiones in quibus christiani pariter et iudei concordiam, alias vero in quibus discordiam habuere et habent pro presenti. Concordia in duobus existens:

Primo namque legi mosaice ac omnibus dictis prophetarum fides plena concorditer adhibetur.

Secundo, quia Messiam de genere David ad salvandum fuisse venturum, utrinque creditum est, et indubitatum.

Et si discordia ex multis particulariter proveniat, generaliter vero duobus in hiis esse reperitur: Uno scilicet, cum lex mosaica sensu a vobis iudeis solum intelligitur litterali, a nobis autem sensu capitur nondum litterali, sed etiam spirituali. Secundo vero, quoniam illum per vos Messiam expectatum, creditis nondum venisse sed venturum esse, cuius contrarium catholica fides credit firmiter, atque indubitanter tenet.

Hiis autem duobus generibus diligenter examinatis, ab uno tantum radix discordie non immerito oriri dignoscitur, cum primum, scilicet, an lex mosaica iuxta sensum litteralem ac iuxta formam in prisco tempore solitam, aut iuxta sensum allegoricum per apostolos catholicosque doctores, evangelicis documentis traditum, debeat observari, ab hac autem, utrum Messias venerit an non, certum est divinari.

Si enim, ut iudeus asserit, Messias nondum venit, licitum ac rationi est consonum in Deum, secundum prisca tempora, legis observancias observare, quoniam, secundum iudeorum opinionem, nondum venit plenitudo temporis, quo Messias legis archana posset elucidare. Sed si Messias, ut fides catholica asserit, iam diu est venit, et ita est, ergo qui legis archana sensusque allegoricos ipsius propallare haberet, iamque venit. Et sic, iuxta eius doctrinam, lex inconcusse debet ac indubitanter observari. Proinde concluditur, Messiam venisse, vel ne, fore huiusmodi discordie fundamentum.

Cum igitur hoc sit genus generalissimum, et radix a quo cuncte inter nos et iudeos disceptaciones oriuntur, Sanctitati domini nostri Pape placuit hec coram vobis iudeis probari propositio assertiva et pro versissima conclusione proposita, scilicet:

## CONCLUSIO.

VIRUM ILLUM IESUM NAZARENUM NOMINATUM, TEMPORE REGIS HERODIS IN BETHLEEM EFFRATA NATUM, QUADRAGINTA ANNIS ANTE SECUNDI TEMPLI DESTRUCCIONEM IN IERUSALEM CRUCIFIXUM AC MORTUUM, MESSIAM VERUM ESSE PER OMNES PROPHETAS PROMISSUM

Que quidem conclusio, ex mandato sue Beatitudinis, coram vobis per duas premisas fuit satis elicitata, quarum prima est:

Ille in quo complentur omnia prophetice dicta de Messia, est Messias.

In Christo complentur omnia prophetice dicta de Messia.

Ergo Christus est Messias.

Hec conclusio bene elicitur ex premissis. Sed restat probare minorem hac forma: Titulis cunctis condicionibusque pariter perscrutatis, et in Christo Iesu maxima cum diligencia perquisitis, ac omnibus propheciiis, ex quibus condicionibus et prerogativis verus Messias debeat sublimari ac dotari medullitus discursis, sub 24° numero reperte sunt, ac per me sigillatim eisdem nominate, videlicet: qualiter Messiam, tempore quo nativitas Christi Iesu fuit, erat necessitate venire. Quod est contra vos iudeos, ipsum adhuc venturum expectantes.

Item, quod in Bethleem erat nasciturus, contra vos iudeos. Rabi namque Aquiba quemdam in civitate Biter; et tempore Rabi Moysi de Egipto alium in terra Teman; tempore vero nostro Rabi Hazday Crescas quemdam in Cisneros, regni Castelle, in sinagogis publice predicans, natos Messias quemlibet istorum firmiter asserebant.

Item, quod ex virgine nasciturus erat. Item, quod legem novam, doctrinamque novam daturus erat.

Et sic de singulis, usque ad viginti quatuor condiciones que in vero Messia reperiri debebant; quas, et licet ipsis per vos in 'primictus' [E. primitus] negatis, ex mandato tamen prefati domini nostri Pape, nedum per dicta prophetarum, necnon per expositiones et glosas latinas, verum etiam per glosas hebraycas et auctoritates rabinorum Talmut et translaciones caldaicas in lege mosaica per Anquilom, et in propheciiis per Ionathan, filium Uziel, quos magne censetis auctoritatis, ut probabitur factas, intendo, favente Iesu salvatore nostro, elucidare, adeo quod ex dictis auctoritatibus ac propheciiis nostra sequitur et sequetur verissima atque indubitata conclusio.

Pos hoc vero, ex parte domini nostri Pape, ex mera sui benignitate, fuit vobis iudeis facta requisicio talis: Si qua tenebrosa dubietas

apud vos versaretur, propter quam nedum contra per me dicta, verum etiam contra inferius dicenda, vobis voluntas arguendi, seu quomolibet eisdem licite contradicendum, inesset, plenam et liberam dedit facultatem. Qui respondentes maturiori tempore, quo super hoc plenius deliberare ac studiosius providere possent, opus erat, quod per dominum nostrum gloriosissimum vobis concesso, ac etiam in favorem vestrum non modicum, omnium predictarum rationum, ac infra per me inserendarum, plenissimo exemplari tradito (9), ut ad presentem dietam per eundem dominum nostrum Papam assignatam cum omnibus vestris dubitacionibus presentem materiam de vero Messia tangentem veniretis fulciti, publice sub precepto iniunxit.

Que quidem dubia, si qua sunt, sue placuit Sanctitati hic, in conspectu omnium, vos ea producere; et contra rationes, ut dictum est, per me factas, si volueritis, nunc arguere, et illa materna lingua reserare, dicendo vobis quod Isaias, ubi supra scripsit (10): «Venite et arguite», ut dicit Dominus, cupientes ut supradicte rationes per me contra vos facte publico subiciantur examini. Perscrutemini ergo verba hec in stilo hebraico dicta, quoniam habetur in hebreo «Venite, obsecro» quia apud iudeos est quoddam vocabulum quod dicitur: *na*: et dicit rabi Salomon, nichil aliud fore quam rogamen, et ideo secundum hebraicam seriem dicitur in themate: «venite, obsecro, et arguite me».

Et ut clarius propositum elucescat, verba mei thematis triffarie sunt dividenda: Primo propallatur qualitas disputationis. 2º exaratur modus prenosticacionis. 3º exemplificatur stilus monicionis.

Primum ibi: *venite, obsecro, et arguite me*, 2<sup>um</sup>. ibi: *si fuerint peccata vestra ut coccinum, etc.*, 3<sup>um</sup>. ibi: *si volueritis et audieritis, etc.*

Circa primum est advertendum hanc dictionem *venite* motum significare: unde Philosophus, tercio Phisicorum, circa principium: mutatur semper [E. + id quod mutatur] aut secundum substantiam, aut secundum quantitatem, aut secundum qualitatem, aut secundum locum. Et sic ad hec quatuor predicamenta est motus: ad substantiam ut generationem et corrupcionem; ad quantitatem, et augmentum et detrimentum; ad qualitatem, ut ad alteracionem; ad ubi, ut loci mutacionem. Has autem omnes species motus diligenter attendere possumus in hoc verbo *venite*. Loci enim mutacionem, in vestra de loco ad locum, de domibus propriis ad curiam romanam, subita et celeri mutacione.

Substancie vestre mutacionem in generationem: Generacio enim aliud nichil est, quam aliqua forma, quam prius non habebat, materiam informari. Pari quidem forma, si mentis aciem ad superiora ele-

(9) Alude a su libro *Sefer ha-Piqqurim* enviado por el Papa a las Sinagogas.

(10) Is. 1,18.

vare dignamini, in Sanctitatem domini nostri Pape, animas vestras, lumine cognicionis vere Messie privatas, ad idem revocare intendentis, potestis considerare. Ex quo motus augmentacionis, tam spiritualis in virtutibus intellectualibus, quam in bonis quidem temporalibus, clarissime ac notorie sequetur. Unde ad nostrum magis principale propositum circa motum alteracionis, et iuxta domini nostri intencionem, hoc verbum *venite* conabor adaptare, scilicet, ut ab obstinacionis macula cordis, qua iudei actenus notati fuerint in diversis passibus divine legis, in quibus vocatur populus dure cervicis, et ut ad racionem, cum, per eam devicti, fueritis libere conversi, ac a malediccione quam Isaias in vos inquitens fulminavit sexto capitulo (11): «exceca cor populi huius, et aures eius agrava et oculos eius cluade», spoliati, ad cognicionem veritatis valeatis admitti. Hoc enim est vocis huius *venite* ad propositum significacio.

Et sequitur: *obsecro*. Ubi claret convocacionem istam non rigore, non ira, non odio, humilitate nimiaque caritate ad verum Dei servitium et salvandas animas vestras per dominum nostrum Papam, ut ad universalem pastorem expectat, benigniter fieri atque tractari.

Sequitur autem ultra: «et arguite me». Constat enim verbum hoc *arguere* multipliciter apud logicos accipi: uno siquidem modo pro contradicere seu impugnare, ut tam veris quam falsis racionibus, vere vel sophisticis, quoquomodo victor impugnans iudicetur. Hic autem arguendi modus merito maxime in presenti materia est reprobandus, quomodo Chore, Datan et Abiron contra Moysen et Aron sophisticis arguere (12).

Alius vero modus arguendi est ad extirpanda dubia, ut veritas clarius elucescat, quomodo discipuli arguunt contra magistros, seu magistri suis in leccionibus, actibusque generalibus, ad invicem altercantes. Hic enim modus ab omnibus legitime est comprobatus, cum sit dubiorum stirpativus, et veritatis elucidativus. Huiusmodi sunt altercaciones in libro Iob habite; huiusmodi forma contra Deum Ieremias conquestive altercabatur, cum dicebat, duodecimo capitulo (13): «Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum. Verumptamen iusta loquar ad te: quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prevaricati sunt, et inique agunt»? Hic autem propheta contra Deum arguebat, cum premitteret Deum esse iustum. Ex qua premissa sequuntur cuilibet iuxta meritum vel demeritum ipsum iustum esse retributorem, et sepe videmus iniquos prosperitate gaudere. Hinc vero concludebat quod infra sequitur: «quare via impiorum prosperatur»?

(11) Is. 6,10.

(12) Núm. 16.

(13) Ier. 12,1.

Verum quoniam non est hoc presentis speculationis, cum hoc dubium per doctores alibi lacijs discutiatur, ne vicium transgressionis coram tanta Sanctitate 'videat' [E. videar] incurrisse michi, presens circa solum est quemdam disputandi et arguendi modum ad veritatis elucidationem in lucem deducere, cum vobis dicitur in themate: «arguite me». Hunc enim arguendi modum, non ad iuste vel iniuste impugnandum, non ad sophisticè nec fallacijs disputandum; sed ad veritatem elucidandum et verum Messiam venisse demonstrandum hec fuit disputatio ordinata: evellatur tamen a cordibus vestris cogitatio prava, credentes per rationes vel conclusiones demonstrativas, que ex premissis resultant necessarijs, hanc veritatem probari, cum iuxta sciencie theologice subiectum sit hoc impossibile. Lex enim divina auctoritatis est sciencia, et non demonstrativa, cuius verba tamquam per Deum et prophetas eius, magistrorumque dicta, pro premissis habentur necessarijs. Verumptamen quis ea malicijs impugnare et contra ea arguere potest, sed non debet, quia circa sensum saniores et magis probabilem debent intelligi. Et sic patet clare prima pars thematis, in qua dicebatur quod qualitas disputacionis propallatur.

Sed dixi 2<sup>o</sup>: quod in presenti themate exaratur modus prenosticationis, ibi: *si fuerint peccata vestra, etc.*: circa quod attendite diligenter, quoniam si argumenta, disputaciones, et alias obiecciones, modo et forma quibus debetis 'et' [E. ac] tenemini infeceritis, erroribus et obstinatis oppinionibus que vos 'macula tot' [E. maculatos], vestraque corda sanguinolenta reddunt, procul pulsus, estote securi quod corda vestra nitore, candore, absque labe ac macula, tota pulcra, quasi nix dealbabuntur. Et hoc brevissime de secundo puncto.

Dixi autem tercio: quod in themate exemplificatur stilus monicionis. Unde, ne perfidia vestra hactenus in cordibus vestris radicata vos seducat, et verum rationis iudicium vestrum faciat postergare, dicitur in themate: «si volueritis et audieritis me». Et advertite, queso, diligenter, ne, cum dicitur «*bona terre comedetis*», cura temporalis trahamini ab eternis, cum ibi bona temporalia minime sint intelligenda. Hec autem bona temporalia, bona fortune, ac sompnolenta, non vera esse dicuntur, nam fides catholica talia bona nullibi legitur promississe, principaliter cum in ea bona spiritualia promittantur, que bona terre per prophetam appellatur, id est, cum dicitur «*terra vivencium*», ubi terra, id est, vita eterna, allegorice est intelligenda; quod eciam vestri doctores talmudiste in libro vocato Sanhedrim, asserentes dicunt, ultimo capitulo, quod totus Israel partem habet in gloria eterna, ad cuius probacionem verba Isaie, 60<sup>o</sup> capitulo, sic inducunt (14): «populus

(14) Is. 60,21. Cf. *Pugio*, 725.



autem tuus omnes iusti, in perpetuum hereditabunt terram». Et ideo presens causa est ut huiusmodi cognicionis occasione currentes, paradisi gloriam comprehendatis.

Sed, si, quod absit, contrarium attemptare presumpseritis, in perfidia vestra, ut obstinati, perseverantes, notum vobis facio et quod propheta vobis dixit reanuncio quod «gladius devorabit vos». Hic autem gladius, non corporalis, cum Ecclesia non corporali gladio vindicetur, sed gladius spiritualis, scilicet, infernalis punicio intelligitur, per angelum sathane execucioni tradenda. Diabolus enim, peccatores puniens, gladius appellatur. Quod tempore David fuisse reperitur, cum angelus percuciens contra Ierusalem sententiam execucioni mandaret, scribitur in libro Paralipomenon, capitulo vigesimo primo (15): «elevans quoque David oculos suos vidit angelum Domini stantem inter celum et terram, et evaginatum gladium in manu eius, et versum contra Ierusalem.» Non enim vertitur in dubium illum fuisse diabolum, cum vestri rabini dicant: ipse est Sathan, ipse est cogitacio mala, ipse est angelus mortis.

Unde sequitur quod si duriciam cordis et perfidiam vestram obstinatam servaveritis, rationibusque contra vos legitime factis obstinate minime parueritis, gladio, scilicet, diabolo, ex necessitate traditi eritis, iuxta terciam particulam mei thematis.

Sed rogo finale attendite ad dictamentum «quia os Domini, scilicet, locutum est», quod ab inadvertentibus, prima facie, superfluum censeretur scriptum. Notorium quidem est Deum verba dixisse, sed non est superfluum. Modus enim est preconizantium in fine sui preconii, ubi magna valde pena adiecta est, dicere: caveat qui cavere debet; sic admodum 'prophetarum' [E. prophetatur]: quasi dicat: nulla ex hinc excusacio apud vos remanet ignorancie, cum monicio quam vobis Deus nunciaverit contempseritis audire.

Satis claret nostrum thema declaratorie protractum. Nunc restat quoddam tollendum ambiguum, quod apud iudeos poterat, non sine causa, oriri. Sunt enim de hic astantibus iudeis qui intra cor suum murmurant dicentes: Postquam fides catholica confitetur dominum nostrum Papam universalem Dei vicarium totiusque humani generis indubitatum fore correctorem animarum, 'per' [E. propter quid] contra vos iudeos magis quam contra gentes ceteras extraneas et infideles, ut pote sarracenos, turcos et similes, ipse forcius, et principalius, insurgere videtur? Ad quod brevissime respondetur duo fore principalissima Sanctissimum dominum nostrum Papam id contra vos magis quam contra alias naciones mundi ad exercendum forcius et principalius moven-

cia: Primum, quia in eadem lege una cum catholicis christianis communicatis. Omnes enim legem Moysi pariter confitemur, in glosis et ceremonialibus observantiis, ac in earum duracione dumtaxat discrepantes. Nam quibusdam paucissimis erroribus 'et' [E. a] radice vestri cordis 'abusis' [E. abulsis] intra gregem dominicum eritis faciliter collocati, quod ab agarenis aliisque nacionibus alienigenis nimium longe videtur esse alienum.

2<sup>um</sup>., Deus enim ad reparandum universum genus humanum per peccatum Adde contractum, generacionem Abrahe, unde Messias verus oriretur, elegit. Hoc enim patet in cotidianibus oracionibus vestris, ibi cum dicitur: «Benedictus sis Deus, qui elegisti nos plusquam alias gentes.» Et verum dicitis; elegit enim in populum genus illud et oves pascue eius, sicut enim dicit Ezechiel, capitulo trigesimo quarto (16): «vos autem greges mei, greges pascue mee». Venit deinde Messias qui populum inter quos natus est pastorum regimine reperit abactum atque dispersum, ut Ieremias, capitulo quinquagesimo, in personam veri Messie loquens, sic ait (17): «grex perditus factus est populus meus, pastores seduxerunt eos». Qui quidem pastores pharisei, et Talmut ordinatores non est dubium fuere. Ex quo sequitur corolarie iudeos temporis moderni solo nomine esse iudeos, et quod nichil aliud sunt quam oves ab illo ovili et grege disperse. Alie vero naciones ab illo grege atque ovili descenderunt. Nunc autem tamen sanctissimus ac universalis pastor et dominus, ad quem cunctarum ovium Christi universum regimen expectat et cura, vos ab hoc separatos civili 'cognatur' [E. conatur] congregare. Sic enim Mathei, decimo capitulo, regem Messiam discipulos eius ad predicandum per universum mittentem, legitur dixisse (18): «in viam gentium ne iveritis, et in civitates samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves que perierunt domus Israel». O solo nomine iudei, o increduli, o popule dure cervicis: videte et recognoscite quantam faciet Deus misericordiam suam vobiscum, universam gratiam vobis piissime infundendo, cum vos iam perditos, magna cum mansuetudine, magnaue cum dilectione, ad ovile suum revocare cupiers, miserit non oviliunculos, aut clientulos, aut unum de mercenariis, sed 'maioralis' [E. maioralem] ovilionem summum, videlicet, pastorem universalem, et dominum, sanctissimum dominum nostrum Papam Benedictum decimum tertium qui, summa cum humilitate, cum mansuetudine summa, summaue cum sui caritate benigna, non lapidibus lapidicinam obruendo, non baculis percuciendo, sed benigniter ac leniter ad vera et affluentia pascua trahendo, vos ad

(16) Ez. 34,31.

(17) Ier. 50,6.

(18) Mat. 10,5.

ovile veri Messie congregando reducere intendit, ut misericordias 'in eternum' [E. — ] Domini, in ovili suo [E. + in eternum] cantetis. Unde finem verbis meis imponere cupiens, vos, in quantum possum ac valeo, rogo ut, ne deviare valeatis a cogitatione veritatis, viam arguendi superius approbatam sane dignemini ac inviolabiliter observare, cuncta in disputando nequiciam et obstinationem postponendo, ac eciam diligenter attendere ne decipiamini, presumentes ut, si qua rationum predictarum, aliter quam debent exposita, valeat impugnari, quod proinde rationes ceterae viribus non subsistant, cum remanentes, ut patebit, sint ad propositum concludendi sufficientes. Quod si feceritis, vosmetipsos festino cursu disponere curantes, vestra quadam auctoritate approbante, ubi dicitur: «venientem ad mundificandum Deus adjuvat», et alibi per vestrum poetam dicentem: «video quod gracia Dei est mecum: Deus vult, et ego me adiuvo». Tunc quidem, fiducia mea in illo a quo omne datum optimum et omne donum perfectum affluenter est descendens prius firmiter posita, Dominum nostrum Iesum Christum indubitatum Messiam confitentes, bravium eius gracia comprehendetis. Amen.



## SESSION II

Sequenti vero die, octava videlicet mensis prefati, ante conspectum domini nostri Pape constitutus, ad Messiam venisse probandum, pre-nominatus magister Ieronimus quamdam auctoritatem de Talmut in libro vocato Havodazara, capitulo primo, et in Sanhedrim, capitulo ultimo scriptam, allegavit, cuius tenor tali, est (1):

«Legitur in studio Helie. sex mille anni est mundus: duo mille de vanitate; duo mille de lege; duo mille, dies Messie.»

Ex cuius auctoritatis tenore concluditur quod in fine quatuor mille annorum, ab inicio mundi numerando, Messias debebat venire; et tunc temporis, paulo plus vel minus, Iesum Christum indubitatum est venisse. Sequitur ergo iam venisse Messiam tenet pro tanto, cum citra illud tempus, vel post prefatos quatuor mille annos, aliis siquidem mille centum et septuaginta tribusque annis sequentibus superadditis, venisse alium neminem reperitur.

Tunc rabi Ferrer in oppositum ait: Christum punctualiter in quatuor mille annorum fine non venisse, cum per ducentos duodecim annos ante venerit. Ergo Christus non erat Messias. Ad quod dictus magister Ieronimus replicavit dicens quod, cum aliquis numerus per millenaria in divina lege poni seu reperiri contingeret, quamvis centum, vel ducentos de millenario exhimantur, postquam ultra millenarii medietatem exceditur, verus numerus esse censetur. Ad cuius probacionem plures induxit auctoritates.

Deinde vero iudei interrogati, si per hanc Helie auctoritatem Messiam venisse manifeste pateret, respondere negative, cum in fine dicte auctoritatis (2): «et propter peccata nostra iam extracti sunt tot» subiungeretur.

(1) Sanh. 97 a. Cf. *Pugio*, 394.

(2) Sanh. 97 b.

Ad hoc dictus magister Ieronimus respondit: illa verba «et per peccata nostra, etc.», non esse de predicta auctoritate Helie, sed cuiusdam doctoris ipsa recitantis, et cum im tempore ab Helia assignatio nondum Messias venerat, coangustiatum se videntis; ac etiam, ut puta, vos in presenti facitis, evasiones et subterfugia inquirentes (3).

Ex tunc quidem prefati iudei, ad profitendum illam auctoritatem non Helie prophete, sed cuiusdam alterius Helie sic nominati, vel alicuius Helie discipuli esse, compulsi fuere; et sic quod ad illud credendum minime convincebantur.

Magister vero Ieronimus, suum dictum confirmanis, respondit cuiusvis fuerit auctoritas, postquam apud talmudistas doctores auctenticatur, et in textu Talmut collocatur, et ab aliquo talmudista neve nullibi derogatur, non immerito si apud iudeos modernos debeat approbari.

Convicti super hoc vero, iudei dicere habuerunt auctoritatem prefatam inconcusse veritate fulgere. Verum quod in fine quatuor mille annorum Messias veniret, predicta autoritas [E. + minime] hoc asserbat. Sed debebat sic glosari, id est, quod expectaretur venturum.

Ad hoc autem magister Ieronimus respondens ait: hanc glosam nec locum, nec 'contextu' [E. cum textu] aliquatenus concordiam habere, cum enim in auctoritatis textu dicatur: «et duo mille dies de Messia», et non dicatur: erit expectatio Messie.

Cessante tunc Rabi Ferrer, magister Salomon Ysach prorrupit in hec verba, dicens et asserens, auctoritatem fore veram, sed non vult dicere quod totum duo millenarium esset Messie, sed quod in illis duobus mille ultimis Messias veniret; et esto quod in eorum finem veniret, auctoritas veritatem obtineret.

Ad quod magister Ieronimus, respondens, ait: Si auctoritas diceret in duobus mille ultimis veniret, adhuc dictum magistri Salomonis locum haberet; sed auctoritas, si non dicit nisi 'de' [E. — ] duo mille erunt de Messia, videtur ergo infra illos duos mille iam venisse Messiam; verbigracia, cum Scriptura dicit dies Nohe nongentorum quinquaginta annorum fuere, intelligitur necessario ipsum toto dicto tempore vixisse.

Subsequenter Rabi Astruch, locutus sub hiis verbis, dicens prefatam auctoritatem fore veram, et eius verba nimis auctentica, sed aliter intelligenda. Nam ubi dicitur «duo mille anni de vanitate», debet glosari: id est: disputabitur de vanitate, scilicet: an mundus fuerit creatus, vel increatus; aut si est ab eterno vel non. Et ubi dicitur «duo mille de lege, et duo mille de Messia» id est, si Messias venerit, an non, disputaretur.

Quam quidem glosam prefatus magister Ieronimus multiformi

---

(3) Cf. *Pugio*, 395.

ter revocavit: Uno siquidem modo, quoniam de mundi creacione Plato, Aristoteles, ac quam plurimi philosophi in secundis duobus mille annis existentes, multo plenius quam hii qui primi fuere, disputaverunt. Preterea, constat enim de factis Messie multo plus temporibus prophetarum, atque templi secundi, fuisse locutum, cum omnia infra duorum mille annorum secundorum curricula, et non postea, fuere. Tamen etiam per hanc glosam ad auctoritatis verba, in quibus finaliter dicitur: «Et propter peccata nostra», etc. minime respondetur.





### SESSION III

DIE QUIDEM IOVIS, nona februarii, dictus magister Ieronimus rediit quoque ad probandum Messiam venisse, per quamdam auctoritatem in libro vocato Sanhedrim, capitulo ultimo, in qua dicitur (1):

«Sic dicit Helias ad Rabi Iehuda, fratrem Rabi Çala, cognominatus bonus: «non est mundus minus octuaginta quinque iubileis, et in ultimo iubileo, filius David veniet.» Et peçit ab eo dictus Rabi Iehuda: In principio iubilei an in fine? Respondit: In fine.»

Glosat rabi Salomon: «isti sumant quatuor mille ducentos quinquaginta annos, cum quilibet iubileus sit quinquaginta annorum; et in ultimo iubileo filius David veniet».

Et cum tempus hoc et multum plus preterierit, non est dubium Messiam iam venisse.

Super quo sanctissimus Dominus noster Papa Benedictus XIII<sup>us</sup>. dixit aliqua, que dictus magister Ieronimus predixerat confirmando.

Tunc vero, magna cum furia, quidam rabi Iuce Albo sic inquit: Posito Messiam michi probari iam venisse, non putarem deterior esse iudeus.

Deinde, ut prefate responderet auctoritati, rabi Mathatias sic allocutus est: Illud quod 'Messias' [E. Helyas] dicebat in ultimo iubileo venturum filium David, notare dispositionem, id est, quod tunc temporis populus Israel erit dispositus, ut filius David veniat; ante ultimum iubileum quod non esset dispositus; et sic quod in illo ultimo iubileo Messiam poterant expectare iudei, cum esset possibile quod veniret. Verumptamen esset sibi ex adversum responsum: hanc glosam littere auctoritatis, in qua clare, expresse dicitur *veniet*, de directo contrariare. Dictus Rabi Mathatias, mutato responso, dixit quod: esto aucto-

---

(1) Sanh. 97 b.

ritatem diceret quod veniret, verumptamen quod propter peccata populi moram fecit et nondum venit.

Contra quem dictus magister Ieronimus replicans dixit bonum a Deo promissum propter peccata minime retardari, quod per textus Isaie et Ieremiae latissime fuit probatum.

Preterea magister Salomon Isach respondit dicens prefatam auctoritatem, sicut iacet ad litteram intellectam, intencionem dicti magistri Ieronimi, Messiam scilicet venisse, sufficientissime probare, et quod bonum a Deo promissum nullatenus revocabatur. Verumptamen quod prefata auctoritas, sicut iacet ad litteram, non poterat commode intelligi, cum sit necessarium illud verbum «veniet filius David» possibilitatem ac dispositionem anotare, quasi dicat veniet, erit possibile, et ad veniendum dispositum. Alias, nisi sic intelligeretur, inter istas duas Helie auctoritates foret non modica contradiccio, cum in una dicatur: «sex mille anni est mundus, duo mille de vanitate, etc.» quasi velit ostendere quod, post quatuor mille ab inicio mundi, debebat venire; hec autem dicit quod non debebat venire usque ad ultimum iubileum, ubi sunt quatuor mille ducenti quinquaginta, et sic in ducentis quinquaginta annis unius auctoritatis ad aliam esse differentiam. Ideo ad evitandam disceptationem, et discrepantiam, verbum illud *veniet* in prefata auctoritate possibilitatem de necessario habet anotare seu dispositionem.

Ad quod Sanctissimus Dominus noster Papa replicans ait: si ad contradiccionem evitandam littera deberet corrumpi in non intelligendo eam ut iacet, hoc solum quantum auctoritas cogeret et non ultra corrumperetur, ut puta dicamus quod prefata auctoritas Helie ubi dicitur «duos mille annos esse de Messia» dispositionem aut possibilitatem ut veniat Messias velit dicere seu notare. Alia vero auctoritas, ubi dicitur in ultimo iubileo etc., quod intelligatur ad litteram sicut iacet. Et sic nulla erit ibi contradiccio nec tanta litteralis corruptio, quod pro certo Messiam venisse luce clarius declarabit.

Subsequenter Rabi Iucef Albo prorupit in hec verba, dicens: auctoritatem bene posse ad litteram intelligi supradictam, et cum hoc Messiam venisse non probaret. Gosavitque eam hoc modo: Non est mundus minus octuaginta quinque iubileis, et in ultimo iubileo mundi, quantumcumque mundus duraverit, veniet; ita quod non vult dicere quod in ultimo iubileo [E. + octuaginta quinque iubileorum, sed in ultimo iubileo] mundi veniet.

Ad hoc prefatus Dominus Papa respondit dicens quod, cum ultimus iubileus esset solum quinquaginta annorum, satis valde modica gauderent prosperitate in adventu Messie, cum ita breviter esset duratura.

Et prefatus magister Ieronimus verba domini nostri Pape corroborando, quod in fine dicte auctoritatis reperitur scriptum allegavit,

scilicet, respondens Helias ad rabi Iehuda cum peteret an in ultimi iubilei principio an in fine veniret, legitur in fine dixisse. Ergo prosperitas Messie ad nichilum redigeretur.

Tunc vero, pluribus inconvenientibus ex dictis rabi Iucef datis, atque inde secutis, atque vocatis, copiosa multitudo iudeorum inibi astancium, dicta glosa rabi Iucef tamquam a disona, vana, nulliusque comodi descendencium, ac dictum rabi Iucef in hoc quam plurimum vacillan-tem deridencium, super hoc iudicarunt convictum.



## SESION IV

DIE VENERIS immediate sequenti, decima februarii, anni supradicti, dictus magister Ieronimus proposuit dicens quod cum rabi Ferrer, dietis superius tentis, dixisset quod in auctoritate sex mille annorum etc., verba hec subiungerentur, scilicet, quod «propter peccata nostra iam sunt extra tot, et Messias nondum venit», dictusque magister Ieronimus negasset quod li «Messias nondum venit» esset de textu librorum Talmut, rabi Ferrer ex parte contraria oppositum asserente, propter quod in dicti domini nostri Pape presencia ac sue universalis curie dictus magister Ieronimus constitutus, quosdam libros Talmut in quibus, quemadmodum sepe dictus magister Ieronimus preallegaverat, fuit repertum, eadem die, publice in medium exhibuit.

Deinde ad Messiam venisse clarius probandum ac efficacius, præfatus magister Ieronimus quamdam auctoritatem de Talmut in libro vocato Berahot Ierusalmita, capitulo 'heya' [E. haya] core, induxit scriptam, sic dicentem (1):

«Accidit, quodam iudeo arante, unum de bobus eius mugisse, unusque arabs transiens perinde, mugitum audiens, iudeo aranti sic dixit: hebreë, filii hebrei, solve boves, laborare siste, quoniam vestrum destruitur sanctuarium. Et iterum, bove mugiente secundo, arabs inquit: hebreë, filii hebrei, iunge boves [E. + tuos] et ad laboremque cûra redire, natus est enim Messias vester. Tunc iudeus ad arabem: Ubi est ipse? Arabs ait: in Bethleem terre Iude.»

Ad dictam auctoritatem Rabi Astruch respondit hoc verum esse, in libro suo itaque scriptum esse. Qui ad hoc probandum quoddam folium papiri antiquissimi manualiter extrahens atque tenens, ibidem legit quod iudeus qui arabat caligularium, seu parvarum calligarum

---

(1) J. Berakot, 5a. Cf. *Eka Rabbati*, parashá 1, in Lam. 1,16, y *Pugio*, 348-349.

puerorum, factus est venditor, ut sciret quem esset mater Messie, etc. (2). Verumptamen addidit hanc istoriam in glosa Lamentationis Ieremie recitari, et sic quod de prima, non de secunda templi destructione loquebatur.

Deinde prefatam istoriam loqui de secunda templi destructione quam plurimas rationes magister Ieronimus allegavit.

Tunc vero dictus rabi fore verum Messiam natum esse, sed nondum venisse, asserendo conclusit.

Preterea per dominum nostrum Papam, dictus iudeus fuit interrogatus: postquam natus est, ubi est? Ad quod iudeus: Rome secundum aliquorum oppiniones, secundum vero quosdam in paradiso terrestri. Tamen, et licet verba hec ad litteram sonent Messiam venisse, probent et Rome esse, etc., aliud significant quam istud. Iniunctio autem dictam significacionem noluit declarare. Cumque prefatus Dominus noster Papa ipsum artaret vallidis rationibus, dictus rabi, ut suum expediencius conceptum mentis exprimeret, quod iudei non ad finem eorum salvandi animas, sed dumtaxat ad bona temporalia et ad prosperitatem corporum consequendam expectabant Messiam, dicere habuit; nam anime eorum, eciam si nunquam veniret Messias, salve fierent. Cum autem dictus rabi quia «si Messias nunquam veniret» dixerat, a Domino nostro Papa merito redargueretur, dixit se impossibile capere pro possibili. Et deinde verba mutavit, dicens se intellexisse nunquam venire, id est, eciam quod non veniret usque prope finem mundi.

Requisitis aliis vero iudeis si dicti rabi Astruch bone responsiones ac legitime viderentur, rabi Matathias et rabi Iucef Albo, et nonnulli alii, bene respondisse dixerunt. Deinde prefatus dominus noster Papa conclusiones inde elicuit. Ulterius magister Todroç iudeus dixit illam istoriam de Arabe iudeo aranti confabulatam, cum esset fabulosa, ut auctenticam minime fore allegandam, quoniam bonum ut bonum, malum vero et inutile est in suo esse relinquendum. Et idem replicans rabi Astruch adicit: verba Bible, doctorum approbatorum, glosarumque per rabi Hyna et rabi Asse auctenticissime censebantur; sed sermones non ita dicebantur quin possent reprobari.

Ceterum prefatus magister Ieronimus dictam auctoritatem in textu proprio de Talmut, intra illud quod apud iudeos irrevocabile ac auctenticum approbatur, per dictos rabi Hyna et rabi Hasse, quorum dicta cuncti iudei ad credendum obligantur, ad hoc rationes plures allegavit.

Deinde domino nostro Papa conclusiones prefatas, advenisse Messiam et nasci, concludendo resumente, magister Salomon Ysach, quod

---

(2) *Eka R.*, par. 1, in Lam. 1,16.

rabi Astruch minus bene et insufficienter responderat dixit, quoniam superius allegata istoria vera est, et bene auctenticata, omninoque asserenda, sed nati Messie minime probativa, ac explicativa. Tamen hoc verbum *nolad*, et licet eius significatum principale significat sic esse natum, tamen plura significat, quorum unum est rem esse ymaginatam, et hoc modo sumitur hic.

Ad quod magister Ieronimus respondit dicens vocabulum nullibi sumi debere improprie, si in dicto in quo ponitur potest assumi proprie. Ergo predictum vocabulum *nolad* in prescripta positum auctoritate, licet alibi possit aliam significacionem habere, cum loquatur de persona cuius natura est nasci, nichil aliud quod natum esse significabit.

Et cum hiis, dictus magister Salomon cessat loqui.





## SESION V

SABBATO vero sequenti, undecima dicti mensis, magister Ieronimus 'diete conclusiones precedentis' [E. conclusiones diete precedentis] resumens sub epilogo, de tribus interrogavit iudeos: primo, quod postquam Messias natus erat, cur non manifestabatur. 2° in quo die natus fuerat. 3° cur tam cito natus est

Tunc vero rabi Mathatias, precedentis diei conclusiones confirmans, Messiam natum et Rome aut in paradiso terrestri, et peccata populi sue occultacionis causam fuisse, atque esse, palam confessus est; et quamvis ipse sit natus, non tamen est publicatus; et quod die destructionis templi natus est, et quod necessario die illo natus est, cum homini vulnerato statim opus est medico seu surgico.

Ad hec vero magister Ieronimus: Nisi infirmum curaverit, aut eius infirmitatem exercuerit, ad modicum prodest vulnerato 'surgicus' [E. chirurgicus], ex quo infertur quod postquam natus est Messias, ipsum manifestari et, ad quod in mundum missus est, operari.

Ad hec autem dictus rabi Mathatias nichil respondit.

Preterea magister Ieronimus, ad probandum Messiam nedum natum, sicut iudei predicti confessi fuerant, verum etiam ipsum publice apparuisse, prophetiam Isaie, ultimo capitulo, induxit scriptam, sic de Ierusalem dicentem (1): «antequam parturiret peperit; antequam veniret partus eius, peperit masculum». In caldaica enim dicitur traditione: «Antequam veniret ad eam angustia, salva fuit; et antequam venirent ad eam tribulaciones, fuit discopertus rex Messias» (2).

Ergo antequam esset Ierusalem destructio, fuit, nedum natus, sed discopertus seu manifestatus .

---

(1) Is. 66,7.

(2) Cf. *Pugio*, 349-350; 715.

Tunc rabi Astruch respondit non ad propositum; sed eo omisso, dixit dictus rabi Astruch: Redibo ad id quod rabi Mathatias predixerat: Messiam scilicet natum esse, ut iam in dieta proximo lapsa satis probatum fuerat, per illam istoriam que a nullo iudeo negari poterat, quoniam sic asserit quidam, apud nos iudeos vulgariter magister de Girona vocatus; tamen quod illud *nasci* dupliciter intelligi poterat: uno modo dispositive, et hoc modo quam plurimi possunt nasci Messie. Itaque uno, qui erat dispositus, mortuo, alius pari forma dispositus, Messias remaneret, et sic unus post alium. Et solum quod populus bene esset dispositus, incontinenti qui proxima dispositione tunc temporis existeret, manifestaretur. Alio vero modo potest intelligi quod sit realiter natus, et in paradiso, vel ubi sit, nescimus.

Deinde interrogatus quid ad propositum caldayce expositionis, ubi dicitur: «Antequam veniret tribulacio fuit discopertus rex Messias» responderet, dixit prefatus rabi Astruch prefate auctoritatis esse intentionem quod, absque tribulacionibus et guerris, Messias reduceret iudeos in Ierusalem.

Ad quod replicuit magister Ieronimus dicens: Hoc est per anti-frasim; diversis enim in locis de Talmut fit mencio ingencium persecucionum et dolorum circa adventum Messie superveniencium, adeo quod numquam saltem in temporibus eorum veniret Messias, pre timore tribulacionis eminentis angustiarumque, quamplurimos Talmut istorum doctorum, Deum reperitur exorasse; ex quo enim sequitur prefatam glosam dicti rabi nullum penitus habere locum.

Tunc quidem dictus rabi se amplius nichil scire respondere publice confessus est.

## SESION VI

ALTERIUS DIE LUNE, terciadecima dicti mensis, magister Ieronimus proposuit dicens:

Et licet natum esse Messiam atque manifestum iudei, ut superius est scriptum, publice concessere, verum, ut clarius veritas apud dictos iudeos elucescat, eciam per alias auctoritates Messiam venisse probare conabor, quamdam propheciam per Iacob patriarcham filio suo Iehude dictam, in Genesi, quadragesimo nono capitulo scriptam, in medium deductam, sic inquentem (1):

«Non auferetur ceptum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.»

Et quamdam auctoritatem de Beressit, id est, Genesis magno, ubi dicitur:

«Quadraginta annis ante templi destruccionem, iudices consistoriales gazit, potestate in criminibus eis sublata, remotos fuisse» (2).

Et reffert rabi Rahamon quod tunc temporis septuaginta iudices vocati Sanhedrin, una cum maioribus Israel, barbibus depilatis, ac saccis 'inducti' [E. induti] dicere: «Heu nos, quoniam nunc ablatum est ceptum de Iuda, et filius David nondum venit» (3).

Qua ex auctoritate magister Ieronimus Messiam venisse illumque Iesum Christum esse, cum illo tempore, quadraginta scilicet annis ante pefatam destruccionem, passio Domini nostri Iesu Christi fuerit, clarissime demonstravit.

Tunc rabi Astruch respondit pefatas auctoritates, Messiam venis-

---

(1) Gen. 49,10.

(2) J. Sanh. 41 a; J. 'Aboda Zara, 8 b. Cf. *Bēr. Rab. de Darshán*, par. 98 in Gen., 49,10, ed. B. N. 105, y *Pugio*, 872 y 314-315.

(3) Cf. *Pugio*, p. 872.

se probantes, apud iudeos auctenticas non haberi. Et, esto quod auctentice haberentur, eas minime intelligebant iudei, quoniam dato quod ex illis Messiam venisse probaretur, nichilominus, tamen, pro rato et firmo est apud iudeos, ipsum nondum venisse fore verum, super quo se ipsos occidi voluntarie permetterent.

Quo audito, dominus noster Papa sibi precepit quod ad prefate propheticie, scilicet (4), «non auferetur ceptum de Iuda», etc., propositum responderet. Dictusque rabi Astruch adhuc ait nasci sumi dupliciter, etc., ut precedenti predixerat sabbato. Tunc prefatus dominus noster Papa dicto rabi sic ait: ut responderet ad propositum et, si qua in dietis precedentibus allegatis dicere vellet seu allegare, die mercurii proximo sequenti veniret paratus, cum dictus dominus noster patienter audiret atque benigne.

Subsequenter prefatus rabi ad propositum duplici modo sic respondit: Uno arguendo, alio siquidem ad dictam auctoritatem duas glosas allegando. Arguendo quidem sic: ceptum fuit ablatum tempore Sedechie, qui ante Christi adventum longe fuit. Ergo, secundum christianorum oppinionem, ante fuit ablatum quam Messias veniret.

Glose vero sunt hec: una vero, quod illud vocabulum *had* in hebraico, in latino sumi potest dupliciter: uno enim modo, id est, *donec*; alio modo, id est, *semper*. Et isto ultimo modo in prefata sumitur auctoritate, quasi dicat quod cessacio ceptri de Iuda non erit in eternum, quoniam veniet Messias; tunc vero non cessabit. 2.<sup>a</sup> autem glosa, translacio enim caldayca dicitur *had halma* quod idem est quod *pro semper* seu *in eternum*.

Et tunc dictus magister Ieronimus respondit: per prefatam enim auctoritatem manifeste patere sceptri cessationem non de regibus esse, sed de Sanhedrim, qui septuaginta unus erant iudices in templo iudicium tenentes, in quadam domo consistorium de gazid nuncupata, iudicandi crimina potestatem habentes; [E. + et] potestas illa, per quadraginta annos ante templi destructionem ab eis sublata, ubi ceptum tunc fuit ablatum de Iuda, ut per dictam auctoritatem pluraque dicta rabinorum patet diligenter speculanti. Deinde vero, Christi passione subsecuta, cuius morte, rebellione, inobedienciaque contra eum habitis prefatum ceptum perdidere iudei.

Preterea ad illud quod de caldaica dicitur translacione, prefatus magister Ieronimus ait: quod in dicta translacione non «*pro semper*» seu «*in eternum*», sed «*usque in seculum*», in quo Messias venire debebat, dicitur, cum iudeorum rabini tempus captivitatis unum seculum consueverunt appellare, tempus vero Messie aliud. Sic enim est scriptum

(4) Gen. 49,10.

in Talmut: «Nulla est enim differentia huius seculi ad Messie seculum nisi subiugatio regnorum» (5). Ex quo sequitur illud caldaycum per dictum rabi allegatum non *pro semper*, ut ipse inquit, assumi debere.

Insuper prefatus magister Ieronimus, tam per dicti vocabuli *had* punctaturam, tam per eius accentum, et tam per modum proferendi quem iudeorum rabini in sinagogis legendo servant, quam eciam per modum romanciandi quam magistri pueros docentes tenent atque declarant difuse, prefatum vocabulum *had*, nichil aliud significare hic quam *donec*, et non *semper* seu *in eternum*, clare ac diffuse probavit.

Ad que omnia dictus rabi silentium pro responsione accepit; hoc tamen adiecto, quod, cum dictus rabi quoddam folium super quadam auctoritate de secundo templo superius allegata, et per dictum rabi negata, scriptam in propriis manibus custodiret, discretus vir magister Ieronimus, ut suum probaret propositum, eiusque adversarii falsitatem, dicti rabi inconsiderantis caute arripuit scripturam, qua ibidem publice lecta, apparuit contrarium eius quod dictus rabi Astruch asserbat.

---

(5) Shabbat, 63a, 151b; Berakot, 34 b; Pesahim, 68a; Sanh. 91b; 99a.



## SESION VII

DIE VERO MERCURII, quintadecima dicti mensis, prefatus magister Ieronimus proposuit dicens:

Messiam venisse, per illam prophetiam «non auferetur ceptum de Iuda, etc.» die huic proximo lapsa, valde diffuse probatum fuisse; verum quamdam auctoritatem rabi Rahamon, in libro Genesis magni rabi Moysi Darsan scriptam (1), cum prefata concordante, in publicum adduxit, quam iudei negavere dicentes nullibi suis in codicibus eam posse reperiri.

Deinde dominus noster Papa mandavit ut, super huius auctoritatis probacione, usquequo prefatum librum Genesis magni ad manus haberet, [E. + et] in publicum 'reduci' [E. deduci] faceret, supersederetur; tunc per dictam auctoritatem, non obstante quod absque illo per dictos iudeos Messiam venisse publice fuerit concessum, hoc ipsum clarius probaretur.

Iudeus quidem gerundensis, Bonastruch Desmaestre nomine, respondens, dixit quod si contingeret auctoritatem prefatam alicubi reperiri, tunc ad eam iudei respondere conarentur, credens minime posse reperiri, cum alias auctoritates que nullibi, reperiri poterat, dictus magister Ieronimus allegasset.

Tunc dictus magister Ieronimus contra dictum iudeum respondit: si hanc vel aliquam dictarum auctoritatum allegatarum non reperiri contingat, hoc noveritis duobus a capitibus pervenisse, tum per vestrorum iudeorum in non perscrutando notoriam negligenciam, cum eiam 'per' [E. propter] libros non habere allegatos; habente igitur libros quoniam quidquid per me allegatum, dictum, seu allegandum, et dicendum super materia preiacenti fuerit, modo quo dixi seu dic-

---

(1) El *Pugio*, 872, no la refiere al Darshán, sino que la pone aparte.

turus sum, me offero ad litteram in conspectu omnium, si necesse fuerit, probaturum. Addiciens quod si quid super prefata auctoritate dicere, glosare, seu alias allegare ipsi iudei intendebant, 'et' [E. ut] cum prefata auctoritas esset reperta non amplius super eadem altercatur, et illud statim exprimeret, diceret, seu allegaret.

Ex parte vero dicti Bonastruch fuit responsum nichil super hoc, donec prefata auctoritas reperta esset, iudeos esse dicturos.

Interrogatis vero iudeis, an quid super iam per eos concessis, scilicet, Messiam natum et manifestatum, dicere insuper vellent, seu allegare, rabi Ferrer respondit nasci sumi dupliciter, ut die sabbati supra dixerat. Deinde Dominus noster Papa dicto rabi Ferrer ait quod, postquam dicebat quod uno mortuo, alius dispositus remanebat etc., quesivit an de Messia primo nato ac mortuo omnes prophecie de vero Messia dicte verificentur, an de secundo post primum remanente. Ad quod dixit dictus rabi Ferrer: de primo potencialiter et non actualiter, iuxta intellectum dicti rabi Ferrer, prefatam auctoritatem verificari.

Contra quem per dictum Ieronimum fuit sic replicatum: quod si vocabulum *natus* potencialiter intelligeretur, frustra fuit leticia agricultoris in hiis que dicta sunt per arabum sibi, frustra que, ut reperiret Messiam ac matrem eius, factus esset calligularum venditor, frustra que nativitas eius tempore destructionis templi fuisset. Preterea si hec, que per te dicta sunt, essent vera, sequeretur omnem hominem regem esse et papam, quia omnes sumus in potencia hoc vel propinqua vel remota; que omnia, velut rationi dissona, sunt omnino inficienda.

Tunc autem rabi Ferrer tacuit.

Subsequenter quidem, an vellent super auctoritate prefata, scilicet (1), «non auferetur ceptrum de Iuda, etc.», aliquid ultra dicere seu allegare iudeis requisitis, rabi Ferrer dixit: Utique, domine, quoniam glöse die lune proxime lapsa allegate magis pro nobis quam contra facere videntur, cum in glosa Ankeloç, scilicet, caldaica, dicitur non auferri ceptrum pro semper, quoniam Messias veniet et reparabit.

Ad quod dictus magister Ieronimus replicans ait superius ad hoc se dedisse responsum sufficienter, et sic frustratorie replicatur.

Rabi Ferrer iterum dixit: licet glosa caldaica ipsum non iuaret, alia tamen glosa ipsum iuaret, quoniam verbum illud *had* exponitur dupliciter, uno modo pro *semper*, scilicet, quod ceptrum non cessaret semper quoniam Messias restitueret, alio modo, id est *donec*, quasi dicat non auferretur ceptrum donec Messias venerit.

Interrogatus vero dictus rabi quem istorum modorum exponendi ipsi, cum legerent, docebant discipulos, respondit quod modo ultimo

(1) Gen. 49,10.



exponendi utebantur; verumptamen quod hec expositio minime con-  
cludebat quod post Messie adventum ceptum auferretur; posuitque  
exemplum, ut puta, si quis Petro diceret: non carebis mille florino-  
rum donec fueris cardinalis; non enim vult dicere quod post careat.

Et ex adverso arguit predictus magister Ieronimus: Ultimam ex-  
positionem tenendo, bene sequitur Messiam venisse, ceptumque, donec  
ipse veniret minime 'debeat' [E. debebat] auferri.

Sed ceptum est ablatum.

Ergo Messias iam venit.

Rabi Ferrer respondit negans fuisse ablatum, sed solum cessasse,  
illud enim verbum «non auferretur ceptum», etc., intelligitur de abla-  
tione perpetua. Quamvis in presenti ablatum sit, non tamen perpetue,  
cum enim Messias venerit restituetur.

Dictus vero magister Ieronimus respondit quod, cum hec aucto-  
ritas una sit benedictionum quas Iacob filio suo Iude legitur dedisse,  
necessarium est eam intelligi simpliciter, scilicet, non auferretur cep-  
trum de Iuda perpetue nec temporaliter, donec Messias venerit. Alias,  
intelligendo eam ut inquit rabi Ferrer, non esset benedictio, quo-  
niam, ut rabi Iuce Albo superius dixit, intelligendo quod in fine iubilei  
ultimi mundi posset venire Messias, modicum profuisset Iude, qui duo-  
bus mille annis in captivitate stetisset, ceptum solum tribus diebus du-  
raturum.

Rabi vero Ferrer replicans tunc ait benedictionem illam, quam de-  
dit Iacob, nichil aliud fore quam prerogativam quamdam inter cete-  
ros fratres habere, quasi velit dicere quod, durante ceptro in Israel,  
illud esse Iude et non alterius. Et ad quod magister Ieronimus dice-  
bat quod modicum profuisset Iude, etc., respondit quod ymo profuis-  
set, cum post mundi finem esset resurreccio, et tunc ceptro suo in hoc  
mundo exerceret; verumptamen quantum ad hoc an post resurreccio-  
nem in hoc mundo ceptum remaneret, vel non, et quantum ad alia  
'christianus et iudeus communi' [E. christianis et iudeis communia] de-  
terminacioni domini nostri Pape se submittebat humiliter, ut 'dicebat'  
[E. decebat]. Addens ut nec ipsi, nec iudei ceteri, responsum dicti rabi  
Iuce Albo, scilicet, de ultimo mundi iubileo, quod scriptum [E. + est]  
superius in tercia dieta, minime approbant. Sed quod ultimus ille  
iubileus de illis octoginta quinque iubileis esset, hoc ipsi asserebant.

Ad hec magister Ieronimus: Ergo ex hoc clare ac bene inferi po-  
test quod, postquam ultimus iubileus a magno tempore citra sit elap-  
sus, Messiam venisse.

Cui rabi Ferrer: illud minime sequi, cum verbum illud «veniet  
filius David» exponi debet, id est, aptus natus ad veniendum tempore

illo; et quod non erat necessarium tunc venisse, sed posse venire, cum hoc potest intelligi de materia contingenti.

Ad quod replicans magister Ieronimus sic inquit: Si hoc enim esset verum, sequeretur omnes propheticas locuciones posse sic intelligi aptitudinaliter, et non actualiter assumi. Et sic, secundum hoc, nulla propheta est adimpleta, quod est falsissimum, et per consequens glosa iudeorum non habet locum. Preterea arguitur sic: Aut illa aptitudo quam vos iudei dicitis hic fore, aut provenit ex parte Dei, aut ex parte populi in quantum Dei opera non exercuit. Non ex parte Dei, cum semper est et fuit aptus et dispositus ad posse mittendi Messiam. Si vero ex parte populi, videtur populum nec aptum, nec dispositum fuisse. Ergo, secundum hoc, auctoritas de mendacio redargueretur, dicens quod in ultimo iubileo veniret Messias, cum vos glosetis, id est, aptus natus ad veniendum ex parte populi. Tunc autem de duobus sequitur unum: vel auctoritatem dicentem populum fuisse aptum mendacium continere, aut infra illum iubileum venisse Messiam cogemini dicere. Sed auctoritas per modum quo eam glosatis, est per vos ut veritatis contentiva concessa. Ergo Messias venit infra tempus illius iubilei.

Tunc rabi Ferrer ait, hoc non ex parte Dei, cum semper fuerit et sit aptus et dispositus, sed ex parte populi peccantis talem defectum provenisse, propter quod nondum venit Messias. Cui magister Ieronimus hoc nichil ad propositum facere argumenti, nec ei in aliquo satisfaciebat, ex quo si aliud non diceret, conclusus penitus remanebat. At ille tacuit, et nichil amplius super hoc respondit.

## SESION VIII

'SUBSEQUENTER VERO' [E. subsequenter] DIE VENERIS, decima septima mensis februarii, dominus noster Papa dixit quod, ad resumendum conclusiones circa materiam in dieta qualibet tangentes, magistro generali oridinis predicatorum, necnon sacri palatii magistro, et cuilibet eorum, locum suum committebat et vices.

Hiis vero per sanctissimum dominum nostrum Papam iam peractis, Rabi Moyses Abenhabeç supplicavit eius Sanctitati quatenus sibi, ceterisque iudeis, secretam dignaretur concedere audientiam in camera. Quo per dictum dominum nostrum eis benigne concessio, dictus magister Ieronimus ex mandato sue Sanctitatis preterita recitans, ait: intencionem domini nostri principaliter, non ad disputandum, sed ad dictos iudeos in fide catholica 'convertendum' [E.—] informandum et ad quecumque dubia inde eis orta satisfaciendum; non autem ad quorumcumque singularia dicta et oppiniones perfide substinendum, fore; solumque ad suorum maiorum presertim per omnes alios, ad hos actus, scilicet dicendum, dubitandum, arguendum; absoluciones, responsiones, ac ad eadem argumenta satisfacciones bono zelo ac fideliter petendum, specialiter approbatorum et deputatorum, ad prefata dubia elucidandum; cum alias de notoriis, ut puta de fide Salvatoris Domini Nostri Iesu Christi, ita esset frustra disputare, ac si quereretur in meridie, hac hora, si est dies aut nox; quod experientia edoceret.

Addens etiam quod, quamvis dietis preteritis nonnullas auctoritates verissimas per me allegatas a vobis iudeis falso modo et iniquo constet fuisse negatas, nonnullasque que contra vos facere videbantur fraudulentè mutatas, seu inde in aliquo esse a vobis diminutas, seu detractas, et licet beati Ieronimi translacionem iudei

minime reputent auctenticam, ob hoc tamen non minus veritate nitescit; multa quidem in Biblia defficiunt hebraica, que per eum declarata et intellecta fuerunt. Ipse enim, etsi christianus fuerit, tamen ut perfectius dictam translacionem adimpleret, per diversa mundi climata, diversa ydyomata audiens et discens, diversasque biblias viden, peregre profectus est. Ex quibus potest presumi translacionem eius firmissimam fuisse ac vallidam.

Sic, ad propositum rediens, in presenti hac informacione Messiam natum fuisse per diversas de Talmut auctoritates plene probatum est, quarum in una dicitur (1): «legitur in studio Helie, etc.»; alia vero per arabis iudeo aranti factam narracionem, etc. (2); et per prophetiam, ubi dicitur: «non auferretur ceptrum de Iuda», etc. (3); et per auctoritatem rabi Rahamon (4), super dicta prophetia, qualiter adimpletum fuisset cum illis Sanhedrim posse indicandi criminalia iudicia in fine templi secundi quoque fuerit ablatum (5); et qualiter per auctoritatem Isaie, capitulo ultimo, ubi dicitur (6): «antequam parturiret peperit», etc., una cum eius translacione caldaica, Messiam apparuisse et se manifestasse probaverim, ut ex dietis superius habitis fuit lacius probatum.

Quibus ex omnibus, 'videtur' [E. videretur] vos iudeos bene ac sufficientissime informatos fuisse super premissis, scilicet, quod Messias natus fuerit, venerit, manifestatusque fuerit.

Ad idem, qualiter glosas super vocabulo illo *had* in textu illius auctoritatis «non auferretur», etc., eciam nonnullas exposiciones, aliasque significaciones, et quod dicebatis super vocabulo predicto, per vosmetipsos factas, fuisse manifeste reprobata.

#### [CODICE VATICANO]

Insuper per me fuit vobis probatum qualiter dictum vocabulum *had* pro *donec* in latino accipiatur, et hoc per experientiam modi iudeorum legendi die sabbati in suis sinagogis, et sicut magistri in scolis

(1) Sanh. 97 a y b.

(2) J. Berakot, 5 a.

(3) Gen. 49,10.

(4) *Pugio*, 872.

(5) Sanh. 41 a; J. 'Aboda Zara, 8 b; *Ber. R. de Darshán*, parashá 88, in Gen. 49,10.

(6) Is. 66,7.

iudeorum pueros docent, per comunemque lecturam ac glosam vestrorum omnium magistrorum, per punctuaturam eciam cum qua vocabulum illud *had* punctuatur, eciam per accentum vocatum *taham*, quod dicitur '*yetib*' [*E. yecib*], in dicto vocabulo *had* facto. Hec vero duo de punctuatura per discretum virum Garsiam Alvari de Alarcon, velut qui auctoritatis magne, ac in ebrayco, caldayco ydiomatibus, ac latino, plene fundatus est; ac eciam quod nullatenus aliter dictum vocabulum *had* nisi pro *donec* in prefata auctoritate poterat sumi, satis elucide declarata fuere.

Preterea qualiter pro porte iudeorum, specialiter rabi Astruch de Alcanicio, fuit prefatus textus glosatus, hoc scilicet modo «non auferetur ceptrum de Iuda nec dux de intra turbas eius pro semper, quoniam veniet Messias, et ad ipsum confluent gentes»; et qualiter ego replicans dixi istam glosam nec quamcumque aliam a vestris capitibus factam, ad prefatum textum nullatenus adaptari, nec lingua ebraica aliam paciebatur interpretacionem, nec illa dicio *had* sensum alium, nisi *donec*; ad cuius corroboracionem librum glose Rabi Salomonis de facto in medium exhibui et ostendi, in qua quidem glosa dictus rabi Astruch ad oculum vidit litteram expresse continentem, scilicet, quod semper staret ceptrum de Iuda, usquequo Messias veniret; insuper dicebat prefatus rabi Salomon quod sic declarabat Anquelos in caldaica translacione, sic inquires: «non auferetur posse in domo Iude, nec scribe de filiis filiorum suorum, usque ad seculum in quo veniet Messias cuius est regnum, et ipsi obedient gentes» (7). Ad quod dixi: si vestre glose a capitibus vestris ordinate profuse ac diligenter perscrutarentur inter se, ad oculum viderentur discordari; ex glosa vero Rabi Salomonis, quam ut ordinariam celeberrimam colebatis, ac eidem manifeste, si bene attenditis, curatis repugnare, clare concludi poterat nullam continere veritatem.

Post hec vero Rabi Iuce 'Albo, aliam viam asumens, dixit modum intelligendi Talmut, eiusque glosas, non esse talem, qualem magister Ieronimus esse dicebat. Quoniam iudei suos modos servant intelligendi Talmut, aliasque scripturas, in quibus magister Ieronimus, nec ceteri christiani, plenam dicuntur habere noticiam, propter quod nimirum christiani literati unum pro reliquo in glosis Talmut assumpserunt et intellexerunt; verumtamen dixit dicta et responsa sua, et licet aliquibus inter se contraria videantur ac variabilia, minime tamen ideo repellenda, cum ad eiusdem finem conclusionis, scilicet, quod Messias nondum venit, reducantur. Et ideo de talibus diversitatibus minime iudei curabant. Eciam ad glosam Rabi Salomonis induxit

---

(7) Cf. *Pugio*, 312.

plura exempla, in quibus dabatur intelligi aliquas diferencias fore in lingua caldayca inter vocabulum *are* ad litteram *de*, ad concludendum dictum per Anquelos, scilicet, «non auferetur ceptum, etc.», pro *semper*, quoniam veniret Messias qui repararet, etc.

Et hic, de licencia mandatoque Sanctissimi Domini nostri Pape, dictus Garsias Alvari ulterius declaravit, sic inquires: iudei quidem dicunt quod illud verbum *had* pro *semper* assumi, ibi pausam que vocatur *ye-yehib* facientes; in quo, salvo honore, penitus obviant veritati, quoniam illud *had* simpliciter per se non potest accipi pro *semper* sine hoc quod aliqua alia littera, seu pars, addatur vel adiungatur, ut puta, sicut in hoc dicto: *lahade had*, quod idem est quod perpetuo vel in eternum; quod quidem *had* punctuatur cum puntuacione quadam apud iudeos *camec* nuncupata. Item *lahad* quod sumitur pro *semper*. Sed *had* per se cum puntuacione *paça* nuncupata, nec in principio sentencie, nec in medio, nec in fine, in tota Sriptura, nullibi poterit reperiri quod sumatur aliter quam pro *donec*.

Ad hoc respondit Rabi Iuce Albo dicens in tali articulo, ubi totus ludus vertitur, nimium esse precavendum. Sic cessavit, nichil plus super hoc replicans.

Preterea Rabi Moyses Abenhabec dixit verum esse quod secundum comunem intellectum omnium illud *had* sumitur pro *donec*; verumtamen quod Messias quidem nondum venit, sed venturus est, cum etiam oppinio sit iudeorum nondum venisse Messiam.

Post hec vero magne auctoritatis religiosus vir frater Sancius Porta, in theologia Sacri palatii famosissimus atque dignissimus magister, ex prefati domini nostri Pape mandato, supradicta omnia, per conclusiones auctoritatum et rationum, ex quibus resultabat dictum magistrum Ieronimum profunde ac plene satis probasse Messiam natum esse, venisse ac se manifestasse, in summa repilogans, dixit aliqua super illud vocabulum *had*, ad corroborandum superius habita, scilicet, quod idem est quod *donec*; per viam argumenti finaliter concludens hoc modo: sive *had* donec significet sive *semper*, secundum sensum verborum convenit ut usquequo Messias venerit ceptum Iude continuari. Sed ceptum iam est ablatum. Ergo Messias iam venit.

## SESION IX

DIE VERO LUNE, vigesima mensis februarii, ante conspectum Sanctissimi domini nostri Pape, eiusque Sacro Collegio supradicto, prefatus magister Ieronimus [E. + proposuit] dicens quod cum per supra dictam auctoritatem «non auferetur, scilicet, ceptrum de Iuda», etc. (1), per aliasque sibi annexas Messiam diu est iam venisse probatum satis fuisset iudeis, et ad nichil predictorum satisfacere valuissent, nunc de novo interrogavit ipsos iudeos dictus magister Ieronimus si aliquid ulterius dicere volebant ac opponere, quoniam prefatus dominus noster Papa eos benigne audiret.

Tunc Rabi Matathias, cesaraugustanus, dixit quod omnia que in proximo lapsa dieta super illo vocabulo *ceptrum* Rabi Iuce Albo predixerat exponens *ceptrum*, id est, quod *virgam*, dictus Rabi Matathias cassabat, ac in quantum in se erat, annullabat, dicens non *virgam*, sed *iugum*, dominium, aut preheminienciam significare, Et quod dictum magistri Gerunde, iudei, super hac scriptum materia, bene poterat sustineri, secundum auctoritates prefatas, quod Messias natus est et in paradiso vivit; verum quod non credebat sic dicere dictus magister, sed quod veniet 'paululum' [E. paulo] antequam appareat; cum autem apparuerit, dabit ac adimplebit omnia per legem Moysi et prophetarum eis promissa, quorum nonnulla specificavit, quorum unum fuit, scilicet, quoc̄, secundum dictum magistrum de Gerona, illa auctoritas poterat sic intelligi: non auferetur ceptrum de tribu Iuda, ad hoc ut eis penitus auferatur, et alteri tribui detur; sed cum eius restitucio fieret, eisdem solum restitueretur; et quod ad presens propter nonnulla peccata per eos et doctores legis magistrosque commissa, ceptrum de Iuda fuit ablatum. Per Messiam, tamen, etsi nondum venerit, eis restituendum

---

(1) Gen. 49,10.

est, quoniam iudei solum ad dandum prosperitatem corporalem, non autem ad salvandas eorum animas, Messiam expectabant venturum, eis-que multa ac plura bona temporalia daturum, et in patria sua eos collocaturum, et Ierusalem templumque Salomonis materialiter reedificaturum.

Preterea, ad illud de ceptro dixit quod Rabi Salomon diebat quod, per privilegia regalia, tam in Babylonia, quam in nonnullis mundi regionibus, iudei ceptrum eciam retinebant, scientes hoc verum esse tam per [istoriam?] quam per aliquorum dicta.

Ad hoc vero ultimum, respondit magister Ieronimus, sic inquit: Rabi Salomonem in aliquo suo tractatu, quod iudei in aliqua parte mundi ceptrum retinerent, nullibi penitus scripsisse. Si autem dictus Rabi Matathias sustinendum asserebat, librum in quo dictus Rabi Salomon hoc scripserat, hoc in medium absque mora exhiberet, et tunc fides ei daretur in suo dicto. Tunc dictus Rabi Matathias dixit satis prolixè, ad hoc: superiora se respondisse constabat et quod nichil ad presens sciebat respondere, tamen ex superius dicto minime se conclusum cognoscebat.

### [CODICE GERUNDENSE]

Tunc autem, ad probandum prefatos iudeos conclusos, et in hac conclusione, scilicet, Messias natus est, venit et manifestatus est, convictos fuisse, dictus magister Ieronimus, a principio, auctoritates argumentaque prefata repilogavit, scilicet, illam ubi describitur (2): «legitur in studio Helie, etc.», et narrationem arabis cum iudeo arante (3), textumque illum «non auferretur ceptrum» (4), etc., cum auctoritate Rabi Rahamon in libro Genesis magni (5), quomodo per quadraginta annos ante secundam templi destructionem in causis criminalibus iudiciis fuerit ablata iurisdictio (6), et qualiter tunc ruperunt vestes suas dicentes: heu nos, quoniam est ablatum ceptum de Iuda, et filius David nondum venit. Item textum Isaie (7) «antequam parturiret perperit» cum sua caldaica translacione. Ex quibus concludebat qualiter iudei in

(2) Sanh. 97a.

(3) J. Berakot, 5a.

(4) Gen. 49,10.

(5) *Pugio*, p. 872.

(6) Sanh. 41 a; J. 'Aboda Zara, 8b.

(7) Is. 66,7.



principio Messiam natum cognoverant; et deinde qualiter probaverat Messiam venisse et manifestatum fuisse; et si alia dicere nolebant, ex hinc dictus magister Ieronimus finaliter super presenti informacione concludere intendebat, dictis quidem iudeis in hac conclusione, scilicet, quod Messias natus est, venit ac manifestatus est, sufficienter informatis. Dictus Ieronimus dicta pariter, et dicenda, cum maxima humilitate Sanctissimi domini nostri Pape examini, correccioni, ac determinationi, devote submissit.

Post hec vero magne auctoritatis ac litterature vir, magister generalis ordinis predicatorum, de licencia prefati domini nostri Pape, dictis iudeis sic alloquitur, sub his verbis: Mirandum enim est de vobis iudeis cum videritis ac per scienciam quam habetis utique cognoveritis, ac cognoscatis, nedum literati, verum eciam simplices laici et illiterati per rationes cognoscunt naturales, vos per allegaciones, rationes et informaciones per magistrum Ieronimum super articulis, punctis ac proposicionibus, contra observancias et pertinaciam vestras, vobis factas ac bene et sufficientissime formatas, vos esse convictos ac manifeste conclusos [E + et non veremini negare vos esse conclusos]. Ex quo arguam sic. Aut enim scitis, et non vultis respondere, aut nullo modo scitis. Unum quidem istorum oportet vos concedere, cum nulla sit aliasi vobis evasio, et non sit dare medium.

Tunc Rabi Moises 'Abenhabet' [E. Abenhabeç] inquit ipsos rationibus dicti Magistri Ieronimi satis respondisse, ac eisdem satisfecisse, et sic responsione ampliori eis minime opus erat.

Cui dictus magister generalis ordinis predicatorum sic affatur: Vos et rationes vestre dicto magistro Ieronimo, eiusque dictis, seu suarum conclusionum rationibus, inverecunde contrariatis. Ergo convenit vos eisdem respondere, aut sibi easdem confiteri, cum inter cetera, et licet Messiam natum esse manifeste ac lucide probatum fuerit, Rome vel in paradiso esse, per vos superius concessum, verumptamen oppositum cum pertinaci ac notoria perfidia dicere conamini ac substinere; et sic videtur vos non esse immunes a vicio contradiccionis; verum eciam vobismet ipsis obviatis ac repugnatis: primo quidem Messiam natum esse cognoscitis, ac ore proprio fatemini; et subsequenter quod in hoc non estis conclusi, ac eciam quod non sit natus probare ac substinere laboratis. Et sic quod nolitis informari, concludi potest manifeste, sed per contradicciones, perfidias manifestas, oppinionesque erroneas, et cuiuslibet vestrum intenciones vento agitatas, cunctis viribus conamini substinere.

Deinde, postquam dictus magister generalis verbis suis finem posuit, non modicus murmur fuit inter iudeos, nonnullis ex eis Messiam

natum fuisse ac venisse negantibus, verum eciam hoc eis fuisse probatum negarunt.

Preterea dominus noster Papa, [E. + ad] variacionem iudeorum circa superius dicta pariter et dicenda non immerito evitandam, veluit, ac mandavit, quod, super hoc, ut primitus, reinciperent a principio omnia que huiusmodi informacionis. Deinde agenda super presenti materia ponerentur publice in scriptis, et quidquid dicendum, proponendum, arguendum, vel respondendum foret, una pars alteri, et e contra, in scriptis sibi invicem condonarent, honorabili ac discreto viro domino Nicolao Cunil notario apostolico iniungendo quatenus hoc suum mandatum seu ordinacionem in scriptis auctenticis redigeret, reverendis patribus ad dominis cardinalibus (Vat. y E. + prelati ceterisque pluribus viris 'nobilibus' [E. notabilibus]), clericis, laicis, ac multa iudeorum copia ibidem presentibus.

## SESION X

DIE AUTEM LUNE, vicesima septima februarii, eiusdem anni, ante conspectum domini nostri Pape, in omnium presencia reverendis, simorum Cardinalium eiusque sacra Curia, presentibus iudeis, dictus magister Ieronimus comparuit proponens sub hiis verbis:

Et licet hec conclusio, scilicet, Messiam venisse, sit per se nota, et per testamentum vetus ac novum satis probata, verum ad iudeorum eam negantium plenioram informacionem, adhuc per quamdam auctoritatem probare conabor, scriptam scilicet in quodam libro vocato *Havodazara*, capitulo *limpuchem*, et in Sanhedrin capitulo *col Israel*, ubi dicitur sic (1):

«Legitur in studio Helie: sex mille anni est mundus: duo milia de vanitate, duo milia de lege, duo milia dies de Messia.»

Per quam quidem auctoritatem manifeste apparet quod quatuor mille annis a creacione mundi elapsis, Messie adventus debuit sequi incontinenti. Et dictum tempus est elapsum, et ultra eciam mille et centum septuaginta et tres anni.

Ergo non est dubium, ymo certum, Messiam diu venisse iam.

Et esto quod iudeus dicat prefatum tempus adveniendi Messiam esse prefixum, tamen propter peccata meruit dilatari, cum idem doctor dictam proponens auctoritatem dicat, allegans eandem rationem (2): «propter peccata que multa sunt», etc. Respondeo quod hec addicio non sunt verba Helie.

Quod triplici constat racione. Prima quoniam Helias, qui dixit seu revelavit dictam summam, multo diu fuit antequam duo mille anni

---

(1) Sanh. 97a. Cf. *Pugio*, 394.

(2) Sanh. 97b.

inciperent de Messia, et per consequens non poterat ipse dicere: «et propter peccata nostra», etc.

2.<sup>a</sup> quoniam esto quod iudei negarent istum esse Heliam prophetam, sed aliquem doctorem tempore Talmut tunc existentem fuisse concederent, ipsi tamen habent compulsi asserere istum ante compilationem Talmut fuisse, cum alias compilatores auctoritatem suam in Talmut minime posuissent. Dicta namque addicio nisi pro magna temporis diuturnitate post compilationem talmudicam non valet intelligi, quoniam ubi est hec auctoritas, in libro, scilicet, Havodazara, dicitur sic: «et per peccata nostra, que sunt plurima, iam sunt profluxi ex eis octingenti tres». Et in Sanhedrin dicitur: «iam sunt elapsi sexcenti viginti et duo». Quod nisi magno tempore ultra post compilationem talmudicam, nequit locum habere; ymo verius quod aliquis rabinus per tempus iam elapsum se videns artari, post compilationem prefatam habuit verba prefata scribere, et sic oportet de necessario intelligi.

3.<sup>a</sup> vero ratio, Isaias enim loquens de Messia et de salvacione, dixit capitulo LX (3): «Ego Dominus, hora sua, accelerabo eam». Super quo talmudiste hoc declarantes inquirunt (4): «Si merita fecerint accelerabo eam; si vero non fecerint, hora sua erit». Ex quo videtur quod propter aliqua bona merita populi, poterat anticipari, aut ut sancti patres lumine glorie privati in limbo inferni iacentes misericordiam consequerentur; et, quamvis indigni fuissent, ultra tempus prefinitum iam non poterat dilatari. Et constat illud fuisse prefinitum. Ergo vere concluditur Messiam iam diu est venisse; quod est propositum.

Ceterum aliqui dicunt duo mille annos de Messia sic debere intelligi, scilicet, quod infra duorum mille annorum ultimorum curriculum debebat venire Messias, quocumque tempore veniret, cum non sit vis eius adventum in principio huiusmodi millenarii esse vel non. Hec autem opinio nullum potest obtinere locum, duabus rationibus. Una siquidem quia si hoc veritate polleret tempus legis esset ultra tres mille annos, cum ex quo duo millenaria legis inceperunt, usque nunc, ultra tres mille anni sint elapsi. Igitur prefata auctoritas veritatem minime contineret.

2.<sup>a</sup> ratio: reperimus quod doctor in Talmut vim non modicam fecit ut quelibet duo milia supradicta, tempore et loco debitis, eorum congruum initium, finemque debitum, obtinerent.

Itaque duo milia de vanitate a mundi creacione suum haberent [E. + principium] et secundum opinionem doctorum debent necessa-

(3) Is. 60,22.

(4) Sanh. 98a. Cf. *Pugio*, 395.

rio in fine duorum mille annorum terminari. Subsequenter incontinenti, alia duo milia de lege, post finem primorum duorum millium, iniciari; adeo quoniam hoc doctoribus iudeorum talmudistis disonum videbatur, secundum eorum iudicium, cum a tempore dacionis legis bis mille quadringenti quadraginta et octo anni effluerant, habuit declarare duo milia de lege a tempore quo Abraham ad predicandum verbum divinum moram traheret in Haram iniciata fuisse; et supradicta auctoritas pari forma censeatur, in dubium minime vertitur quod sicut duo prima millenaria, de vanitate scilicet et de lege, debita propria habuere principia, sic et tertium, scilicet, de Messia millenaria immediate post finem duorum mille annorum de lege, debent collocari. Ex quo clare sequitur glosam pefatam nullatenus locum habere.

Fateor enim sensum esse auctoritatis quod duo mille anni primi de vanitate dicantur quasi dicat quod gentes tunc temporis lege naturaliter viverent et regulariter. Quibus finitis, lex scripture, que divina lex dicitur, superveniret, per alios duo mille annos duratura, a tempore quo Abraham populum ad Deum provocabat, eiusque unicam fidem eis predicabat. Non enim est sensus quod, lege adveniente divina, legem nature cassaret, cum adhuc in nonnullis regionibus e mundi lege nature regulentur, atque regantur, sed ut a nobiliori debeat fieri denominacio. Ad idem, duobus mille de lege scripture completis. Messie tempus immediate sequeretur, et lex gracie inciperet, et non propter hoc lex scripture penitus de medio tolleretur, sed ut Messie lex superveniret.

Per consequens, cum illorum duorum millium annorum ultimorum plusquam mille anni sint elapsi, ab inicio eorundem computando, in eius inicio Messias erat venturus, ut fuit probatum. Ergo verum est Messiam iam venisse.

Dicta tamen addicio, in qua dicitur quod, propter eorum peccata, Messias nondum venit, 'possunt' [E. potest] verificari in nolentibus eum cognoscere, quoniam propter peccata eorum, que, in verum Messiam non cognoscendo, cotidie commiserunt atque committunt, nondum dicitur ad eos Messias venisse. Sed ad eos qui eum cognoverunt, cognoscunt credunt, eiusque doctrinis obediunt, procul dubio dicitur iam venisse. Ex quibus iudeis, una cum multitudine gentium extraneorum ad dictum verum Messiam et eius catholicam fidem concurrentibus, conversis, ac per manus apostolorum, precipue beatorum Petri et Pauli, atque prothomartiris Stephani baptizatis, christianitas, ut clara prophetarum patet auctoritas intuenti, populus novus et gens una resultat.

Et in eadem instancia, ex parte iudeorum, presentata fuit scriptura sequens:

Iudeus autem volens explicare credulitatem suam, Sanctissimi domini nostri Pape Benedicti XIII cupiens obedire mandatis, in aliquo contra fidem christianam minime derogare ac contravenire intendens, ut ipse protestatus est ac protestatur, quod si in aliquo fortassis ipsum convinci contingat, illud ex sui debilitate intellectus, ex defectu sui que sciencie, magis quam ex articulorum suorum, quos celebrat inconcusse, credit pervenire. Eciam si, quod absit, in aliquo contra fidem mosaicam, glosas super precepta et cerimonias eiusdem seu earundem, per doctores talmudistas factas, venerit, illud seu illa nunc pro tunc, et e contra, ut irrita censet, cassat et annullat, et vult pro non dictis haberi, cum protestacionibus supra dictis, cumque humillima reverencia debita Beatissimi domini nostri Pape sui que Sacri Collegii, et cum magistri Ieronimi de Sancta Fide 'proponens' [E. opponentis] debito honore loquendo, racionibus in quadam cedula per dictum magistrum Ieronimum presentata contentis respondet sub forma sequenti:

Primo enim magister Ieronimus hanc conclusionem, scilicet, Messiam venisse, pesuit esse versam, dicens per Vetus Testamentum, etc., satis probari. Iudeus vero respondens, istam proposicionem *Messiam venisse*, negat, asserens oppositum, scilicet, istam fere veram: *Messiam nondum venisse, sed bene venturum esse*. Hoc ideo, quoniam Deus populo israelitico, post infortunium sue captivitatis, dispersiones eius congregare et de captivitate in qua eran [E. + ad] possidendum terram quam patres sui possederunt revocare promisit, Deuteronomio trigesimo capitulo legitur, ubi dicitur (5): «Cum venerint super te omnes isti sermones: maledicchio quam proposui in conspectu tuo; et ductus penititudine cordis tui in universis gentibus in quas dispersit te Dominus Deus tuus, et reversus fueris ad eum, obedierisque eius imperiis, sicut ego precipio tibi hodie, cum filiis tuis in toto corde tuo, et in tota anima tua, et reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua, et miserabitur tibi, et rursus congregabit te, et eciam si ad cardines celi fueris discipatus, etc., atque introducet te, etc.»

Hec autem promissio in adventu Messie debet adimpleri, ut dixit Ezechiel, XXXVII capitulo (6): «Et faciam eos in gentem unam, et servus meus David rex, etc., et habitabunt super terram quam dedi servo meo Iacob, in qua habitaverunt patres vestri, etc.» In capitulo XL (7): «Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eo quod translulerim eos in nacionibus, et congregaverim eos super terram suam, et non derelinquam quemquam ex eis ibi.»

Insuper per diversas prophecias apparet quod cum ad terram pro-

(5) Deut. 30,1-5.

(6) Ez. 37,22. 24. 25.

(7) Ez. 39,28.

missionis captivitas Israel reducetur, civitas et templum edificabitur, teste Ieremia, capitulo XXX et XXXI, et Ezzechiel, capitulo XL usque ad capitulum XLIII, in quibus innumera specialia de templo et levitis, aliisque ministris narrantur, que non nisi materialiter intelligi valent; et sequitur in fine (8): «Et custodient figuram eius, et universas ceremonias eius», ac multa in diversis proheciis expressa que debebant sequi in tempore adventus Messie, et de congregacione captivitatis. Et cum 'hoc' [E. hec] usque ad diem presentem minime fuerint, iudeus firmiter credit et asserit Messiam nondum venisse, sed etiam venturum esse. Ideo ipsum expectat.

Ulterius dictus magister Ieronimus, ad probandum eius intencionem, quamdam allegavit auctoritatem, in libro Havodazara, capitulo primo scriptam, ubi dicitur (9): «Legitur in studio Helie: sex mille anni est mundus», etc. Hanc enim auctoritatem, et quam plurimas alias similes, quas in pluribus locis libri Talmut, velut fabulosas, iudei nec auctenticas nec auctorizabiles iudicant; et ideo, quamvis prima facie contra iudei opinionem venire videantur, aut veniant, licet sicut auctorizabiles, minime convictus ex inde est censendus iudeus, presertim cum ea que fabularum sunt contentiva, talia sint, quod ex sui natura, singularem expositionem requirunt. Et ymo, protestacione premissa, respondet iudeus quod huic verbo vel simili, nullatenus fidem prestare tenetur, et quod doctor prefatam scribens auctoritatem in mundo triplicem statum esse: unum, scilicet, vanitatis, qui ab inicio fuit; alium legis, qui in medio; aliumque Messie, qui in fine, deberet esse presumebat. Hinc est quod tempus duracionis mundi per partes equales in hunc statum triplicem est divisum. Ex quo sequitur quemlibet predictorum statuum trium, per duos mille annos durasse, aut fore duraturum, cuius motivum et ad hoc credendum fuit inductivum, quoniam vidit primum statum hoc modo fuisse divisum, cum duo mille anni legis a tempore quo Abraham Dei fidem predicare cepit, connumerentur. Ideo doctor prefatus annos Messie duos mille fore debere dicebat, et propter peccata hanc a nobis prosperitatem, quam rationabiliter habere debebamus, subtrahencia, conquerendo locutus est: «et propter peccata nostra, que sunt plura, sunt extra illi qui sunt extra». Et ideo, termini hic signati non erant certitudinaliter, sed oppiniative, et presumptive dicti. Hec quidem est intencio Rabi Salomon. Et hoc ideo, quoniam finis adventus Messie, nisi soli Deo, cunctis hominum nacionibus est occultus: adeo quod Daniel dixit (10): «Ego audiebam, et non intelligebam. Et dixi: Domine mi,

(8) Ez. 43,11.

(9) Sanh. 97a. Cf. *Pugio*, 394.

(10) Dan. 12,8-9.

que est finis huius?». Et 'rursum' [E. responsum] accepit (11): «Vade, Daniel, clausa et signata sunt verba hec usque in finem.»

Verumptamen prefatus magister Ieronimus dixit quod verba dicentia: «et propter peccata nostra, que plura sunt», etc., non verba Helie, cui auctoritas est attributa, ubi dicitur «legitur in studio Helie».

Et ad hoc probandum triplici ratione fulcitur: prima, quia Helias, etc. Respondet iudeus hic quod Helias non est propheta, sed doctor quidam talmudista, quod probatur cum incontinenti sequitur (12): «dixit Helias ad Rabi Iehudam, fratrem Rabi Çile, dictus bonus». Et sic non possumus dicere quod hic sit Helias propheta, quoniam ab eo usque ad Rabi Iehuda plusquam sexcenti anni preterierunt. Preterea reperimus in libro vocato Peçahim: «Legitur in studio Helie, et quamvis dixit Rabi Haquina: fac de tuo sabbato feriatum», etc., ex quo clare potest hunc Heliam prophetam non fuisse.

Item prefatus magister Ieronimus aliam facit rationem dicens quod posito quod dicant, etc. Respondet iudeus quod hoc verbum «et propter peccata nostra», etc., reperitur in omnibus libris del Talmut in isto dicto, «legitur in studio Helie: sex mille anni est mundus», etc. Et hic numerus annorum, quem ipse posuit in libro Havodazara, ubi dicit quod reperiuntur octo centi tres, in Sanhedrim sexcenti et viginti et duo, in libris auctenticis minime reperiuntur. Et esto quod in aliquibus reperiuntur, hoc fuit per apostillam aliquorum rabinorum predictam auctoritatem actu legencium, et fortasis per aliquos scriptores intus originale incorporatam. Et ideo numeri reperiuntur diversi cum quibus illum numerum annorum, qui de illis duobus mille annis Messie in tempore vite doctoris deficerent, superaddebat. Et Rabi Salomon, in glosa sua, dicit: «iam sunt extra qui sunt extra». Ex quo sequitur quod in textu non erat aliquis numerus. Et in libro vocato Havodazara, in lectione sequenti post istam auctoritatem, duo videntur: Unum, quod illud verbum «et propter peccata nostra» dixit idem doctor, et in 2° verbo, nullum numerum addidit.

Item magister Ieronimus allegat terciam rationem, quod Isaias loquens de Messia, etc. Respondet iudeus quod auctoritatem Talmut dicentem (13): «si fuerint digni accelerabo eam; si indigni, veniet hora sua», non obligatur iudeus eam habere auctenticam, ut supra est propositum, presertim cum illa auctoritas, ubi est, impugnatur per alios doctores. Tamen, hoc non obstante, iudeus respondet quod auctoritas dicens «si non fecerint opera meritoria suo tempore veniet», specialiter di-

(11) Dan. 12,9.

(12) Sanh. 97b.

(13) Sanh. 98a. *Pugio*, 395.



xit (14): «si non fecerint opera meritoria», quasi dicat quod si non fecerint opera meritoria, quod Messias tempore per Deum predestinato veniet. Verumptamen non dixit quod, si peccarent, quod veniret hora sua; ymo, secundum rei veritatem, propter peccata poterat retardari. Et idem doctor dicens quod propter peccata nostra, que sunt plurima, inquit quod propter peccata excessiva, Messie adventus retardabatur. Ideo hec due auctoritates in nullo sunt repugnantes.

Item prefatus magister Ieronimus dicit quod aliqui iudei auctoritatem prefatam aliter exponunt, etc. Dictusque magister Ieronimus aliam recitat glosam, quam iudei in allegata per eum auctoritate faciunt.

Et ut melius intelligatur sensum dicte auctoritatis, iudeus vult secundum glosam predictam copiosius exprimere. Et est hoc: hic enim doctor dicebat vanitatem ultra duo mille annos ab inicio mundi minime duraturam aliquatenus, sed quod in fine dictorum duorum mille annorum, per aliquam divinam doctrinam, vanitas deleretur. Et infra duos mille annos sequentes lex dari debebat, et quod, ante prefatum tempus, nec lex dari, nec omnes duo mille anni elabi poterant. Verumptamen, primo die horum duorum mille annorum, aut in medio eorum poterat dari, cum omnes anni istorum duorum mille annorum ad legem dandam erant dispositi. Et quod, infra duo mille annos ultimos, quocumque tempore ipsorum dato, debebat venire Messias, quoniam omnes duo mille anni erant ad veniendum Messiam dispositi. Et ante tempus istorum duorum mille annorum venire, nec ipsi, sine Messie adventu, elabi poterant. Et essent tunc ista duo milia integre de Messia. Vel venire poterat in medio, et tunc non essent duo milia integraliter de Messia. Tamen in primo die istorum duorum mille annorum veniendi sibi erat potestas.

Propterea contra istam rationem dictus magister Ieronimus arguit duobus mediis. Primo quia [E. + si] sic esset, sequeretur, etc.

Respondet iudeus hanc obieccionem locum hic non habere, cum actoris intencio non fuerit annorum legis duracionem, cum debuerit esse perpetua, sed solum tempus ad eius dacionem dispositum, limitare; quod quidem tempus, sine legis donacione, nequibat preteriri. Quod quidem tempus erant duo mille anni secundi, post duos mille annos primos sequentes, infra quod exhibitio legis fieri debebat; quod quidem, tempus dacionis legis vulgariter appellatur.

Alia racione, magister Ieronimus arguit sic: Reperimus enim doctores in Talmut magnam vim fecisse, etc.

Respondet iudeus quod actorum intencio non erat legem in principio duorum mille annorum suum habere principium, sed solum in

quantum vanitatem ultra duos mille annos proprios minime duraturam auctoritas asserebat. Quod clare patet specculanti, cum usque duos mille quadringentos quadraginta et octo annos legis dacio non fuerit. Et per consequens, auctoritas ponens vanitatem ultra duos mille annos minime duraturam, vera non 'est' [E. esset]. Ideoque dicere debuerunt quod, quamvis legis dacio usque duos mille quadringentos quadraginta octo annos non fuerit, 'vanitas in fine tamen' [E. vanitas tamen in fine] duorum mille annorum, ab inicio mundi, cessavit. Quoniam ad tollendam vanitatem, eciam lege non existente, sufficebat quam Abraham tunc predicabat doctrinam.

Hec enim sunt per que iudeus, respondens super prefata auctoritate, se credit sufficienter demonstrasse predictam auctoritatem Messiam venisse non probare, suam confirmando oppinionem; quam nedum ipse, nedum sui predecessores, nedum patriarche, nedum prophete, verum eciam multi antiqui doctores auctentici et moderni, qui ipsum iudeum successive informatos de hac hereditarunt conclusione, Messias, scilicet, nondum venit: quam firmiter iudeus credit, et a qua minime recedere proponit.

## SESION XI

DIE VERO MERCURII, prima mensis marci, anno quo supra, prefatus magister Ieronimus, contra responsum per iudeos factum replicuit hoc modo, dicens:

Prefatam responsionem sex puncta continere:

Primo, ad presumendum nondum Messiam venisse, iudeos aliquas prophecias allegasse.

2.º ipsos dictam principalem auctoritatem per dictum magistrum Ieronimum allegatam glosasse.

3.º ipsos Heliam prophetam predictae auctoritatis auctorem non esse dixisse.

4.º illud sequens, scilicet, «propter peccata nostra», etc., ut ipsi asserunt, temporis explicativum minime fuisse.

5.º Verbum per Isaiam dictum (1): «Ego Dominus, tempore suo accelerabo eam», ut ipsi allegant, non sic intelligi debuisse.

6.º Ad principalem auctoritatem Helie ipsos iudeos glosam novam fecisse.

Hec apud intuentem sex quidem puncta in dicta eorum responsione contineri videntur. Contra que, almifica tribuente gracia, sufficientissime replicare conabor.

Contra primum enim, in quo prophecias, quibus Messiam nondum venisse dicunt, conantur adducere, quod accidit ex defectu non intelligendi verum sensum dictarum propheticarum. Dico quod contra illud non expedit aliquid dicere, cum sit amittere negocium principale, scilicet, auctoritatem Helie et sententiam, per quam patet, clarius luce, Messiam iam venisse, post cuius adventum mille anni et ultra præterierunt. Hac tamen conclusione elicitæ, et si vosmet ipsos taliter quod

---

(1) Is. 60,22.

gracia Dei possit eidem inhabitare ad veritatis cognicionem disposueritis, tunc, ut propriis sensibus ac veris, modo quo debet, intelligere valeatis prefatas prophecias, gracia divina favente, ad vos magis contentos reddendos, declarabo.

Secundum vero punctum, allegatam tangens auctoritatem, quod presumptive non autem assertive loquebatur, etc., et ideo dicebat doctor annos Messie mille, etc., esse debere. Contra quod dico non sine multa admiratione esse quemquam prefatam auctoritatem eo modo intelligere. Quod probo duabus rationibus:

Prima, quoniam doctor in eadem auctoritate non loquitur dubitative vel presumptive, nec verba auctoritatis non probant ipsum dixisse quod anni Messie deberent esse duo mille, sed ideo dicit sententiando et ratificando, dicens (2): «sex mille anni est mundus, duo mille de vanitate sunt, duo de lege, et duo mille de Messia». Et non dicit *debebant esse*, si non sunt, quoniam istud verbum *est*, primo positum, coniungi vel refferri videtur cum omnibus tribus sententiis cuiuslibet duo millenarii. Et sententiam dare super uno simili sicut est hoc, quod est unus tredecim articuloꝝ fidei iudeorum, non debet hoc esse cum verbis dubiis, sed cum certis ac magne firmitatis et vallitudinis; non enim est minoris difficultatis hec questio quam questio de ovo in die festivo nato, super quo in Talmut non parva apud iudeos vertuntur dubia, si illud licet comedere in die festo, an non; et ibi super hoc aliquid dubitative vel presumptive doctores talmudiste determinare aborrent, sed tantum assertive; quanto minus in hoc, quod est vere fidei articulus, dubitative sive presumptive aliquid minime asserere debuerunt.

Dicit ulterius iudeus: et hoc ideo quoniam finis adventus Messie est quid secretum, etc. Dico quod ymo est totum oppositum, quoniam in IX capitulo Danielis, ubi de septuaginta loquitur ebdomadibus, in quibus Messie facta continentur, non dicitur aliquid occultum fuisse Danieli, sed totum oppositum. Angelus enim dixit (3): «Nunc egressus sum ad dandum tibi intelligendum». Item (4): «Venio ad indicandum tibi: intellige sermonem». Item (5): «Scies et intelliges: ab exitu sermonis». Quoniam totum hoc docet evidenter angeli et Danielis fuisse intencionem, quod haberet plene intelligere. Et textus quos ipsi allegant, ubi dicebat Daniel (6): «Et ego audiebam et non intelligebam»; item quod dixit angelus (7): «Vade, Daniel, quoniam clausa est et 'signata'

(2) Sanh. 97a.

(3) Dan. 9,22.

(4) Dan. 9,23.

(5) Dan. 9,25.

(6) Dan. 12,8.

(7) Dan. 12,9.

[E. sigillata]», sunt verba in alio capitulo ubi loquitur de mundi fine et de resurrectione.

Secunda ratio, quoniam doctor iste, aut habuit hanc presumptionem et cogitationem antequam duo mille anni Messie inciperent, aut post. Si ante, tunc quidem «propter peccata nostra», etc., dicere nequivit, cum tempus nondum fuerit, et erat possibile Messiam statim venire in principio duorum mille annorum. Si vero post habuit, sequitur quod presumebat seu cogitabat illud cuius oppositum ad oculum videbat; hoc quidem nil aliud esset nisi, ut puta, quis diceret: «presumo regem in medio mensis februarii esse Dertuse, sed non est». Cum hoc esset vaniloquium. Ex quo necessario sequitur glosam illam super dicta auctoritate, per vos iudeos factam, locum aequaliter non habere.

Tercium super dicta auctoritate punctum, quoniam illum non fuisse Heliam, sed doctorem quemdam talmudistam probabam, etc. Contra hoc dico quod propter loqui cum Rabi Iehuda, vel cum Rabi Aquiba, non sequitur ipsum non esse prophetam, quoniam secundum omnium opinionem, ipse et Enoch sunt in corpore et anima in paradiso terrestri, et intelligunt talmudiste quod frequenter apparebant multis rabinis talmudistis eis colloquentes, futuraque adnunciantes, ut puta sicuti Rabi Hosue, filio Levi (8), et quibusdam aliis. Item in libro Yoma, capitulo *VII dies* (9), dicitur:

«Helias dixit Rabi Iehuda: dicitis cur Messias non venit, etc.»

Ex hoc manifeste videtur hunc fuisse Heliam prophetam. Et ideo ex hoc, per te iudeum, superius dicto, non sequitur ipsum non fuisse Heliam prophetam, sed illud ipsum esse confirmat.

Quartum. Quod dictum ultimum, scilicet (10), «et propter peccata nostra», etc., in quo non fuit certus numerus annorum, dicunt iudei prefatum numerum annorum in suis codicibus non reperiri auctenticis, et si in aliquo reperiri contingat, hoc per aliquos rabinos fuisse, etc. Ad quod respondit quod paratus erat ostendere, quod et de facto statim dictus magister Ieronimus in presencia omnium ostendit, et dictam auctoritatem ubi erat illa cauda diversimode collocata docuit, quoniam in aliquibus libris repertum est «et propter peccata nostra iam sunt extra sexcenti triginta tres»; et in quibusdam «septingenti et quatuordecim anni»; in quibusdam aliis «otocenti et tres»; in quibusdam vero non est numerus, sed dicitur «iam sunt extra qui sunt extra». Hee igitur variaciones necessario ostendunt caudam in dictis codicibus adiectam non fuisse de essentia dicte auctoritatis, cum dicta auctoritas assertive loquatur, 'et' [E. in] nullo vacillando. Huius autem vacillatio-

(8) Cf. Sanh. 98a.

(9) Cf. *Pugio*, 396.

(10) Sanh. 97b.

nis signum est, cum quilibet Rabi hanc leccionem legens, defectumque manifeste videns, secundum annos qui defficiebant usque ad se, scribebat dicens «propter peccata nostra iam sunt extra tot»; magister vero Salomon, post istos veniens, et attendens prefatos rabinos ista compota temporatim variare, et in tempore suo alium numerum multo maiorem quam aliquem predictorum numerorum esse, aliumque servans modum, scilicet, non assignando tempus certum, deffectu annorum, palliatis verbis, locutus est dicens: «et propter peccata nostra sunt extra qui sunt extra».

Quintum enim est impugnare quod super propheta dicitur Isaie LX° capitulo (11), ubi habetur: Respondet iudeus quod si non fecerit opera meritoria veniet hora sua, signanter dicitur si non fecerint opera meritoria, quasi dicatur, etc. Dico quod verba auctoritatis sunt hec: *zacu*, quod idem es «*si sunt digni*», et *lozacu*, id est, quod *non sint digni*. Et dicitur quod si fuerint digni, quod anticipabitur salvatio; sed, si fuerint indigni, veniet tempore suo (12). Et in hoc verbo «*si fuerint indigni*» evidenter intelligitur dignitatis privatio et demencia, et hoc necessario verificari debet, et eciam intelligi, ipsis existentibus in peccato. Item, per vos est concessum quod, iudeis opera meritoria non facientibus, moram non faceret; ergo sequitur quod, mandata legis non observando, moram non faceret, quoniam tota causa huius more est legis non observatio. Sed hec causa per vos iudeos non impedit. Ergo, etc.

Et ad veritatem racionabiliter loquendo, numquam in tempore templi secundi nec post fuerunt tales nature peccandi propter quas adventus Messie ultra tempus debitum differretur, cum ydolatria, 'vel' [E. nec] homicidium prophetarum, nec adulterium, sicut in primo tempore. tunc temporis fuisset, et eciam cum a mille citra annis quibus estis in captivitate; que quidem captivitas ex odio et incognitione quam iudei antiqui contra Messiam verum habuerunt, vobis quidem in eadem perseverantibus perfidia ac pertinacia, non est dubium 'pervenisse' [E. provenisse]. Verum secundum opinionem vestram, secundum quam creditis non sic esse, dicentes vos in illo aliquatenus non peccare, et legem mosaicam non infringere, sed eam, ut debetis, observatis per doctrinam talmudicam, non sine magna admiratione esse videtur quod, si ita esset, que sint illa peccata tam nephanda ad impediendum adventum Messie sufficiencia eum ultra terminum suum pretaxatum transgredi faciendum.

Certum enim est quod si doctrina talmudica vera esset numquam hactenus, sicut modo, fuit ita immobiliter observata, cum non sit in

(11) Is. 60,22.

(12) Sanh. 98, a. Cf. *Pugio*, 395.

mundo iudeus qui contra cerimonias talmudicas, tam cultu festivitatum, tam in ciborum prohibicione quam in aliis cerimoniabus audeat aliquid attemptare, propter quod nonnulli iudeorum eligerent se potius perimi quam infraccionem cerimoniarum talmudistarum consentire. Si vero ad veritatem sustinendam faceretis, in peccato graviore vos dyabolo minime detinente, quomodo fieri potest quod pius ac misericors Deus, ut educeret vos de iugo tante captivitatis in qua estis positi, a vobis, propter peccatum minimum, faciem suam averteret?

Ex quo oportet vos dicere nullam causam esse, propter quam salvationis tempus debuit retardari, et ultra prefinitum terminum prorrogari. Et cum eius terminus prefinitus in inicio duorum mille annorum ultimatorum, ut plene ac clare patet per verba Helie, et ex illo tempore mille anni sint elapsi et ultra; igitur plusquam mille anni sunt quibus certum est venisse Messiam.

Punctus vero sextus est de glosa nova quam ipsi faciunt super dicta auctoritate, dicentes: Ut melius tamen intelligatur iudeus curat etiam complete exprimere, etc., et est hoc, quoniam doctor iste dicebat vanitatem pro aliqua re mundi ultra duos mille annos primos minime duraturam.

Dico ista verba fore heretica dupplici ratione: Primo quia sunt contra potenciam divinam; certum enim [E. + est] Deum posse facere tempus ulterius durare. 2.º quia sunt contra liberum arbitrium, cum homines poterant plus continuare peccata, et per consequens, vanitatis tempus ulterius durare.

Preterea dicunt iudei: In secundis duobus mille annis legis dacionem fieri debuisse, et ante non, etc.

Dico quod hoc verbum «*et non ante*» similiter duo continet inconveniencia superius dicta, scilicet, contra divinam potenciam, et contra liberum venire arbitrium. Possibile enim fuit divine misericordie ante prefatum de lege divina generi humano, ex infusione sue mere gracie, providere, aut ipsos propriis meritis ad hoc esse dispositos.

Uterius michi dicitis: poterunt duo mille anni sine legis dacione preterire.

Respondeo hec verba divine potencie ac libero hominis arbitrio etiam repugnare. Et generaliter secundum fidei catholice ac hebraice opinionem, hanc glosam super pravitates hereticas notorias apparet manifeste fundari. Nichilominus dicitis omnes duo mille annos ut veniret Messias esse dispositos, et quod non poterat ante venire. Dico quod verba hec, predictas hereses saltem continencia, dictis rabinorum talmudistarum sunt manifeste repugnancia, cum in Sanhedrin, capitulo ultimo, dicitur quod Deus voluit Ezechiam facere Messiam,

et venit virtus iudicialis coram Deo, dicens (13): «O Domine mundi, David qui fecit tot carmina non fecisti Messiam et Ezechiam facies Messiam?, etc.» Videtur ex hoc Messie adventum ante duos mille annos anticipari posse fuisse possibile, et, per consequens, dictam glosam locum hic nullum habere .

Et finaliter ex istis est satisfactum omnibus glosis et argumentis. Et ideo dicta auctoritas debet simpliciter intelligi modo quo ad litteram est situata, ex qua Messiam venisse concluditur ac manifeste.

---

(13) Sanh. 94a.



## SESION XII

IUDEUS vero, a protestacionibus prefatis non recedens, semperque cum humillima qua debet, scit et potest loquens reverencia sanctissimi domini nostri Pape, sui que Sacri Collegii, ac dicti magistri Ieronimi, ad replicam per eundem magistrum Ieronimum factam respondet forma sequenti:

Et primo, ad dictum in primo puncto quod ad illud quod dicit quod nichil ipsum oporteret respondere, cum sit in aliena materia se ponere, et principalem conclusionem omittere, etc. Respondet iudeus quod si hec conclusio per viam disputatoriam tractaretur, poterat ad ordinem disputacionis, quam pars alia ordinaret, remitti. Verum, quoniam hec est informacio, informator, ut melius dubia evellentur ab informato vel informando, sequi deberet informati vel informandi voluntatem, 'dixit Dicit Salomon' [E. y V. dicit enim Salomon], parabolis capitulo XIV (1): «cor cognoscit tristitiam anime sue», etc.

Dixit idem iudeus quod non intendit exire extra materiam; et hoc ideo quoniam hic articulus Messie originaliter est in lege Moysi, et in propheciis, et ideo debet semper intelligi cum condicionibus ibidem, ubi dictus tractatur articulus, inclusis, seu inventis; et cum dicte condiciones minime adimplete existant, videtur nondum venisse Messiam. Ideoque, cum aliquam auctoritatem talmudicam contingeret reperiri, necessarium est ad litteram et prima facie Messie adventus tempus assignari, et cum tempus illud fuerit elapsum sine hoc quod condiciorum adventus dicti Messie in propheciis expressatarum adimpleccio reperiat; illa ergo auctoritas, ut cum dictis propheciis concordet, merito debet glosari. Tunc enim in quantum cum dictis propheciis videtur concordare, fides dicte auctoritati solum non debet adhiberi.

---

(1) Prov. 14,10.

Ad id vero quod magister Ieronimus dixit, quod cum fuerimus in aliqua noticia, etc. Respondeo impossibile fore iudeo cognoscere verum esse, quod prefatus magister Ieronimus confitetur, neque esse ad illud dispositum, priusquam de primo puncto, ut iudeus contentetur, satisfecerit.

Ad secundum vero punctum dictus magister Ieronimus arguit duobus mediis: Primo, quod doctor in prefata auctoritate non loquitur dubitanter, etc. Respondeo, inquit iudeus, quamvis in auctoritate in qua dicitur «sex mille anni est mundus» non est expressa presumpcio, 'cum' [E. tamen] oportet sic intelligi, et hoc quoniam loquebatur de re futura et secretissima, hoc est de mundi duracione, et similiter de tempore adventus Messie. 2.º quia in hac auctoritate non est aliquis modus adiectus.

Item dictus magister Ieronimus in hoc secundo puncto inquit adventum Messie fore unum de tredecim articulis, et ideo ibi non debet dubitative loqui. Respondeo, dixit iudeus, Messiam debere venire, seu venturum esse, articulum fore legis. Sed tempus adventus illius assignatum esse, non est articulus fidei, sive legis. Doctor namque non in adventu, sed in eius temporis assignacione, loquitur presumptive.

Ad illud quod dicit in IX capitulo Danielis, adventum Messie revelatum fuisse clare Danieli. Respondet iudeus quod cum fuerit in illius prophecie informacione quod visum fuerit dicet, ostendens in eadem quod fuit declaratum Danieli, non tempus adventus Messie, ymo illud fuit sibi secretum.

Preterea super puncto magister Ieronimus facit aliam racionem, dicens doctorem hanc habuisse presumpcionem, etc.

Respondet iudeus prefatam auctoritatem post duo mille annos secundos, non determinando assertive, sed presumptive fuisse dictam per illum doctorem, qui sic dicebat: presumendum est Messiam debuisse venire in principio duorum mille annorum ultimorum, sequendo divisionem post quatuor mille annos elapsos, sed fuit retardatum propter peccata nostra, que sunt plura; et hoc esset per modum ac si diceretur presumpcionis: Dominus rex debebat esse Dertuse in medio februarii. sed fuit eius adventus retardatus propter impedimenta negociorum.

In secundo vero puncto intendit probare dictus magister Ieronimus illum fuisse Heliam prophetam, cui hec auctoritas est attributa, probacionibus iudaicis quas pro se iudeus induxit omnino contradicens. Ad quod respondet iudeus hanc disputacionem, scilicet, an hic Helias fuisset Helias propheta, vel non, inter partes interlocutorie supervenisse, et per dictum magistrum Ieronimum 'approbandum' [E. ad probandum] hec verba, scilicet, «et propter peccata nostra que sunt

plura», non esse verba auctoritatis, fuisse inceptam. Et ideo, esto quod hic Helias fuisset Helias propheta, nondum dictus magister Ieronimus suum probavit principale intentum, quoniam, ut ipsemet inquit, hoc verbum poterat dicere Helias per viam revelacionis, postquam magna pars duorum mille annorum fuisset elapsa. Et ideo non probatur hoc, scilicet, 'quod' [E. et] «propter peccata nostra que sunt multa», non esse de prefata auctoritate, esto quod dictator eiusdem esset Helias propheta. Verumptamen quod dicta auctoritas non sit Helie prophete semper iudeus intelligit, nec etiam magister Ieronimus probat ex hoc quod actor huius auctoritatis sex mille annorum fuisset Helias propheta.

Item ex auctoritate de Yoma quam prefatus magister Ieronimus allegavit inquires: «Dixit Helias ad Rabi Iehuda: dicitis quare non venit Messias?», etc., due oriuntur conclusiones, pro oppinione iudei facientes. Una quidem, tempore Rabi Iehuda, qui post secundi templi destructionem ultra duocentos fuit annos, quod nondum venerat Messias. 2.<sup>a</sup> quod causa retardacionis Messie adventus peccata fuerunt, ut in die indulgenciarum nostrarum dicitur «hec dies, indulgenciarum dies est, et defloraverunt plures virgines in Nehardeha» (2), concordando cum verbis illis «et propter peccata nostra que sunt plura».

Ulterius, ad id quod dictus magister Ieronimus in 4<sup>o</sup> puncto allegat, dicens illa verba «et propter peccata nostra que sunt plura» non esse de auctoritate propter diversitatem compotorum. Respondet iudeus quod ad hoc iam supra satisfecit sufficienter, et de facto vult libros, in quibus auctoritas est, in medium exhibere, sicut ipse allegat, et quod antequam in aliquibus libris numeri reperiantur variables, in illo in quo sunt variables, nulla fides est adhibenda; sed in eo in quo omnes sunt concordantes necessarium est dare fidem, precipue cum per altercacionem subsequenter in libro Talmut factam, que absque ulla variacione existit in omnibus libris, clare patet quod dicitur «et propter peccata nostra que plura sunt» esse de corpore auctoritatis.

Preterea ad quintum punctum, in quo dictus magister Ieronimus glosam factam per dictum iudeum, super dicta auctoritate de *Lozahuveyta* (3), que significat «si non sunt digni veniet sua hora», voluit reprobare duobus mediis. Respondet iudeus duobus modis: Primo, quoniam, ut anticipetur Messie adventus ante horam suam, multiplicacio meritorum cum devocione requiritur, ultra illam ad que legis virtute quilibet obligatur. Et hoc est quod dicitur «si digni fuerint, accelerabo». Horum autem operum meritoriorum distincti possunt esse gradus, quoniam duo homines possunt esse bone vite et esse equales in legis man-

(2) Cf. *Pugio*, 396 (el Mesías vino con María, primera Virgen que no fué deflorada).

(3) Sanh. 98 a. Cf. *Pugio*, 395: Lo zaku be-'ittah.

datorum observacione, uno siquidem in maiori gracia existente altero apud Deum; et noc ideo quoniam libenter suscipit onera graviora, devotionem tangencia, ad que secundum regem minime obligantur *ezozanu*, id est, qui non sunt digni, quasi dicat quod non faciunt hanc operum meritoriorum multiplicacionem, ita quod non sint peccatores.

Potest etiam aliter responderi, ut habetur in libro de Kosassana (4) quod 'non' [L. nos] habemus dignitatis vel indignitatis hominum apud Deum tres gradus: 'unus' [L. primus] enim est, quorum plura sunt merita, quam peccata: et hii iustis et perfectis connumerantur. 2<sup>us</sup> quorum merita et peccata sunt equalia, et hii vocantur medi. 3<sup>us</sup> est, quorum peccata sunt plura 'et quorum' [L. quam] eorum merita: hii vero mali esse dicuntur. Ideo dicens «si digni fuerint accelerabo», idem est dicere ac: si Israel primum gradum intraverit, noc est, quod eorum merita sint plura quam eorum peccata, quod Deus anticipabit adventum Messie ante eius horam. Dixit ulterius quod, si digni non fuerint, veniet hora sua, quasi dicatur, quod si Israel secundum introierit gradum, hoc est, quod eorum peccata eorumque merita fuerint equalia, non accelerabit eam, sed hora sua veniet. De 3<sup>o</sup> tamen gradu, sciucet, cum fuerint eorum peccata plura quam merita, non loquitur hic auctoritas, quoniam nulli in dubium vertitur tali casu merito retardari, sicut dicitur «propter peccata nostra que sunt plura».

Ad illud vero quod dictus magister Ieronimus inquit, hanc captivitatem ideo 'per mille et quadringentos annos duravit, propter graviora peccata fuisse quam prima captivitas, volens ex hoc concludere propter contemptum veri Messie hoc fuisse, etc. Iudeus respondet dicens quod, licet hec divina sint misteria et valde profunda, et ad reddendas rationes sensus humanus non sufficit, sicut inquit psalmista (5): «iudicia tua abissus multa»; verumptatem, etiam cum toto hoc dixit iudeus quod propter peccata in templo primo commissa, que multa fuerunt et nephandissima, de preserti sumus in ista captivitate tam longa. Rehedificacio quidem templi, propter nonnullorum hominum bone vite singularium, ut puta Mordochei et Ezdre et Zorobabellis et Nehemie quam pluriumque aliorum, dicitur fuisse, ac etiam ut populus israeliticus de peccatis primis satisfacere posset ac emendare; et quia non fecerunt. in captivitatem presentem, ut prima purgarentur peccata, sumus reducti.

Ad 6.<sup>um</sup> autem punctum, in quo dictus inquit magister Ieronimus quod verba in quibus dicit iudeus vanitatem nullatenus duraturam, etc. Respondet iudeus, loquendo cum suo debito honore, minime esse heretica. Cum enim dicitur *non potest esse*, communiter dicitur non tangendo divinam potestatem in illo quod Deus est factururus, nec in ope-

(4) Rosh ha-shaná, 31 a.

(5) Salm. 35,7.

ribus humanis liberum arbitrium. Et ideo istud *non posse*, quod iudeus in dicta auctoritate inquit, intelligitur secundam rationis iudicium, et secundum divinam scienciam que cuncta futura previdet prout vult, tamen arbitrio hominis ad ea que voluerit libero remanente. Cum hiis autem ad argumenta per dictum magistrum Ieronimum facta iudeus intendit sufficienter respondere.

Eodem 'die vero' [E. vero die], dictus magister Ieronimus respondens ac dictis iudeorum satisfaciens, ita inquit:

Ad id quod dicitis informatorem voluntatem informati sequi debere, dico quod, loquendo cum debito honore, non est sic. Quod proba tribus rationibus:

Prima, informator enim in gradu preeminet magistrali, informandus vero in gradu est disciplinali; magister namque, nedum intellectu rei illius in qua debet discipulum informare, verum eciam in faciendo debitum ordinem rerum in quibus est eum informaturus, videlicet, a qua illarum debet incipere, est preferendus, ut puta si quis a quodam astrologo magno librum vocatum Almagasti, in quo tocius astrologie sciencie cursuum celestiumque causarum, compotorum, eclipsiticorum plenum est fundamentum, sibi legi petat, ipseque discipulus, magno ductus desiderio quod ad sciendum illud habet, vellet immediate ab eodem magistro succincte informari in eadem, cui magister diceret hoc, nisi prius viso et perscrutato libro Euciidis, cum quo arismetice et geometrice acquireret principia huic sciencie necessaria, comode nullatenus sibi dari. Hoc siquidem pari modo omnibus in aliis est rebus, quibus quis quem habet utiliter informari. Ex quo, materia sequitur in presenti, informacionem eiusque ordinem ad votum fieri legitime informantis.

Ratio 2.<sup>a</sup>, quoniam bono informatori videnti suum informandum aliquas oppiniones erroneas in tractanda per eos materia tenere atque servare, sunt quidem duo necessaria: primum dictas falsas et dicto informando evellere oppiniones. 2.<sup>um</sup> illis avulsis, eum in veritate informare. Ita, in proposito, sanctissimus dominus noster Papa a Deo in salutem animarum vestrarum ad informandum vos missus, informans ac vobis notificans Dominum Nostrum Iesum Christum Messiam esse verissimum, vidensque in presenti quamdam erroneam vos tenere oppinionem atque servare, Messiam, scilicet, nondum venisse, ad eius igitur dignoscitur Sanctitatem merito pertinere, vos ante omnia ab illa erronea oppinione atque falsa revocare, Messiam iam diu est venisse probaturus. Quo probato, sue placet Sanctitati tales dare vobis verissimas informaciones, quibus palam videbitis omnia acta de vero Messia per

sanctos prophetas prenunciata in Iesu Christo fuisse adimpleta, omnes prophecias vos a via veritatis retrahentes in operacionibus quas verus Messias erat operaturus, tam super congregacione Israel, tam super rehedificacione Ierusalem, quam cetera cuncta vobis dubia declarando.

3.<sup>a</sup> vero ratio, quoniam manifeste quidem videtur vos, qui positi et assignati estis ad respondendum pro iudeis ceteris velut eorum rabi, non ut informari volentes, sed veluti qui iuste vel iniuste eorum rationem facilius cautellisve aut quovis aliis modis volunt anteponi in presenti materia, ausu temerario, loqui videmini cauthelose. Hoc absque dubio ad gentem iudaicam in suis cecitatibus ac falsis erroribus super expectatione Messie facitis sustinendum. Proinde non est intencio principalis domini nostri Pape informare vos, 'aliosque' [E. alios quia] videt indisposicionem et duricias vestras; sed eius principalis intencio est ab erroribus in quibus populares aut simplices per verba vestra cauthelosa habituastis et habituare cothidie non cessatis in eisdem, educere, et in veritate vos et ipsos, si disponamini, taliter informare, ut a captivitate in qua nunc notorium est ipsos et vos detineri, divinitus liberati, salutem animarum suarum et vestrarum consequi mereamini in eternum.

Preterea ad id quod dicitis vos a materia minime recedere, et hoc quoniam hic articulus de Messia, etc. Dico enim valde admirandum esse de vobis similia dicentibus. Certum quidem est quod, et licet prophecie maioris sint auctoritatis quam verba doctorum, tamen cum sint obscura et plures paciantur sensus atque diversos, et dicta magistrorum sint glose eorum, necessario secundum magistrorum dicta debemus intelligere atque interpretari. Ergo si forsitan aliqua propheta super Messie actibus loquens reperiri contingeret que propter eius obscuritatem glosas diversasque adaptaciones supportet, deinde doctorum vestrorum auctoritates cum nostrorum catholicorum declaracionibus super dicta propheta factis, ad litteram concordantes reperiamus, rationabile est maiorem fidem illis debere adhiberi quam glosis per vos allegatis, quoniam cum hiis catholici concordant et pars rabinorum hebraicorum; et presertim cum glose super dictis auctoritatibus per vos facte sine fundamento sint allegacionum alicuius doctoris, a capite solum vestro procedentes. Ex quo sequitur prophecias debere intelligi secundum sensum doctorum, et non ad litteram sicut iacent.

Rogo animavertite diligenter quoniam propheta data quacumque, si ea ad litteram vellitis intelligere, infinita ex ea vobis insurgent dubia, ut puta accipiamus illam propheciam Isaie LIII.<sup>o</sup> capitulo, ubi Domini nostri Iesu Christi passio sigillatim recitatur, quam 'iudeus' [E. videtis] totam loqui de preterito, cum sit certum eam de vero Messia propheta et necessario eam intelligi de futuro.

Ex quo concludendo dico de necessitate prefatas prophecias per sen-

sus alios ultra litterales debere intelligi. Super hoc enim extra materiam satis ad presens est evagatum.

Subsequenter, ad illud quod dicitis quod quamvis in superscrita auctoritate ubi dicitur «sex mille anni mundus», etc., et hoc quia loquebatur de re futura et secretissima. Dico hoc non habere locum, quoniam omnes prophete loquentes de futuro et secreto hoc modo locuti tuere, ut loquitur iste doctor, dicens: hoc erit vel non. Non est autem presumendum quod eius locutio sit ex presumpcione. Ieremias capitulo XXVIII.<sup>o</sup> dixit (6): «quando comprebuntur Babilonie septuaginta anni visitabo vos»; pari enim forma, in hac dicitur revelacione de Heliā quod duo mille ultimi anni mundi sunt dies Messie; et si talis locutio est presumptiva, nichil est an vestro Talmut certum; dicitur in libro vocato Sanhearin, capitulo ultimo: «totus Israel habet partem in mundo venturo, exceptis talibus», etc. Ergo id ad idem ex presumpcione erit. Iam enim videtis hoc non esse parum, sed magnum; per consequens igitur hec locutio vel similis non ex presumpcione facta dicitur.

Ad id vero quod dicitis tempus de Messia assignatum non esse articulum, videtur vos verba mea non diligenter attendisse cum adventus Messie dixerim fore articulum. Et per consequens quidquid ponitur in prefato articulo erit validissimum sicut illud quod in ceremoniis vestris loquitur, in quibus aliquid dicere presumpcive minime consentiretis.

Ad id autem quod dicitis de Daniele. Dico quod, loquendo cum honore, nichil 'respondens' [E. respondetis], quoniam vobis certum est me palam ostendisse ad litteram quod textus vestri quos allegastis dicunt Daniellem id intelligere, et quod angelus sibi dixisse illa esse secreta in illa prophecia [E. + Messie] minime reperitur; sed ibi [E. + ubi] loquitur de resurrectione universali; ex quo enim videtur vestram prefatam allegacionem patenter esse nullam.

Ad illud etiam, quod dicitis: respondet iudeus quod auctoritas fuit dicta post duos mille annos, etc., illud fundantes quoniam dictum presumptive. Hec quidem oppinio per rationes superius habitas satis apparet nulla, exemplo vestro quod ponitis in nullo textu concordante, quare, salvo honore, nullius est momenti.

Ulterius, ad id quod dicitis: respondet iudeus quod hec altercacio introducta est inter partes intelocutorie de isto Heliā, si ipse fuerat propheta etc. Dico quod non est interlocutoria, ymo de medula probationis; quoniam postquam probavi ipsum esse prophetam, secuntur duo: primum, sentenciam auctoritatis certissimam, 2.<sup>um</sup> quia diu antequam duo mille anni ultimi intrassent hoc fuerat dictum, et per consequens

(6) Ier. 29.10.

verbum illud ubi dicitur «et propter peccata nostra» non est de corpore auctoritatis.

Ad illud quoque dicitis: et esto quod ipse propheta fuisset, hoc poterat dicere per viam revelationis. Dico quod hec locutio, scilicet, poterat seu poterit, est locutio incerta; et res incerta nullius est efficacie.

Item, ad illud quod dicitis me non probare ex hoc quod principalis dictator vel auctor auctoritatis non fuerit propheta. Dico quod non potest fieri maior probacio quam hec; quoniam illa probacio de qua vos adiuvatis, dicentes quod in quantum loquebatur cum Rabi Iehuda videtur ipsum fuisse uno et eodem tempore cum eo et, per consequens, ipsum prophetam minime fuisse, illud non concludit, quoniam iam vobis probavi quod in alio reperitur loco ipsum locutum fuisse cum eodem Rabi Iehuda, quia sibi de paradiso terrestri, ubi vivus permanet, aparuit, et multa sibi revelavit (7). Et ostenditur ibidem clarissime et necessarie ipsum fuisse prophetam. Ad quod nichil respondistis. Ex quo quidem potest concludi alium non fuisse Heliam quam prophetam. Et, habita hac conclusione, dico quod, esto quod nonnullae revelationes Helie in tempore rabinorum talmudistarum reperiantur in Talmuto sub hac forma: Dixit Helias tale quid tali rabino, aut talis rabinus reperit Heliam, etc., et istud poterit esse per aparicionem suam de paradiso ad illos rabinos, tamen istud ubi dicitur sic in forma «legebatur in studio aut in domo Helie» de necessario debet intelligi quod ipse legebat tempore quo vivebat super terram antequam raperetur; cum postea, neque studium tenuerit, neque domum, licet aliquociens, ut dicitis, visus fuerit aliquibus.

Ad illud vero quod dicitis quod per auctoritatem de Rabi Iehuda duo probantur, etc. Dico quod nec sue auctoritati, nec cuiquam in libro de Talmut habite seu scripture, nullam penitus fidem adhibeo, nisi solum in eo quod pro parte mea facit; et nichil plus est hoc, quam si reperiri contingeret quamdam auctoritatem dicentem «Messias venit, sed non est Iesus Nazarenus», quoniam darem fidem uni parti et non alteri.

Preterea ad id quod dicitis de numero diverso qui in libris reperitur, etc. Dico quod adhereo primo per me iam dicto, scilicet, quod postquam verbum illud «et propter peccata nostra iam sunt extra tot» variatur in libris, non est de corpore auctoritatis, sed addicio rabinorum, signanter postquam probatum est dictam auctoritatem Heliam prophetam pronunciasse seu prophetasse, diu antequam duo mille anni suum initium haberent.

Item, ad id quod dicitis: respondet iudeus duobus modis, primo quod ad adventum Messie ante eius horam accelerandam necessaria es-

(7) Sanh. 98 a.



set operum multiplicacio meritoriorum, etc. Dico hanc vestram respon- sionem fore voluntariam, nec in Scriptura nec in aliquo doctore mi- nime raicicatam, quoniam in cuncto sacro eloquio nullum obligato- rium ex parte Dei reperitur, nisi quod est ad eius observanciam man- datorum. Propterea ad argumentum per me factum super eo quod dice- batis quod, non faciendo opera meritoria, veniret sua hora, nichil qui- dem respondistis. Uterius, divisiones vestri Tamut super tribus homi- num statibus per vos allegatas non est in mundo theologus qui, ut poni- tis, ipsas assereret nec auctenticaret, presertim cum contra sentencias per Ezechielem prophetam capitulo XVIII° prolatas manifeste veniat, et quoniam doctor mencionem rebuisset facere de mora, veuti de accele- ratione et de tempore suo veniendo.

Ad id autem quod dicitis: tamen cum toto hoc dicit eciam quod propter peccata in primo templo commissa, etc. Dico hanc oppinionem locum non habere quibus rationibus: Prima quoniam per diversas pro- phecias reperitur fuisse purgatum intra septuaginta annos de babilonica captivitate totum malum seu penam quod inde merebantur propter su- pradicta peccata, ut videtur per Danielelem capitulo 9.° ubi dicitur (8): «stillavit super nos malediccio et detestacio, que scripta est in libro Moy- si», etc. Item dicitur Secundo Paralipomenion ultimo capitulo (9): «cap- tivavit, si quis evaserat gladium, cuctos in Babilonem, fuerunt ei et filiis eius in servos, donec regnaret regnum Persae, et donec celebraret terra ebdomadas suas cunctis diebus desolacionis, usque dum completerentur septuaginta anni». Ex quo apparet quod in tempore illo compleverunt totam penam quam merebantur.

Item quod per Ieremiam capitulo XXIX.° reperitur eis fuisse pro- phetatum multamque prosperitatem eis fuisse promissam, pluraque eciam bona cum septuaginta anni essent elapsi, ex quo sequitur omnem purgacionem tunc fuisse completam.

2.<sup>a</sup> racio, dixit Moyses in decem preceptis legis quod Deus est zelo- tes, visitans peccata patrum in filiis usque ad terciam et quartam ge- neracionem, faciensque misericordiam mille generacionibus (10). Et cum ille quidem quatuor generaciones sint, et quampures alie diu est iam elapse, sequitur manifeste hanc captivitem per illa peccata non fuisse, presertim cum translacio caldayca et Tamut super dicto textu declarent quod illa visitacio intelligitur usque ad quartam generacionem cum filii atque nepotes delicta continuaverint, aliter enim nullus nisi pro peccato proprio condempnatur.

Ex quo sequitur unum de duobus: aut vos in ista captivitate prop-

(8) Dan. 9,11.

(9) 2 Paral. 36,20.21.

(10) Ex. 20,5.

ter illa peccata permanetis, aut non. Si propter illa, sequitur vos eadem continuare peccata, et sic in ydolatRIA Deum offenditis, homicidioque, adulterio, sicut antiqui delinquerunt, et sic terra vos nullatenus substinere deberet, nec christianos hoc modo viventes substineret.

Et si propter alia, convenit investigare propter que.

Preterea, ad illud quod dicitis quod rehedificatio templi secundi fuit proptor meritum alicuius, etc. Dico hoc non habere locum, quoniam reperitur Ieremiam dixisse capitulo XV.<sup>o</sup> talia verba (11): «dixit Deus: at si sterit Moyses et Samuel coram me, non est voluntas mea ad populum istum», etc. Ex quo videtur quod preces nec merita aliquorum ad revocandum sententiam usquequo peccata fuerint purgata non erant sufficiencia. Uterius, si ita esset quod hii vivi iusti per vos nominati ad populum de captivitate babilonica redimendum sufficientes fuissent, multo magis tanta iustorum copia que in tempore secundo fuit, ad eos preservandum, ut non intrarent captivitatem, sufficebat, ut sicut refertur in Talmut de decem illis rabinis qui, ut iota unum legis non infringerent, martyres sunt effecti; eciam de illa bona muliere nomine Anna, septem filios habente, quos, quia sua ydola colere contempserunt, omnes unus post alium Adrianus peremit. Atque ubi vir ille beatus, vocatus Homhamahagal [E. Hom Hamahagal], qui tantum Deo erat familiaris, quod ad eius preces in continenti miracula fiebant. Et insuper, ubi erat Rabi Sadoch de quo in Talmut recitatur, quod de eo et sociis eius David predixerat, virtuosos fortitudine, facientes eius mandatum. Eciam, ubi era Rabi Hanina filius de Doça, de quo dicitur quod cotidie exibat vox de celo dicens: universus orbis substinetur per Haninam filium meum, et Hanina filius meus non gaudebat seu utebatur de mundo nisi una mensura de garrofis qualibet ebdomada. Et hii similibus quamplurimi fuerunt, quoniam in illo tempore erat Hyel antiquus, de quo legitur in Talmut quod tenebat octuaginta discipulos, de quibus triginta erant ita digni ad prophetizandum sicut Moyses; et triginta eorum erant ita digni sicut Iosue, ut precibus cuiuslibet ipsorum Deus solem in medio celi stare fecisset; et viginti eorum erant mediocres, quorum maior erat Ionathan filius Huziel, minorque erat raban Iohanan, filius de Yzacay, de quo dicitur quod non fuit sciencia in mundo, nec aliquid factum legis divine, quod iste non haberet, et in qua aptus non esset.

Igitur ista turba iustorum debuit merito sufficere ad preservandum iudeos a captivitatis ingressu, precipue cum reperiatur quod in sententia Sodome erant decem iusti sufficientes ad quinque civitates a totali perdicione ac destruccione redimendas, ut Abrahe concessum reperi-

---

(11) Ier. 15,1.

tur (12). Ergo multo plus tanta iustorum multitudo ad redimendum Ierusalem a sententia minus crudeli quam fuit captivitas illa, sufficiens esse debebat.

Ex quibus omnibus sequitur captivitatem istam non propter peccata antiqua nec alia sed dumtaxat propter peccatum primo in replicacione nominatum, scilicet, propter veri Messie contemptum indubitanter fuisse.

Preterea, ad illud quod dicitis quod, cum dicitur: non potest esse aliquo modo, etc. Verba quidem vestra in principio fuerunt *non potest esse pro aliquo*, et ideo contra illa oportet necessario arguere, et est hoc quoniam communiter cum 'prefertur' [E. profertur] talis locutio seu talis modus loquendi, non tangitur potencia divina, quando potencia procedit a causis vel ab agentibus naturalibus; verbigracia, si medicus dixerit: hic infirmus pro re mundi non potest evadere seu curari, nichil hic contra potenciam divinam intelligitur; sed cum a Deo accio immediate dependet, et a nullo nisi a solo Deo fieri potest, ille qui negat talem accionem posse fieri, negat potenciam Dei; sicut ille qui negat creatorem mundi potuisse fieri antequam fuerit, vel post; quia cum huiusmodi operacio ad solum Deum pertineat, hanc negare est Dei potenciam, quod est hereticum, quod iudeus posuit cum dixit quod lex pro aliquo non poterat dari ante duos mille annos de vanitate elapsos. Et non est dubium Deum potuisse dare legem alicui illorum vel illis qui ab Abraham precesserunt sicut Noe et Mahusale, aut similibus.

Item hec verba, scilicet quod *«nullatenus potest esse»*, aut dicuntur respectu Dei, aut hominis. Si Dei, falsum est, et per vos concessum. Si hominis, dupliciter: aut ministerialiter aut principaliter. Si ministerialiter falsum est, quoniam liberum auferretur sibi arbitrium; si principaliter, esset locutio vana, quoniam certum est non posse hominem legem divinam dare. Ergo propositionem oportet esse falsam respectu potestatis divine, et respectu liberi arbitrii. Et signanter dicta glosa videtur esse falsa per auctoritatem illam vobis allegatam de Sanhedrim (13), ad quam vos minime respondere curastis, in qua de facto continetur quod Deus volebat Ezechiam, qui sexcentos annos antequam ista duo millia inciperent fuit, esse Messiam. Clare ergo videtur posse bene fieri. Ex quo sequitur expositionem super dicta auctoritate per vos factam, nullum habere locum; glosa per vos eosdem primo facta, dictam scilicet auctoritatem, ut ponitis, fuisse presumptive dictam, per rationes superius habitas plane fuit annullata. Sequitur ex necessitate prefatam auctoritatem dicentem sex mille anni est mundus, etc., simpliciter ad litteram esse intelligendam, et dictam esse in domo Helie

(12) Gen. 18,32.

(13) Sanh. 94 a.

prophete, absque cuiuscumque condicionis adieccionem; et quod sequitur, verba fore rabinorum, longe diu post existencium.

Ideo cunctis vestris argumentis de medio resecatis, atque debite ac sufficienter satisfacto eisdem, sequitur ex hoc quod post adventum veri Messie, plusquam mille centum et sexaginta anni preterierunt.

Perfecta dicta dieta, divina gracia que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum misericorditer inspirante in decem iudeos notabiles, quinque videlicet de Aliama ville Montissoni, duos vero de Aliama loci de Falçet, unum de Aliama loci de Mora, unumque notabilem studentem talmudistam de Aliama ville Alcanicii, qui a cunabulis de domo paterna ac scolla sua continue Talmut audiendo nunquam discesserat, quemdam eciam iuvenem de civitate Calataiubii, se ipsam illustrative effudit.

Qui omnes pariter decem, magna cum devocione magnaque humilitate, genibusque flexis ante scabellum pedum Sanctissimi Domini nostri Pape Benedicti XIII prostrati, confessi sunt dicentes unanimiter: Evidenter enim videmus atque clare cognoscimus rationes magistri Ieronimi fore veras, et responsa rabinorum iudeorum nullius penitus esse valoris. Ideo Sanctitatem vestram, Pater beatissime, ac clementissime Domine, maxima cum devocione, maximaque cum humilitate supplicamus atque requirimus quatenus vestra Sanctitas benignissima nos faciat baptizari, ut valeamus acquirere nostrarum salutem animarum.

Quod clementissimus Dominus noster Papa, pie ac diligenter attendens, visaque devocione ardentissima eorumdem, cum qua dicti decem pariter ad fidem orthodoxam veniebant, honorifice ac solempniter fecit eos baptizari; quibus conversis laborantibus diligenter, uxores ac eorumdem familie usque ad numerum triginta animarum et ultra, in fonte baptismatis a lepra iudaica fuerunt mundate.

## SESION XIII

DIE VERO MARTIS, decimaquinta mensis Marcii, iudei unam tenoris sequentis prodixerunt scripturam:

Iudeus a protestacionibus in primo responso contentis non recedens, loquendo semper cum humiliori qua potest et scit debita reverencia beatissimi Patris, sui que sancti collegii, loquendo eciam cum honore honorabilis magistri Ieronimi, respondet et dicit quod regula que in presenti informacione observatur non videtur esse pertinens ad ipsum bene informandum, propter rationes per dictum iudeum superius allegatas; et non obstante quod dictus magister Ieronimus nonnullas rationes ad probandum regulam quam ipse posuit esse rationabiliorem superius allegaverit, tamen illis posset iudeus rationabiliter obviare. Illud vero dimittens, ut sanctissimi domini nostri Pape mandato obediat, tam dicto magistro Ieronimo quam nobis viva voce sue Sanctitatis facto, et altercationes super regulis informacionis vult ad presens omittere, et de expositione actoritatis illius, scilicet, «legitur in studio Helie», omniumque eam tangencium, dumtaxat curare.

Preterea dicit magister Ieronimus: dico hoc non habere locum, quoniam omnes prophete, etc. Iudeus respondet hanc auctoritatem non esse propheciam, sed actorem eiusdem locutum esse presumptive, et illum Heliam prophetam minime esse.

Item dicit prefatus magister Ieronimus: ad id quod dicitis: respondet iudeus hanc altercationem, etc. Iudeus respondet quod esto dictam auctoritatem esse Helie prophete, non sequitur quod sit certa, ut aliter esse non possit. Et hoc duabus rationibus: prima, quoniam peccata sunt sufficiencia ad Messie adventum retardandum, ut patet per verbum libri Yome de Heliamet per dictum magistrum Ieronimum superius allegatum.

2.<sup>a</sup>, quoniam Helias aliquando loquebatur per eius ymaginacionem, non per viam revelacionis, sicut in alia dicitur auctoritate, quam dictus magister Ieronimus allegat in suo tractatu ubi dicitur (1): «exit revelacio a celo, dixitque: Helias, non est sic sicut creditis», etc.

Preterea, ad id vero quod prefatus magister Ieronimus dicit: ex quo potest concludi non fuisse alium Heliam, etc. Respondet iudeus hoc non concludere, ymo verba hec, scilicet «legitur in studio Helie», sunt alterius Helie, ut legitur in libro vocato Peçahim, in capitulo quod incipit *harbe peçahim*, ubi dicitur: «legebatur in studio Helie»: quamvis dixerit Rabi Haquina, etc., ut est allegatum: et in Sabbath, capitulo primo, dicitur: «legebatur in studio Helie: accidit cuidam discipulo qui legebat, docebat et sapientibus serviebat, et medio dierum suorum mortuus est, etc. Dixit Rabi Hanina», etc. Videtur ex hoc in quantum hec auctoritas loquitur ad referendum istoriam de hoc quod accidit tempore Rabi Hanina, qui erat doctor talmudista, quod in locucione sua non erat Helias propheta, sed quidam doctor talmudista.

Item dictus magister Ieronimus inquit: dico quod sue auctoritati, nec alicui dicto in Talmut scripto, nullam fidem adhibeo, etc. Respondet iudeus quod, postquam dictus magister Ieronimus intelligit verbum hoc esse Helie prophete et ex auctoritate illa credit sic probare, de necessitate tenetur ei fidem prestare, quoniam secundum magistri Ieronimi intencionem, est propheciam et non verbum talmudicum. Et esto quod sit verbum talmudicum, iudeus potest et debet de ea gaudere, postquam cum ea volunt eum convenire.

Item dicit 'quod' [E. '—'] prefatus Ieronimus: non est theologus in mundo qui concedat, etc. Respondet iudeus quod illi tres gradus per eum positi exprimuntur in Talmut, in libro vocato de Rosanan, et in libro de 'Quitdusim' [E. Quiddusim]. Et illud quod dixit et arguit de propheciam Ezechielis, capitulo XVIII, ubi dicitur «omnis malicie sue non memorabuntur» (2), in Talmut corrigitur, ubi dicitur quod loquitur quia penitet primorum, et illum penitet operum preteritorum, sive sint bona, sive sint mala, iudicatur secundum opera ultima, et computatur inter iustos perfectos, seu malos perfectos; et medii sunt, quos penitet primorum, sed acceptantur eis omnia bona ex post facta, sive mala, separatim.

Ad illud vero quod dicit prefatus magister Ieronimus super captivitate nostra: dico quod hec oppinio non potest locum ha-

(1) *Bēr. R. de Darshán*, in Gen. 30,8, ed. B. N. n. 73, p. 78-81. Cf. *Pugio*, 350-351.

(2) Ez. 18,22.

bere, etc. Respondet iudeus sensum humanum non sufficere ad puniciones cum peccatis proporcionandis, et ideo in captivitate, que est peccatorum punicio, non potest homo bene loqui: hec est questio antiquissima propter 'quod' [E. quid] est iustum puniri, malum vero 'privari' [E. premiari].

Ideoque in hac questione loqui non intendimus, non obstante quod habeamus bonas et sufficientes responsiones ad id quod prefatus magister Ieronimus dixit.

Preterea ad id quod prefatus magister Ieronimus inquit: *verba vestra in principio*, etc. Respondet Iudeus quod ipse adheret responsioni super hoc per eum facte in cedula huic immediate precedenti, scilicet, quod «non posse», intelligitur secundum rationis iudicium; et istud dicit verbum de Sanhedrim, scilicet (3), «voluit Deus facere Ezechiam Messiam. Venit iudicialis virtus coram Deo, etc.» vult dicere quo Deus iustum censebat ipsum non facere Messiam; ergo videtur secundum iudicium rationis Ezechiam non posse esse Messiam. Ho enim modo accepimus «non posse esse» in nostra locucione, scilicet secundum rationis iudicium, potenciam divinam, nec liberum arbitrium tangendo.

Ad alia vero in cedula dicti magistri Ieronimi allegata, quibus iudeus ad presens non respondet, intendit in cedulis superius positis se sufficienter respondisse; et cum hoc, dixit prefatum magistrum Ieronimum per dictam auctoritatem scilicet, «legebatur in studio Helie», etc., per eum allegatam, suam intencionem non fundasse. Ideoque de super auctoritate «legebatur in studio Helie» altercatis, intendit iudeus nullam conclusionem elici ex inde contra eius intencionem, protestando tamen quod, licet super prefata auctoritate diu sit altercatum, quod ei nec ceteris hagadot de Talmut non tenetur dictus iudeus fidem aliquam adhibere, presertim hiis omnibus de fine loquentibus, ut apparet per doctores nostros in libro vocato Peçahim: «septem sunt occulta homini, scilicet, regnum David quando veniet», etc. Item Sanhedrim dicitur super propheta quam dixit Isaias (4): «dies vindicte est in corde meo», etc., «cordi meo revelavi, sed non angelis» (5).

Item dicitur in glosa morali super Ecclesiastes: «dixit Rabi Saul de Ninive, ex parte seu de nomine Rabi Hosue filii Levi: si quis dixerit tibi quando erit finis redemptionis mundi non credas ei, et dic ei quod dies vindicte in corde meo scriptum est» (6).

(3) Sanh. 94 a.

(4) Is. 63,4.

(5) Sanh. 99 a.

(6) *Qohélet Rab.*, parashá 12, in Eccl. 12,10.

Item, dicit Rabi Hanina: «tria signa scribit tibi lex in sepultura Moysi, scilicet, in valle, in terra Moab, circa domum peoris; et cum toto hoc numquam fuit creatura ad dictam sepulturam cognoscendum sufficiens; multo minus debet esse terminus redemptionis, in qua scriptum est: [E. + diem vindicte esse] in corde meo que clausa et signata dimittit, quanto magis si cor ori non revelat cui os revelabit?» (7).

Item Rabi Moyses de Egipto scripsit in libro de Soffrim loquendo super rebus Messie, et concludendo hanc intencionem, sic dicit: «omnia ista et similia nescit homo qualiter erunt, donec fuerint, cum sint occulta prophetis, nec sapientes aliquam tradicionem habent in eis nisi per sententiam textuum. Ideo sunt magne questiones in eis, et penitus non est modus hec existendi nec perscrutacio in eis aliquam in lege habet radicem, et numquam quis debet se intromittere in narrationibus, nec in sermonibus, que dicuntur in predictis et consimilibus, neque illa habere debet ut firma, sed ea expectare et summarie credere, ut dicimus» (8). Usque hic de Rabi Moyse in speciali, quoniam de verbo scilicet, «legebatur in studio Helie», super quo fuit altercacio, non potest fieri altercacio aliqua, quoniam per quamplurimos Doctores ibidem in libro Sanhedrim impugnatur, ubi dicitur: «Legit Rabi Alhazzar: dies Messie ad Israel quadraginta anni; Rabi Alazar filius Azarie dicit septuaginta anni; dicit Rabi triginta et duas generaciones; Rabi Doza dicit quatuor centos annos; Rabi Iehuda dicit trescentos et septuaginta quinque» (9). Item dicitur ibidem: «legit Abimi, nomine Rabi Habhu: dies Messie ad Israel sunt septem mille anni. Rabi Iehuda dicit quod dies Messie ad Israel sunt sicut dies a creacione mundi usque modo. Rab Nahaman dicebat quod dies Messie ad Israel sunt sicut dies a Noe usque nunc» (10). Et etiam quia impugnatur per alios doctores dicentes non esse terminum limitatum 'adventu' [E. adventui] Messie, quia est condicionalis, legitur (11): «Rabi Heliezer dicit: si Israel egerit penitentiam, redimentur, sin autem non redimentur». Et quamplurima hiis similia.

Finaliter enim dicit iudeus hanc conclusionem, scilicet, Messias nondum venit, veram esse, ac vallidam, et hoc cum non sint adimplete condiciones super adventu Messie in prophecias expressate, que

(7) *Qohélet Rabbá*, par. 12, in Eccl. 12,10.

(8) Cf. *Pugio*, 157, observaciones de De Voisin.

(9) Sanh. 99 a.

(10) Sanh. 99 a.

(11) Sanh. 97 b; Cf. *Pugio*, 401.



debent, secundum omnium nostrorum doctorum intencionem, intelligi materialiter. Dixit insuper iudeus tempus ad Messie adventum assignatum, esse secretum et incertum, ut per actores talmudistas superius apparet allegatos.

Ideo quecumque auctoritates tempus certum ad Messie adventum limitantes debent figurative exponi. Si autem figura minime reperiri contingat, hoc est quia auctoritas est reprobata, aut propter expositoris ignoranciam, quia figuram illam dicitur ignorare.

Cum hiis vero intendit iudeus quibuscumque talmudicis auctoritatibus per eum allegatis certum tempus ad Messie adventum prefigentibus et ad omnia que circa illud sunt, generaliter respondisse.

In eodem die vero, prefatus magister Ieronimus, contra responsionem per iudeum factam replicans, sic affatur:

In prefata iudaica responsione nichil se innovatum reperire, ultra id quod superius est explicatum.

Verum, dicta responsione medulitus examinata, puncta in ea sex videntur contineri:

Primum namque, auctoritatis verba per Heliam non assertive et certitudinaliter, sed presumptive seu ex presumptione fuisse dicta, pertinaciter reperfdiare.

2.<sup>um</sup> ad probandum alium fuisse Heliam, qui non fuit propheta, verba ta'mudica allegare.

3.<sup>um</sup> tres fore status homini: iustos, scilicet complete seu perfecte, peccatores complete, et medios, per dicta talmudica velle affirmare.

4.<sup>um</sup> presentem captivitatem propter primi templi peccata provenire, velle adhuc perfidiose substinere.

5.<sup>um</sup> non revocare, ymo in dicta opinione heretica in precedenti responsione superscripta tenere et perseverare.

6.<sup>um</sup> auctoritates talmudicas eis allegatas inverecunde expresse negare.

Ad primum quidem punctum, ubi dicitur: respondet iudeus auctoritatem hanc non esse prophetiam, etc. Dico quod, si verba mea essent diligenter persoruptata, non reperirent me dixisse, nec per ea datur intelligi, prefatam auctoritatem esse prophetiam, sed veram esse sententiam, per studium Helie prophete datam, ex divinis revelacionibus resultantem, per Deum Moysi [E. + et a Moyse] aliis, et a generatione in generacionem, ut cetere sentencie talmudice sunt resultantes, iuxta fidem seu credenciam iudeorum di-

cencium totum Talmut legem esse oretenus Moysi a Deo datam atque promulgatam.

Item 'dicit' [E. dixit] quod ab hoc ut esset certa non erat necessarium annectere ei modum necessitatis nec alterius speciei, quoniam si propter non habere modum sequeretur, ut asseritis, esse incertam, eliceretur omnia verba prophetarum atque doctorum talmudistarum, qui aliter quam dicendo *hoc est* vel *hoc erit* minime locuntur, possent incerta annotari. Et per consequens **nichil erit** in Talmut quod pari forma annotari non possit incertum, quod iudeus aliquis minime auderet concedere, de quo in replicacione superius scripta plene locuti fuimus.

Item credentes insuper glosam istam erroneam asserere, conati sunt nunc noviter allegare dicentes Heliam aliquando locutum esse presumptive, non autem cum certitudine, hoc probare credentes per quamdam auctoritatem in meo tractatu positam dicentem quod cum Helias vidit aerem seu ventum venire et proiebat salvatorem in mare, conquestusque est dicens: o miser, salvacio Israel perditur. Et exiit vox quedam dicens: Helias, non est sicut credis, etc. (12). Contra hoc dico quod propheta, dum non est sub influencia prophecie, possibile est habere aliqua motiva ymaginativa in rebus de quibus nulla erat necessitas sic evenire, cum reperiamus David velle templum edificare, et consensit ei propheta esse bonum quod cogitabat, et postea Deus dixit ei per contrarium. Item reperimus patriarcham Iacob per tempora flevisse super Ioseph filium suum, credens eum esse mortuum. Ex quo non est mirabile si cum Helias ipsum videbat conquerebatur et id cogitabat. Sed cum propheta est sub influencia prophecie, aut dat aliquam sententiam cum auctoritate et instancia in rebus futuris ex parte Dei, sicut est in presenti auctoritate, et deinde non reperimus illam sententiam fuisse revocatam per eum, nec per alium, tali quidem casu pro aliquo non potest dici non esse sententiam certam et ratam. Et precipue cum reperiamus in libro de Havodazara, ubi ponitur hec auctoritas, doctores talmudistas magnas habere altercaciones super divisionem illorum milenariorum annorum, ex quo elicitur eos habere eam auctenticam, aliter tantum ibidem altercati non fuissent. Igitur, concludendo dico glosam pefatam nullius esse momenti.

Contra secundum vero punctum, quod est verba talmudica ad probandum quod fuit alius Helias quam propheta allegare, dico de hoc in preterita responsione satis iam esse locutum, dicens me

---

(12) *Ber R. de Darshán*, in Gen. 30,8. Ed. B. N., n. 73, p. 78-81; *Dugio*, 350-351.

cuiuscumque in Talmut scripto nullam fidem penitus adhibere, nec id auctenticum censeo, nisi solum quia de eo gaudere intendo in tangentibus contra eorum errores et ad orthodoxe fidei confirmationem; cuiquidem oppinioni pro presenti adhereo, presertim cum eorum allegaciones non sint nisi ad velle probare alium in mundo quemdam fuisse Heliam huiusmodi nominatum; et esto quod ita sit, non sequitur hanc principalem auctoritatem ab Helia propheta non resultare, presertim cum principale argumentum ad eorum intencionem fundandam per eos fabricatum, scilicet quod, quia fuerat locutus Rabi Iehuda; iamque enim vobis probavi quod qui loquebatur cum Rabi Iehuda erat de necessitate propheta; ad quam probacionem nullam penitus invenistis responsionem, adeo quod in toto hoc non est nisi preterita resumere.

Ad 3.<sup>um</sup> vero punctum, quod est velle redire ad perfidiam et oppinionem erroneam hanc, scilicet, quod in hominibus triplex reperitur status, scilicet, iustorum perfecte seu complete, peccatorum perfecte seu complete, et mediolorum, dicendo: et iudeus respondet hoc in Talmut in duobus locis esse 'expressam' [E. expressatum], etc. Dico quod in Talmut continet, secundum theologos, falsum, erroneum et hereticum, cum in istis tribus gradibus loquatur de bonis malis 'vel' [E. ve] propter que bona malave homo consequitur salutem aut eternam dampnacionem, que sunt peccata aut opera meritoria gracia Dei informata. Dicere enim unum esse hominum statum qui plura habent bona quam mala, quorum, scilicet, maiorum numquam eos penituit, et cum hoc vocentur iusti perfecti, hoc autem valet tantum ac si dicatur quod sunt homines qui commiserunt peccata, quorum numquam eos penituit, et sunt iusti atque perfecti: quod in magna theologia heresis censetur. Nam ex hoc adhuc eliceretur fore homines in statu gracia existentes et dampnacionis seu peccati, quod ab hominibus theologis hereticum iudicatur, ut melius me sentire debent hii domini ceteri hic assistentes. Hoc enim idem inconueniens in tercio et medio gradibus oriri exinde minime dubitatur, presertim cum nulla doctrina theologica, nec moralis, medium cuiquam homini in statu salvacionis vel dampnacionis non existenti, dari consenciat.

Item adhuc sequeretur hos medios eque simili in statu gracia et dampnacionis existere, quod est valde hereticum.

Preterea arguo sic: propter hunc statum triplicem, esto quod omnium que commiserunt moriantur impenitentes, quero de primis si erunt salvi, aut dampnati. Si enim salvi, sequeretur quod aliquis in statu dampnacionis seu in peccato mortali existens, et in eo decedens,

salvaretur, quod est valde hereticum. Si vero dampnati, sequeretur aliud hereticum, scilicet, quod iusti atque perfecti dampnarentur. De mediis autem sequeretur inconveniens idem.

Preterea, certum est divinam legem ad eius mandatorum observacionem hominem quemquam obligare. Ponamus ergo quod quis, de decem preceptis, quinque inviolabiliter observasset, alia vero quinque infringisset. Talis quidem sicut iste, non obstante quod medietatem. Dei preceptorum non observaverit, medius et non peccator apud talmudistas appellatur. Hec autem opinio nephandissima non immerito est censenda.

Preterea, secundum communem opinionem, in statu gracie morientes tendunt ad paradisi gloriam, in peccato quidem mortali seu in statu dampnacionis decedentes, ad penas inferni. Esto ergo quod unus de mediis in illo existens decedat, quero quod ibit: non ad paradysum, cum non sit in statu gracie; nec ad infernum, quia secundum Talmut non habet nomen mali nec peccatoris; et secundum fidem omnium non est alius locus ubi anime perpetuo sint nisi paradysus aut infernus. Amen dico vobis quia quid de hoc homine Deus est facturus nescio, nisi quod inter caelum appendebitur et terram seu aresecetur. Cum hec omnia erronea, heretica et abhominabilia contra sacratissimam theologiam inde sequantur, et contra ordinem rationis non immerito sunt censenda.

Ad id vero quod dicitis vestros rabinos glosasse super verba Ezechielis, optima glosa est, sed nichil ad propositum de Talmut faciens, cum secundum eos Talmut non loquitur de penitencia quam homo in hac vita tenetur facere.

4.<sup>um</sup> autem punctum est velle adhuc perfidiare captivitatem presentem esse propter primi templi peccata, et quoniam id cum rationibus evidentissimis ita de prophecis sicut de auctoritatibus quibus non est reperta responsio per eosdem, fuit eis revocatum, volunt se coperire aliam cautellam recipientes, atque sensum humanum non sufficere ad puniciones cum peccatis proporcionandum, etc., dicentes. Item dicit hanc fore questionem antiquam, scilicet, quare iusti puniuntur, peccatores vero in hoc mundo 'punientur' [E. premientur], quasi dicat quod habent captivitatem et malum, sine hoc quod peccatores existant. Dico quod manifeste homo videt eorum verba invicem repugnare. Usque nunc enim concesserunt ac magna cum pertinacia asseruerunt quod propter eorum peccata Messias eorum venire differebat, eis in hac captivitate 'dicentis' [E. detentis]; nunc vero iustificare se volentes, dicunt quod de genere illorum, quibus Deus tribuit labores absque hoc quod ipsi

peccaverint, existunt, causam etsi propter quam hoc modo fieri contingit esse occul'tam. Miranda enim sunt huiusmodi verba, quoniam notorium est semper israelitico populo, retroactis temporibus, labores ac captivitates supervenisse, Scriptura super hoc causas peccatorum assignante, sicut reperimus expresse in libro Iudicum et Regum, quod propter populi gravia peccata et ydolatriam, et cetera mala, que committebant, persecucionem paciebantur, et certis annis morabantur in ea; cumque converterentur ad Deum, in continenti eis miserebatur, et restaurabantur, quemadmodum in captivitate babilonica fuisse reperiur. Cuius ergo sufficit intellectus dicere ad hoc quod mille quadringentis annis, tot ac tantis persecucionibus, cedibus ac laboribus hec pativitas duraverit, et quod non sit in causa fundamentai aliquod ingens peccatum 'adimbendum? Igitur' [E. Ad habendum igitur] medulitus noticiam huiusmodi peccati tam longe, tam aspere, tam fortis captivitatis universalis causativi, talem formabo racionem:

Aut enim ipsi sunt absque peccato, aut cum peccato.

Non possumus dicere sine peccato, quoniam veniret contra pluries per iudeos concessa, et auctoritates, ad probandum captivitatem et retardacionem adventus Messie propter eorum peccata fuisse, satis late superius per eosdem inducta.

Igitur, postquam est propter peccatum, aut est propter aliquod peccatum in lege declaratum, aut propter aliud.

Non est dare primum, quoniam in primo templo reperimus populum israeliticum in forcioribus delinquisse peccatis in lege contentis, sicut ydolatria, homicidio, adulterio; non enim duravit illius punicio nisi per septuaginta annos.

Si detur secundum, scilicet, propter peccatum in lege non declaratum, aut illud est in hominibus singularibus eorum, aut universaliter in omnibus.

Non in hominibus singularibus, cum iniustum esset ut omnes universaliter, tanta temporis diuturnitate, propter aliquorum singularium commissum seu peccatum condemnarentur, precipue cum 'id' [E. illud] peccatum non sit specificè declaratum. Contrarium quidem reperimus in lege, quod esto quod plures universitatis peccent, propter aliquorum merita singularium posse restaurari.

Ex quo de necessitate cogimur concludere hoc esse universale quoddam crimen, in quo tota communicat universitas, ut puta reperimus in medicina homines propter diversos defectus regimēnis in diversas incidere infirmitates. Quoniam nonnulli in febrem 'smotam' [E. sinotam] propter esum carniū et vini potum superfluum; nonnulli vero in tercianam, propter cibariū usum cali-

dissimorum; nonnulli in cotidianam, propter ciborum frigidorum usum. Sicque de singulis. Verum cum accidit tam collicos, sanguineos, flematicos, senes, quam parvulos, omnes pariter ex eodem morbo communiter egrotare, sicut in tempore pestis, seu mortalitatis, tunc dicunt medici causam illius morbi universi esse aliquod peccatum seu defectum universale, concurrens seu communicans in omnibus, quod quidem est aeris, in quo omnes communicamus et quod continue deglutimus.

Ad propositum vero redeundo, in singularibus quidem iudeorum videmus mala concurrere, particularesque labores, sicut in hominibus particularibus christianorum concurrunt egritudines, strages, pecuniarum amissiones, multaue alia mala, que cumebet singulariter superveniunt, que quidem mala debent attribui peccatorum purgacioni illius singularis. Sine hoc, eciam reperimus in iudeis unam punicionem cunctis iudeis universalem, in qua tam iusti quam peccatores, viri et mulieres, parvi et magni cuiuscumque status, seu iudaice condicionis existant, extranei et privati, communicare videntur, quod est presens causa diuturna captivitas, ubique [E. + et] in omni tempore. Ex quo de necessario dicere cogimur aliquod esse peccatum universale in quo omnes communicant et contribuunt omni tempore, ubique locorum ubi iudei reperiuntur dispersi. Peccatum enim dictas habens proprietates, nullum aliud potest esse quam id quod iudei contra verum Messiam, eum condemnando, commiserunt, in quo adhuc perseverant, et hactenus unanimiter a mille quadringentis annis citra pertinaciter perseverarunt.

Certum enim est quod in captivitate babilonica, quoniam peccata que primo committebant, committere cessarunt, liberati brevi tempore, sua peccata purgarunt.

Sed in captivitate presenti, quoniam crimen est inter eos occultum, et oculis et mentibus offuscati non cognoscunt nec convertuntur ab illo, non immerito captivitas adhuc durat. De hoc enim solemnissima est auctoritas in Talmut sic dicens:

«Que differentia est inter primos et ultimos?» Respondetur ibidem: «Quoniam primorum fuit revelatum peccatum, eius finis fuit revelatus; ultorum vero, quoniam non fuit revelatum eius delictum, nec fuit revelatus eius finis» (13).

Ex hinc igitur bene possunt vere censi auctoritates per eos inducte, dicentes quod propter eorum peccata manent in captivitate, et adventus Messie retardatur. Verumptamen sunt ceci, peccatum illud ignorantes.

(13) Cf. *Pugio*, 897-898 (ex J. Yoma, cp. Shib'at Yamim).

In hoc enim quarto puncto sufficit quod dictum est, quod satis est notorium ac manifestum. Verum in fine dicti puncti dicitur per iudeos, quod propter hoc in hac questione non intendimus ultra loqui, non obstante quod bonas habeamus ac sufficientes responsiones ad id quod super hoc dixit prefatus magister Ieronimus. Dico quod hec est excusacio quam in defectu responsionis assignant, quoniam si hoc, sicut allegant iudei, esset verum, inter tot responsiones insufficientes per eos traditas, plures rationabiliter allegassent sufficientes.

Quintum vero punctum iudeorum, est oppinionem in precedenti responsione traditam minime revocare, ymo in eadem pertinaciter perseverare, rationi contra eos facte non respondentes. Ex quo de necessario sequitur quod, aut ipsi prefate rationi respondeant, aut responsionem in hoc casu factam revocent ut hereticam.

Ad id quod ipsi vero dicunt de Ezechia, quod Deus volebat, nisi quia propter iusticiam detinebatur, ipsum facere Messiam, etc.

Dico fore contrarium, quoniam velle divinum et eius facere idem est quod suprema iusticia. Et cum auctoritas dicat: voluit Deus Ezechiam facere Messiam. Ergo, si fecisset, fuisset suprema iusticia. Quod est contra eorum responsionem. Et Deus hoc voluit facere, et, secundum eos, erat contra iusticiam, quia virtus iudicialis se opposuit. Ergo voluntas eius erat contra iusticiam. Hoc quidem totum est hereticum. Ergo ponens hoc, oportet ut id revocet, aut melius respondeat.

Sextus quidem punctus, quod est auctoritatem de suo Talmut super factis Messie eis allegatam negare, cuius negativam probant ipsi per aliqua verba Doctorum talmudistarum et rabini Moysi de Egipto, qui dicere videntur ea que tangunt Messiam et adventum eius esse occulta.

Dico quod ad hoc possunt due responsiones fieri valde rationabiles: Prima, quoniam si ipsi negant auctoritates suorum rabbinorum per me eis allegatas, multo rationabilius quas iudei contra me allegant possum negare et debeo. Non enim maior est fides istis quam illis adhibenda. Et sequetur eciam ex hoc totum Talmut posse negari.

Secunda ratio, auctoritati enim per me eis allagate, est fides merito adhibenda; auctoritati quidem per eos contra inducte, nulla est fides adhibenda. Ratio est, cum principalis mea auctoritas sit antiquissima, ab Helia propheta desultans, ut supra probavimus, que quidem certum tempus Messie prefigit et assignat. Post hec vero, postquam quidem venerunt rabini talmudiste et moderni, sicut

Rabi Moyses et Rabi Salomon, et non modica angustia se videntes, quoniam tempus super adventu Messie per eas prefixum iam effluxerat, et Messias secundum eorum opinionem nondum venerat, cautellas inquirere habuerunt, quarum minime reperierunt meliorem quam dicere textus seu auctoritates de hac materia loquentes esse valde occultos, et ad literam eas minime debere intelligi. Et non tantum hoc fecerunt, verum etiam in omnes adventus Messie finem prenunciantes seu calculantes maledictionem fulminarunt. Et dicitur in Talmut (14): «frangentur spiritus eorum terminos calculancium». Deinceps dictam maledictionem ipsi met infringunt. Rabi namque Moyses de Egipto, in tractato vocato libellus de Teman, conatur incucere quoddam compotum de Messie adventu, quod credit per regis textum probare dicens quod habet fundamentum per tradicionem, quam habuit a suo progenitore, et eius progenitor ab eius avo, et sic deinde usque ad incam captivitatis Ierusalem proseguendo. Et ex illo compoto, ducenti tot anni sunt elapsi. Post eum vero veniens magister de Girona asseruit quod ipse 'repererat' [E. reppererat] infallibiliter, quod quinque milia anni et centum ac octo a creacione mundi complerentur usque ad adventum Messie 'quondam' [E. quod] publice per sinagogas predicavit. Et post hoc vero compotum quinquaginta et quinque anni fluxere. Ex quo evidenter apparet iudeos ipsos [E. + sive in hoc], sive in negando talmudicas auctoritates penitus vacillare. Verumptamen, de superna illustracione confisus, quod iudei de necessitate fidem penariam teneantur adhibere omnibus in suo Talmut contentis, iuxta sue credencie fundamentum, quantum potero sufficienter probabo. Hoc tamen cum per Sanctitatem prefati Dimini Nostri Pape fuerit ordinatum, et michi devoto suo iniunctum. Cum hoc enim concludendo, dico presentem iudeorum captivitatem propter nichil aliud esse atque fuisse quam propter excessivum contemptum quem eorum predecessores contra verum Messiam exercuerunt. In quo quidem contemptu sunt adhuc moderni pertinaciter perseverantes, ut evidenter patet me sufficientissime probavisse.

Uterius cuncte glose per eos super allegata eis auctoritate principali de Helia, et omnibus aliis verbis per ipsos in suis responsionibus allegatis, sunt valde sufficienter per me revocate ac etiam annullate. Propter quod, hoc toto semoto, ac eidem satisfacto, stat dictam auctoritatem, sententiam indubitam verissimamque tribuendo, firmissime loqui ac certitudinaliter.

Item sequitur ex superius habitis prefatam auctoritatem de ne-

---

(14) Sanh. 97 b.



cessitate debere intelligi simpliciter et secundum sensum per litteram ostensum, ex quo quidem sensu multum necessario sequitur primam per me positam conclusionem, scilicet, Messiam venisse, et quod sunt plures quam mille anni post eius adventum elapsi. Hec autem erat prima et principalis informacio seu intentio in qua Sanctissimus dominus noster Papa dictos iudeos voluit informari.



## SESION XIV

DIE VERO MERCURII, quinta decima marcii, iudeus, non recedendo a protestacionibus per eum superius factis, et loquens semper cum humiliori ac debita reverencia qua potest et scit Beatitude Domini nostri Pape, eiusque Sacri Collegii, ac cum honore honorabilis Magistri Ieronimi, qui iam prima dieta, qua eis ex parte Domini nostri Pape est iniunctum respondere, suam allegavit insufficienciam et ignoranciam, et publicavit, in tam excellenti materia, in qua non erat, neque est sufficiens ad loquendum, multoque minus ad respondendum, nisi ut prefatis Domini nostri Pape mandatis obediret ac ea compleret; propter quas ignoranciam ac insufficienciam in dicta auctoritate, scilicet, «legebatur in studio Helye», etc., intendit sufficientissime respondisse, et illam concorditer declarasse cum eius oppinione, scilicet, quod Messias nondum venit; et eciam hiis que per dictum magistrum Ieronimum super prefata auctoritate fuerunt allegata, intendit satisfacisse; et, non obstante quod sufficientem super ea habuerint deliberacionem, et super argumentis et replicacionibus per dictum magistrum Ieronimum in ea factis, dicit iudeus ad presens nichil ultra se scire.

Hoc quidem dat prefatus iudeus responsum omnibus sex punctis in cedula magistri Ieronimi contentis, et eorum cuilibet, excepto quod ad illud quod in primo puncto dicitur, totum Talmut esse legem a Deo Moysi oretenus cōtatam, quoniam hoc, in modum quo per dictum magistrum Ieronimum fuit positum, negat iudeus.

Eciam dicit quod raciones per dictum magistrum Ieronimum contra dictos iudeos allegate, non distrahunt iudeum ab eius propria oppinione. Verumptamen dicit quod si in eo quod dixit, verbum aliquod fuerit, vel aliqua verba fuerint, quod aliquo modo dici

possit hereticum, id annullat, revocat, et vult ac si non fuisset dictum haberi, ut in principio rationum dicti iudei fuit per eum la-  
cius protestatum.

Post hec vero, dicta die, sanctissimus dominus noster Papa interrogavit iudeos, an ad deliberandum super argumentis et replicationibus per dictum magistrum Ieronimum circa dictam auctoritatem factis, tempore pluri indigerent, quoniam ipse maius tempus, si vellent, dare eis seu assignare erat paratus. Ad quod iudei respondentes dixere nolle plus de tempore, nec se super hoc amplius velle deliberare.

Eadem die venerunt aliqui iudei de Cesaraugusta, de Turolio, et de Alcanicio dicentes quod audierant relative in suis locis de responsionibus debillimis quas eorum dabant rabini, et ideo deliberaverant ad fidem converti catholicam; quibus dominus noster Papa dare baptismum precepit. Et fuerunt viri notabiles numero tredecim; et postmodum omnes sic baptizati, ad propria redeuntes, fecerunt uxores, filios, et totam eorum familiam baptizari.

## SESION XV

DIE VERO MERCURII, vicesima secunda mensis marcii, prefati anni, in presencia Beatissimi ac Sanctissimi Domini Nostri Pape, totiusque Sacri Collegii, rabinis presentibus supradictis, magnaue multitudine iudeorum, constitutus dictus magister Ieronimus, proposuit dicens:

Non obstante quod per prefatam auctoritatem venisse Messiam sufficientissime 'probaverit' [E. probaverim]; cunctisque expositionibus, glosis per iudeos super eam factis, usquequo dicti iudei dicere habuerunt quod nesciebant plus dicere, nec super hoc amplius respondere, copiose satisfecerim; verum etiam ad eos in veritate magis informandum, ad dicte conclusionis plenioram corroboracionem, nonnullas auctoritates seu prophecias, ex quibus sequitur et necessario monstratur Messiam iam venisse, in medium adducere intendebat.

Et primo induxit quamdam auctoritatem in quodam libro vocato Sanhedrin, ultimo capitulo, ubi dicitur:

«Dixit Helias ad Rabi Iehuda, fratrem Rabi Çille, dictus bonus: Non est mundus minus octoaginta et quinque iubileis. Et in ultimo filius David veniet. Cui replicuit: in principio an in fine ipsius? Respondit: in fine ipsius» (1).

Glosat Rabi Salomon: »istud sumat quatuor mille ducentos et quinquaginta annos, quoniam quilibet iubileus est quinquaginta annorum; et in ultimo iubileo filius David veniet.»

Digo ego, magister Ieronimus, quod hec auctoritas valde est auctentica, in quantum a propheta Helia resultare dicitur, qui, ut

---

(1) Sanh. 97 b. (en el texto *actual* Elías responde: «Yo no lo sé», cf. ed. fragm. B. N. p. 78).

supra probavimus, dicto Rabi Iehuda sepissime apparebat; propter quam etiam apparet evidenter manifeste debere venisse Messiam, antequam complerentur quatuor mille ducenti quinquaginta anni a mundi creacione. Quod quidem tempus, et multum plus ultra, certum est preterisse. Ergo Messias venit.

Unum enim propter quod prefata auctoritas esse firmissima monstratur, est altercacio Rabi Iehude, quam faciebat cum ingenti instancia, ut sciret an adventus Messie esset in principio, an in fine ultimi iubilei.

Prima dicta enim conclusio, per aliam auctoritatem, in eodem capitulo scriptam, manifestatur, ubi dicitur (2):

«Semel Rabi Iosue, filius Levi, reperit dictos Heliam et Rabi Iehudam ad portam sepulture Rabi Simeonis. Dixitque Rabi Iosue Helie: Quando veniet Messias? Respondet Helias: Vade, interroga ab eomet. Cui dixit: Et ubi est? Et ille respondit: Ad portam Rome reperies, inter illos qui paciuntur infirmitates. Qui iens reperit sicut per Heliam fuerat sibi dictum. Dixitque: Pax tibi, Rabi Domine. Cui respondens Messias, inquit: Pax tibi, fili Levi. Tunc Rabi Iosue: Quando veniet Dominus? Cui ille respondit Hodie. Et reversus est ad Heliam. Cui Helias: Invenisti eum? Dixit: Ita. Cui Helias: Quod dixit tibi? Dixit michi: pax tibi, fili Levi. Cui Helias: securos te redit et patrem tuum, quod habebitis futurum seculum. Cui dixit Rabi Iosue: quid faciemus? Quoniam dixit quod veniret hodie, et non venit, et videtur michi dixisse falsum. Dixit ei Helias: Hodie si vocem eius audieritis».

Preterea subsequenter est ibidem alia auctoritas, ubi dicitur sic (3):

«Reperit Rabi Iosue, filius Levi, Heliam et Rabi Simeonem ad portam paradisi existentes. Quibus dixit: Quando veniet Messias? Ad quem responderunt: Quando [E. + velit] iste Dominus Noster. Dicit Rabi Iosue: Duos homines videbam et vocem trium audiebam.» Et declarat Rabi Salomon quod ille tercius erat Messias.

Dico enim quod per has duas auctoritates patet manifeste quod tempore Rabi Iosue et Rabi Simeonis, qui a mille ducentis annis et ultra fuere, iam natus erat Messias, et quandoque ad portam Rome, et quandoque ad portam paradisi repertus est. Et ex verbis prefate auctoritatis elicitur adventum Messie dupliciter considerari: uno si quidem modo de adventu eius generali, scilicet, de tempore eius nativitatis. Secundo, de eius adventu

(2) Sanh. 98 a. Cf. *Pugio*, 359.

(3) Sanh. 98 a. Cf. *Pugio*, 351.

particulari, ad quemlibet eorum qui ad fidem eius convertuntur ad credendum in eum. Respectu quidem primi adventus, auctoritates dicunt ipsum fuisse Rome, et fuisse in Paradiso. Respectu vero secundi, respondit Rabi Iosue quod veniret hodie. Erat quidem intentio eius dicere: Quacumque die et hora, qua infidelis ad eum convertetur. Tot enim sunt anni quod in mundum venit. Sed nondum venit ad vos, iudeos, quousque vocem eius audieritis, scilicet, quod eius doctrinam sanctissimam observaveritis.

Preterea dictam possumus conclusionem corroborare per quamdam auctoritatem in Talmut ierosolimita, in quodam libro vocato Beharot, in capitulo quod incipit Hayacore [E. + et] in libro vocato Echarabeti scripta, ubi sic inquit (4):

«Dicit Rabi Iodan: In eodem met die quod fuit destructio templi, fuit nativitas Messie. Accidit autem cuidam iudeo aranti, eius bove mugiente, transiensque arabs et audiens bovis mugitum, dixit: Hebre, fili hebrei: Solve boves et iugum, quoniam vestrum destruitur sanctuarium. Bove deinde remugiente, dixit ei iterum arabs: hebre, fili hebrei: Iunge boves, quoniam natus est rex Messias. Cui iudeus dixit: Quod est nomen eius? Cui arabs: Menahem, id est, Consolator. Cui etiam iudeus: Quod est nomen patris eius? cui arabs: Ezechias, id est Fortitudo Dei. Dixitque ei iudeus: Et ubi natus est? Cui ille: In Bethleem Iude. Dixit autem Rabi Abon: Et ad quid oportet adiscere ab arabibus, cum clarus est textus Isaie dicentis (5): 'et libanus cum excelsis cadet', et sequitur (6): 'Et egredietur virga de radice Iesse?»

Preterea, per quamdam aliam auctoritatem in Genesi magno scriptam idem patet diligenter intuenti, ubi sic inquit (7):

«Dicit Rabi Samuel, filius Rabi Naaman: Semel itineravit Helias, die quo fuit destructio templi, et audivit filiam vocis, id est, revelacionem clamantem et dicentem: templum sanctum tendit ad destructionem. Cum Helias id audivisset cogitavit qualiter posset mundum destruere, et tunc iens, hominesque arantes et seminantes reperiens, dixit eis: Deus iratus est mundo, et vult destruere donum eius et captivare filios eius inter gentes, et vos cogitatis et laboratis in temporalibus. Exiitque revelacio secunda dicens: Dimitte eos quoniam natus est ad Israel Salvator. Tunc

(4) *Eka Rabbati* parashá 1, in Lam. 1,16. J. Berakot 5 a Cf. *Pugio*. 348-349.

(5) Is. 10,34.

(6) Is. 11,1.

(7) *Bereshit Rabbá de ha-Darshan*, par. 73 in Gen. 30-38 (ed. B. N. n. 73, p. 78-81. Cf. *Pugio*, 350-351).

Helias inquit voci: Et ubi est ipse? —Cui vox: In Bethleem Iude. —Qui iens reperit mulierem sedentem ad portam domus sue, filio eius sanguinolento ante faciem eius iacente. Dixitque Helias: —Filia, filium peperisti. —Qui dixit: Ita. —Cui Helias: Et quid est de eo? sic est involutus in sanguine. —Que dixit: Ingens malum [E. + est], quoniam in die quo natus est, fuit templum destructum. Cui Helias: Filia, surge, et accipe eum, quoniam per manum suam fiet salvatio magna. —Tunc mater, surgens, cepit eum; et dimisit eam et recessit.

Post quinque vero annos dixit: óbo, et videbo Salvatorem Israel, si nutriatur in forma regia, aut in forma angelica. Veniens reperit mulierem ad portam domus sue. Dixit ei: —Filia, quid de iuvene illo? —Cui illa: Rabi, iamque tibi dixi quia cum malo mittebatur, quoniam die quo natus est fuit templum destructum; non obstante quod habet pedes et non ambulat, oculos et non videt, aures et non audit, os et non loquitur, et sic est sicut lapis. Sic eis invicem colloquentibus sufflavit ventus a quator mundi partibus, eiecitque eum in mare maius. Tunc ipse scindens vestimenta sua, pilansque caput, dixit: —Heu, quoniam perdita est salvatio de Israel! Tunc exiit quedam revelatio dicens: —Helias, non est sicut credis. Verum quatuor centis annis morabitur in mari maiori, et octoginta annis versus partes quo fumus ascendit iuxta filios Core, et octoginta annis ad portam Rome, residuum vero annorum per universas civitates magnas usque ad finem.»

Verum, si dixeritis vos, iudei, quod ex hiis duabus auctoritatibus bene sequitur ipsum illo tempore natum fuisse, tamen per eas non demonstratur ipsum esse manifestatum, nec publicatum, dico quod adventus eius et publicatio monstratur esse evidenter per illam propheciam Isaie, ultimo capitulo, ubi dicitur (8):

«Antequam parturiret peperit; antequam veniret partus eius peperit masculum.»

Et super hoc enim textu declarat Rabi Samuel, filius de Naanam, inquiens (9): «In hora qua fuit destructio templi, clamavit Israel sicut parturiens, et incontinenti natus est Messias.»

Et dicit translacio caldayca: «Antequam veniret ad eam angustia, salva facta est; et antequam venirent dolores partus, fuit discopertus, seu revelatus rex Messias» (10).

Sequitur quod Messias et nativitas eius debuit manifestari et

(8) Is. 66,7.

(9) *Ber. R. de ha-Darshán*. par. 73, in Gen. 30-38 (ed. B. N. n. 73, p. 81. Cf. *Pugio*, 349).

(10) Cf. *Pugio*, 350.



esse antequam angustia veniret super Ierusalem; que quidem angustia non potuit maior fuisse quam ut prede, destructioni ac incendio traderetur, populusque eius, perduto dominio, servituti ac gladio subderetur ac traderetur. Sed angustia prefata sunt ultra mille anni quibus fuit. Nativitas ergo et manifestacio Messie ultra mille anni sunt, quibus fuit.

Iudei quidem interrogati an in illa instancia dicere vellent aliqua seu respondere dixerunt quod, attento quod ipsi, pro oppinione sua, Messiam nondum venisse asserebant, atque per quamplures prophecias ad litteram quamplures condiciones in eius adventu erant sequutur, que nondum erant adimplete, ymo quas-cumque prophecias, glosas aut auctoritates, contra eorum prefatam oppinionem venientes, prenominati iudei intelligunt debere figurative intelligi, et, per consequens, dicte sex auctoritates, et que-libet earum per se figurative, non autem ad litteram debent intelligi.

Tunc dictus magister Ieronimus eos interrogavit dicens:

Esto quod non figurative, sed ad litteram intelligerentur, an iuxta sensum litteralem et verborum planiciem, sequatur ex ipsis dicta conclusio, per dictum magistrum Ieronimum posita, scilicet, quod Messias iam venit, an non? Quibus respondentibus: non. Tunc dominus noster Papa dixit eis: Certum est cunctas condiciones Messie assignatas fuisse iam diu est adimpletas, ut loco suo patebit, et superius est iam dictum. Tamen propositum seu intencio magistri Ieronimi est quod, postquam auctoritates per dictum magistrum Ieronimum allegate ad litteram Messiam iam venisse evicenter concludunt, ad prefatos iudeos convenit ostendere, iuxta sensum litteralem, qualiter non sequatur dicta conclusio. Uterius prefatus dominus noster Papa eis iniunxit quod, postquam ipsi iudei dictas auctoritates loqui figurative asserebant, quod declararent quenam esset earum figura, et quisnam doctor esset hoc dicens et declarans.



## SESION XVI

DIE QUIDEM VENERIS, ultima marcii, iudei quamdam cedula presentaverunt sub tenore sequenti:

Iudeus, loquens semper cum humiliori et debita qua potest et scit reverencia Beatissimi Patris, sui que Sancti Collegii, ac cum honore honorabilis magistri Ieronimi; protestacionibus premissis per cum in cedulis superius habitis, dicit quod ipse ratam habet hanc conclusionem: Messias nondum venit. Et verum hoc credit, quoniam hoc patet per prophecias, Messiam debuisse certas condiciones habere, et quod tempore sui adventus certi actus per eum debebant actualiter adimpleri; que quidem condiciones, in quamplurimis propheciis large et specificè contente, amodo actualiter minime fuerunt adimplete, ut per dictum iudeum pluries valde diffuse fuit alias allegatum. Et ideo convenit quod, si que verba seu auctoritates super facto Messie tractantes reperiri contigerit, iuxta consonanciam cum dicta vera, quam iudeus tenet et credit, conclusione, debere illa intelligi et declarari; maxime cum verba prefata, et auctoritates supra dictas ponentes, legis mosayce fuissent observatores, qui Messiam nondum venisse credebant. Verba, namque, secundum quod fuerunt ipsa dicentes, et quibus dicuntur, debent assumi: non enim oportet iam dicere iudeum presumere aliqua auctoritate talmudista [E. talmudica] et multo minus cuiusvis alterius tractatus vigore, eum non posse in facto Messie conveniri, cum ad fidem prestandam dictis auctoritatibus ad litteram minime obligatur.

Et hoc quidem probatur tribus racionibus: quoniam persone super facto Messie loquentes ex presumpcione loquebantur, sic enim locuntur in opere vocato Hagadot, id est narracionibus, ut patet in fine libri vocati Maquot, ubi sic inquit: «et sicut ascendit in celum et descen-

dit. Sed textus sunt quos glosamus». Unde videtur quod solum hoc dicebant ex presumptione, sicut usus est predicantium, dicentium quod ipsi intelligunt in aliqua doctrina, aplicantes illam ad aliquem textum, aut aliquod dictum doctoris auctentici, quamvis eius intencio non sit illa. Et ideo hoc modo loquebatur iudeus dare fidem in eis, dumtaxat in quantum cum sua concordant opinione, et non amplius.

2.<sup>a</sup> ratio: quoniam, postquam prefate auctoritates tempus diversum ad Messie adventum sunt assignantes, et inter se repugnantes, nullam iudeus tenetur hiis quibus aliquis doctor dixerit ex adverso fidem adhibere.

3.<sup>a</sup> Quoniam Agadot, quod idem est quod fabule, sunt talis nature quod iudeus non obligatur eis aliquam fidem adhibere, nisi ea exposuerit aut taliter declarat, ut cum dicto articulo, quem ipse tenet et asserit validum, ac per prefatas prophecias probatum, concordaverit; presertim cum dicti doctores talmudiste in quam plurimis diversisque locis post destructionem templi secundi ultra trescentos annos dixerent quod Messias nondum venerat; et si dictam expositionem iudeus facere ignoraverat, suum debet firmiter tenere articulum per prophecias probatum, et de expositione auctoritatis minime curare. Ex hoc quidem fides eius nullam reperit diminutionem. Et ideo dicit Rabi Moyses de Egipto quod homo non debet facere vim de Hagadot, quod est dicere de fabulis, loquentibus de Messia, ut supra fuit allegatum. Et [E. + cum] expositiones Hagadot sint maxime difficultatis, specialiter in materia tam ardua tamque excellenti platea, dicit iudeus quod, secundum alias pluries dixit, ad dictas auctoritates exponendum, eius ignorantia intenta ac eius insufficiencia, se non sentit sufficientem. Verumptamen dicit quod, propter eius ignorare dictam expositionem facere, fides eius in nullo penitus minoratur. Ideoque de aliqua Agadot, id est fabula, nulla sibi potest fieri consequencia; et pariter de aliquo textu propheciarum; quoniam glosatores antiqui et ordinatores glosaverunt textus per glosas cum suis articulis consonantes, quas quidem glosas iudeus habet firmas et veras; et ideo dicit iudeus quod in textibus nec in auctoritatibus non oportet eum amplius quam hoc ad quascumque auctoritates vel textus propheticos contra eum allegatos respondere. Presertim dicit iudeus quod, postquam secundum sibi a sancto Patre pluries dictum, hoc constat esse informacionem, quod ipse dictam informacionem tocians quociens eius Sanctitas mandaverit, est audire paratus.

Verumptamen propter beatissimi Patris obedire mandatis, iudeus iuxta eius ignoranciam et insufficienciam, interrogacioni super litte-

rali sensu sex allegatarum auctoritatum per dictum magistrum Ieronimum facte, respondeat:

Et primo, ad auctoritatem octoaginta quinque iubilaeorum (1), quam prefatus magister Ieronimus ad probandum eius intencionem allegavit, dixit quod, esto quod ad litteram intelligatur, ex ea dicti magistri Ieronimi non probatur intencio. Et hoc quoniam Rabasse, qui fuit compilerator Talmut, certo tempore antequam ultimus inciperet iubilaeus, ut habemus in cronica, diem suum clausit extremum; et in fine dicte auctoritatis, eius intencionem declarando, sic dixit: «dixit Rabasse: sic dixit ei: usque tunc, non expectes eum; ex tunc, expecta eum». Et declarat Rabi Salomon quod vocabulum *cechi*, quod idem est quod expectare, quasi dicat quod intencio prefatam auctoritatem dicentis non erat limitata. Et tempus in quo deberet venire Messias, sed limitare tempus quo rationabilius debebat expectari. Et non potest argui quod Rabasse hoc dicebat quia erat angustiatus quia non veniebat Messias, cum nondum fuisset inceptus ultimus iubilaeus. Postquam autem Rabasses dixit hoc fuisse auctoritatis intentum, huic, et nulli alteri, fidem prestare debemus.

Ad secundam vero auctoritatem sic dicentem (2): «Helias reperit Rabi Osua filium, Levi», etc. Respondet iudæus quod ex illo auctoritate, eciam si ad litteram intelligatur, non probat nec fundat dictus magister Ieronimus eius propositum, scilicet, Messiam venisse; ymo ex ea videtur manifeste concludi nondum venisse Messiam. Et hoc propter interrogacionem a dicto Rabi Iosua ad Heliam factam, scilicet, quando veniret Messias; ex quo videtur nondum venisse Messiam tempore Rabi Iosue, filii Levi, qui fuit plusquam trecentis annis post templi secundi destructionem.

Et, pari forma, ex tertia auctoritate (3) clare videtur Messiam nondum venisse, postquam in ea petebatur quando veniet Messias. Et ex modo loquendi dictarum duarum auctoritatum clare patet Rabi Osuam, filium Levi, hoc refferre, nec in dictis auctoritatibus erant actualiter contenta; quoniam impossibile esset dictum Rabi Osuam ire ad paradysum, vita adhuc vivente mortali, et deinde quod iret a Ierusalem in Romam, et a Roma in Ierusalem, et quod loqueretur cum Rabi Symeone, filio Ichay, qui diu ante mortuus fuerat, nec loqueretur cum Deo. Ex quo manifeste claret prefata actualiter minime existere, nec de facto; et ideo ex hoc non potest aliqua actualis conclusio elici, nec sententia.

(1) Sanh. 97 b.

(2) Sanh. 98 a.

(3) Sanh. 98 a.

4<sup>am</sup>. vero auctoritatem, ubi bos dicitur mugisse, etc. (4), respondet iudeus quod de mugitibus bovum, nec de auguribus nulla debet mencio fieri, nec fides prestari in eis. Eciam quod finis auctoritatis dicentis: «dixit Rabi Abon: quod habemus recipere de arabibus? quoniam textus est Isaie clarus, ubi dicitur: et Libanus cum excelsis cadet (5); et sequitur infra: egredietur virga», etc. (6), videtur non esse necessarium ad nativitatem Messie secundi templi destructionem; per dictam enim prophetiam, ac per translacionem patet caldaicam; textus vero dicens quod Libanus cum excelsis cadet loquitur super destructione Senacherib, et loquens de eo prophetabat super Messie adventu. In eo vero quod textus inquit: «egredietur, virga, etc.», et declaracio eiusdem est: quod Deus noster aliquod malum ordinat contra Israel aut fortunam sequi, immediate ordinat quod habeant bonum et illius mali reparacionem; similiter autem, cum ordinaverit primam templi destructionem atque secundam, immediate ordinavit quod Israel Messiam haberet, ad illius mali reparacionem, et quod non maneret in eo perpetuo. Et vocabulum *ydyeliç*, idem est quod fuit ordinatum seu dispositum nasci. Sic enim reperimus Isaie capitulo nono, scriptum, ubi dicitur (7): «puer natus est nobis, et filius datus est nobis», etc. Qui quidem textus [E. + vult dicere] ordinatus ad nascendum, idque dicit alius textus in libro Regum (8): «ecce filius natus est domui David», etc., quod idem est quod ordinatus est ad nascendum. Et hoc pro tanto, quoniam ea que ordinata sunt a Deo nostro, locuntur prophete de eis ac si facta essent, cum sit certum ea esse futura. Homo quidem arabs consolabatur iudeum inquiring quod non tristaretur credens quod israelite iam penitus destructi fuissent, aut periti totaliter sine spe aliquali, quoniam non erat ita, ymo certus esset quod Messiam haberent, cum iam esset ordinatum a Deo nostro quod de genere David, qui erat de Bethleem, ipsos iudeos Messiam habere debebant, qui edificaret templum, ut in fine patet auctoritatis, ubi dicitur: «et per manum eius templum edificabitur». Sensus quidem literalis 'perfecte' [E. prefate] auctoritatis iuxta sciencie perivitatem iudei, est iste. Postquam igitur templum non est edificatum, necessarium est quod verbum *ydyeliç* [= *it,elid*], ubi dicitur «natus est», quod velit dicere ad literam ordinatum, ut superius dictum est, ad nascendum.

Preterea ad 5.<sup>am</sup> et 6.<sup>am</sup> auctoritates, ubi inquit prefatus ma-

(4) J. Berakot 5a; *Eka R.* par. 1, in Lam. 1,16.

(5) Is. 10,34.

(6) Is. 11,1.

(7) Is. 9,6.

(8) 3 Reg. 13,2.

gister Ieronimus quod sunt in Genesi magno antiqua, inquit iudeus similes auctoritates quidem, et quamvis satis eas in suis codicibus perquisisset diligenter, minime reperisse. Ideoque eis dixit quod fidem aliquam non tenetur adhibere, et per consequens, nec ad eas respondere. Verumptamen cum dicto iudeo in auctenticis libris fuerint edocte, ut melius eis poterit, respondebit.

Ad illud vero quod magister Ieronimus inquit de «textu Isaie, capitulo ultimo, videlicet (9): «antequam parturiret peperit», etc., dicens quod secundum caldaycam translationem videtur Messiam debere natum fuisse ante destructionem tempi, respondet iudeus glosatores hebraicos super guerra de Gog et Magog, in qua Israel paciatur angustiam, que numquam similis fuit audita, ut Danielis legitur, capitulo ultimo (10); «et erit hora angustie», etc., hunc textum declarasse: et hoc debet contingere cum Messias venerit; et hoc est quod dicit «antequam parturiret, peperit», quasi velit dicere quod antequam dolores paciatur fortissimos, et dicte guerre angustias, deliberabitur in valde brevi tempore, et erit mirabile cunctis gentibus. Sic enim textus inquit (11): «si nata est gens in uno momento», etc. Sic enim declarat Rabi David Camhi, et quamplures alii glosatores in eorum glosis.

Ulterius ad ultimum in dicta cedula que incipit: item dicit dominus noster Papa, etc. Respondens iudeus, inquit quod in prefatis auctoritatibus et quacumque carum, iuxta eius ignoranciam eiusque insufficienciam, se iam dixisse suum intentum, quos scivit et potuit allegando doctores. Verumptamen in quantum iudeus non est ad dandum fidem obligatus auctoritatibus prefatis, ut supra dixit, et eciam quia de valde secretis loquuntur, ideo non potest alios doctores in publicum deducere, cum doctorum intencio fuerit eas ponere occultas. Et ideo glosatores dictas auctoritates non curarunt declarare, nec de eis facere mencionem. Propter quas rationes intendit iudeus, iuxta eius ignoranciam et insufficienciam, quod dictus magister Ieronimus eius intencionem, scilicet, venisse Messiam, apparuisse, nec ipsum natum esse probaverit, ymo prefatus iudeus in eius oppinione conquiescit. Et hoc est quod ad presens dicto iudeo videtur occurrere.

(9) Is. 66,7

(10) Dan. 12,1 (T. M.).

(11) Is. 66,8.





## SESION XVII

DIE LUNE, tertia mensis aprilis, prefatus magister Ieronimus contra dictam per prefatos iudeos responsionem replicans, sic affatur:

Duodecim puncta responsionem prefatam continere, ut clare patet eam diligenter perscrutanti:

Primo, enim, reperfidare certas condiciones ipsius Messie prophetatas.

2.<sup>o</sup> dictam perfidiam, scilicet, quod dictatores auctoritatum fuerint iudei, presumere refirmare.

3.<sup>o</sup> quod auctoritates talmudice ex presumptione dicebantur, et non ex certitudine, pertinaciter tenere.

4.<sup>o</sup> quod auctoritates dicuntur invicem repugnare, propter quod eis nulla est fides adhibenda.

5.<sup>o</sup> quod opinio quam tenet iudeus est articulus, et ideo omne sibi repugnans est negandum.

6.<sup>o</sup> auctoritatem octoaginta quinque iubilaeorum velle capitose impugnare.

7.<sup>o</sup> quod ex secunda et tertia auctoritatibus non sequatur venire Mesiam, sed eius oppositum 'tenere' [E. temere] concludere.

8.<sup>o</sup> auctoritatem quartam credens annullare, dicit eam nullius esse efficacie.

9.<sup>o</sup> duas ultimas auctoritates, quoniam eis ad oculum in codicibus non docentur, velle negare.

10.<sup>o</sup> ad prophetiam ei allegatam de capitulo ultimo Isaie credere respondisse.

11.<sup>o</sup> ad interrogacionem sibi factam ut auctoritatum parabolas declararet, respondere.

12.<sup>o</sup> quod per prefatas auctoritates meam non concluderim intentionem credere conclusisse.

Primum, igitur, certas condiciones de ipso Messia prophetizatas reperfindiare.

Contra quod dico quod in omnibus iudeorum responsionibus, contra debitum ordinem et rationabilem, ipsi iudei in dictam inciderunt perfidiam, ut dictam perturbent informacionem. Quoniam, ut iam dictum est supra, plures has quidem condiciones, quas ipsi dicunt propter Messiam fiendas, ut puta, populum in illis partibus congregare, templum de Ierusalem materialiter reparare, eosque in prosperitate ponere, totum enim hoc est contrarium illius quod ipsi ponunt, quoniam eo modo quo debent intelligi, ut in dieta per dominum nostrum Papam, cum eius Sanctitati placuerit, assignanda, lacius probabo, Deo duce, non intelligunt prophcias. Et ideo cum non libeat limites presentis materie transgredi, nec debeamus mutare materiam, de hoc puncto ad presens non immerito supersedeo, ac supersedere conabor.

2.<sup>um</sup> vero punctum, est credere refirmare dictam perfidiam dicendo, etc.

Contra hoc dico: quod plures auctoritates illis allegate, fuerunt antequam tempus adventus Messie completeretur, sicut sunt auctoritates Helie, et nonnullae per revelacionem vocis de celo. Et esto quod sint nonnullae posterius dicte, certum quidem est quod eas dicentes, non a se, sed a tradicionem antiquorum habebant, ut ipsi credunt quod totum Talmut est habitum per tradicionem.

Ad id enim quod iudeus dicit quod, si sic intelligeretur, quomodo essent legis dictatores.

Dico quod non est mirandum, quia iam reperimus hominem revelaciones habuisse divinas, et contra illas operari, sicut fuit Balaam, et plures et plures alii, qui miracula visibiliter viderunt per Deum facta, et propter dyabolicam temptacionem contra Deum venire, sicut Chore, et Datan, et Abyron, pluribusque ex populo legitur in deserto accidisse. Hoc quidem modo fariseis et rabinis talmudistis, qui cum tot inenarrabilibus miraculis Messiam inter eos clare videbant, indubitanter accidebat, sed eos temptacio dyabolica mente captos et tenebratos detinebat, verissimam ab eis tollens noticiam, sicut hiis qui in sciencia per manum dyabolicam acquisita insudabant, ut in illa Bentamalionis istoria, que in Talmut est in quodam libro vocato Mehilla, sicut infra declarabitur, gracia favente divina, lacius ac clarius continetur.

3.<sup>um</sup> vero punctum est pertinaciter tenere auctoritates de Messia loquentes, cunctasque alias narraciones talmudistas, dictas

esse ex presumptione. Et quamvis hec erronea opinio fuerit alias, in qualibet responsione quam iudei fecere, allegata, et per me satis reprobata; verumtamen in omnibus hiis replicare oportet dicens quod, si hec opinio apud iudeos vera censeatur, sequetur nichil in Talmut esse certum, 'cum omnesque talmudiste sentencie' [E. cum omnes talmudice sentencie non sint sentencie] textibus legis adiuncte, igitur omnes erunt ex presumptione et dubie. Item aliud sequitur maius inconueniens, omnes principales articulos credulitatis hebraice ex narrationibus et sermonibus adiunctis et non nullis textibus legis obscuris applicatis resultare ac nasci, non quidem quod non sint ad literam clari, ut puta mundum ex nichilo esse creatum, et adventus Messie, et spes resurrectionis, habere veritatem ex presumptione; et secundum hanc opinionem iudeorum, hii articuli solum sunt in presumptione et non in validudine, aut aliqua certitudine seu assercione. Hoc quidem legis destructio et casus est heresis manifeste.

4.<sup>um</sup> vero punctum, est ponere dictas auctoritates esse invicem repugnantes, propter quod dicit quod iudeus non debet eis fidem adhibere, etc.

Contra hoc dico quod, propter diversitatem temporum, non sequitur eas fore contrarias, postquam ex utroque sequitur venisset Messiam. Et hoc nichil aliud est, ac si homines certi dicerent: dominus rex erit Dertuse prima die mensis aprilis; alius autem diceret: secunda die; alius vero, tertia. Et post, cum essent in fine aprilis duobus hominibus invicem altercantibus, uno quidem regem fuisse Dertuse asserente, alio quidem hoc inficiente, et dicta illorum primorum hominum allegarentur, sine dubio omnia dicta illorum, et primi, secundi et tercii, approbarent quod rex fuit Dertuse in mense aprilis. Ita in proposito; presertim cum per veras istorias adventus veri Messie et diversitatis temporum, et qualiter diffunderetur catholica fides per diversas mundi partes, reperientur omnia tempora autoritatum vera 'quolibet' [E. quodlibet] in suo casu.

5.<sup>um</sup> vero punctum est dicere quod Hagadod, seu auctoritates, debent exponi taliter ut cum articulo quem tenent concordent, etc.

Dico: est valde admiratione dignum qualiter sibimet contradicunt dicentes nondum venisse Messiam esse articulum, cum supra, in responsionibus habitis, oppositum asseruerunt. Non enim vertitur in dubium adventum Messie esse articulum, sed dicere nondum venit propter eorum ignoranciam propheciarum, ut infra patebit, non est certe articulus, sed est opinio eorum erronea

et falsa. Ad illud autem quod dicentes allegant Rabi Moysen aliosque quamplures dixisse quod de auctoritatibus de Messia loquentibus non debent facere mencionem seu firmitudinem, dico quod illud quod dicit Rabi Moyses, aliique moderni, et quod dicunt hii qui hodie sunt presentes, totum pendet ex uno, scilicet, quia vident se in labore et angustia, cum omnia tempora sint elapsa, quibus debebat venire Messias. Cum autem ultra nequeant aliquid dicere, auctoritates firmitudinem seu validitatem non habere affirmant, et quod non debent sensus habere nisi spirituales. Si utique bonum haberent iudicium, esset rationabilius censendum ad prophecias, que sunt obscure, magis quam ad verba glosatorum, que secundum bonum iudicium deberent esse clariora, hanc opinionem applicare.

6.<sup>um</sup> vero punctum, est auctoritatem octoaginta et quinque iubilaeorum velle impugnare. Iudeus enim credit se gaudere de uno verbo quod in fine sequitur auctoritatis, ex nomine Rabasse, quod est scilicet «usque tunc non expectes eum, ex 'nunc' [E. tunc] expecta eum». Hec quidem, quam iudeus facit, declaratio, cum honore debito loquendo, falsitate est plena, cum auctoritatis verba non contineant expectare, neque non expectare, sed dicit ad literam: «usque tunc non videbis eum; ex tunc —quasi vellis dicere: 'si' [E. sicut] fueris in ultimo iubileo statim— eum videbis». Probatur, quoniam vocabulum illud *taçtequi* (1), quod est caldeum, idem est quod videre, quoniam sic est targum, id est, caldeum, de respexit Abimelecht: *veythequi*. Et non modicam attendite, rogo, maliciam Rabi Salomonis, et qualiter in glosa huius auctoritatis specialiter est locutus, cum hec duo vocabula *taçtequi*, et *çequi* (2), qui sunt unius et eiusdem derivationis ac originis, diversimode declaravit: primum quidem declaravit, id est, videre; secundum vero, id est, sperare; propter angustiam quam in sua opinione erronea paciebatur, quia Messias nondum venerat.

Preterea, iudeus dixit hec verba: quoniam Rabasse, qui fuit copillator libri Talmut, diu antequam inciperet ultimus iubileus suum diem clausit extremum, non potest argui quod Rabasse hoc dixisset quia erat angustiatus quia non veniebat Messias, quia nondum ultimus ceperat iubileus, etc.

Dico quod in nullo istorum dicit veritatem: constat enim Talmut copilatum fuisse in Babilonia quatorcentis annis post destructionem templi, ut Rabi Moyses de Egipto, in prologo de Mag-

(1) *Tistakki* (Sanh. 97 b).

(2) *Istakki* (Sanh. 97 b).

da reperitur scripsisse: et quatuor mille anni a mundi creacione fuerunt completi centum septuaginta et duobus annis post prefatam destruccionem, ut in libro Ceder holam vocato lacius dicitur. Ergo, illis a quadringentis exceptis, remanent ducenti et triginta. Sequitur ergo quod cum Rabasse Talmut copillavit a creacione mundi computabantur quatuor mille ducenti et triginta anni. Ergo iam elapsi erant triginta anni ultimi iubilei. Diligenter ergo rogo attendite, ac manifeste videte, qualiter ea que dicti iudei posuere sint de directo opposita veritati. Ex quo de necessitate, posito quod eos non iuuet, habent concedere Rabasse hoc dixisse magna cum angustia oppressus, videns quia iam finis ultimi iubilei venerat, et Messias nondum veniebat. Ex quo de necessitate sequitur principalem auctoritatem dictam ab Helia Rabi Iehude revelatam quod scilicet, Messias in ultimo veniret iubileo, esse verissimam.

7.<sup>um</sup> vero punctum est ad auctoritates secundam et terciam, ubi dicitur: respondet iudeus quod de ea, eciam quod ad litteram intelligatur, etc., ymo ex ea videtur, etc., ut dictum est respondere. Dico quod illud quod manifeste ad litteram patet, et non potest alias negari, est Messiam illo tempore esse natum: hoc quidem videtur propter responsum Helie quod dixit ad Rabi Iosua: vade et interroga eummet; et per Messiam met qui est loquutus cum Rabi Iosua. Et nedum quidem natum, verum eciam venisse, nam ex quo iudeus gaudet probare credens, nondum venisse Messiam, est dumtaxat propter verba Rabi Iosue, non propter verba Helie nec ipsius Messie. Et propter hoc eis optime respondit Messias dicens: hodie. Quoniam dicta responsio summa quidem veritate nitescit, ac consona cuicumque extra gremium fidei Messie existenti; adventus autem generalis, qui generaliter fuit ad universum genus humanum redimendum, iamque fuerat. Ideo optime respondit Helias ad Rabi Osuam, cum sibi inquit: vade, interroga eum; quasi dicat: iam venit, et invenies eum auctoritative Rome. Ea responsio Messie ad Rabi Hosuam nichil aliud erat nisi docere qualiter ipse, aut quivis alius, ad eius fidem, ut dictum est, veniret. Rabi Osua quidem non intellexit usquequo Helias ei declaravit. Exinde, audita declaratione, est possibile quod converteretur Rabi Osua, quamvis de hoc Talmut non fecerit mencionem, quemadmodum mencionem non facit de tot et tanta notabili multitudine iudeorum qui, tunc temporis, ad fidem catholicam sunt conversi.

Ad illud vero quod iudeus inquit de auctoritatibus istis, quod ad litteram intelligi non valent, nec fuerunt actualiter vere, dicendo esse impossibile dictum Rabi Osuam ad paradysum ivisse

vitam ducente in humanis, et post, quod iret de Ierusalem in Romam et rediret. Dico quod, salvo honore, hec ratio est vanissima, cum potencie divine nichil sit impossibile. cum reperiatur in Ezequielle, capitulo octavo (3), ubi dicitur quod ipso existente in domo in Babillonia, queam similitudo manus apprehendit eum de capill's capitis sui et elevavit ipsum inter celum et terram, et adduxit eum in Ierusalem; pluresque alios prophetas, sicut Abacuch (4), eciam; cum miracula maiora de istis scribant talmudiste, facta cotidie rabinis talmudistis: iamque enim dicitur in libro vocato Meguilla, quod Raban ebrius existen in die apud hebreos vocato purim, suum iugudavit socium, rabi Zera nomine, et iugulato per totam noctem existente, die sequenti oravit pro eo, et resuscitatus est. Multa quidem hiis [E. + similia] miracula posita sunt in Talmut. Qui ergo credit illa, a forciori credere potest quod Rabi Osua miraculose ascenderet usque ad portam paradisi; cum ire a Ierusalem in Romam et redire non sit miraculum, presertim cum homines cotidie peregrinentur hac via. Et ideo, cum toto hoc non sequitur auctoritates ad literam non esse veras, ymo sunt verissime, ut supra laicius est probatum.

8<sup>um</sup>. vero punctum est quod respondet iudeus ad 4<sup>am</sup>. auctoritatem, dicens quod de mugitibus bovum aut de auguribus nulla fieri debet mencio, nec ei fidem adhibere, etc. Contra illud dico quod, si eis meam fundarem intencionem per signum aliquod augurii seu auspicii quod alias nos vidissemus, tunc quidem esset rationabile non prestare fidem in eodem. Sed ego non dico nisi quod eorum proprii rabini in talmudico textu fidem dant plenariam ad illud, fundantes et probantes per illud Messiam esse natum in eodem tempore quo fuit templi destructio; et ideo si ipsi sunt concordēs et deinde Rabi Iohanān, qui fuit de maioribus talmudistis, et illud compilavit, et illud quoque in Talmut quod in Ierusalem compilavit pro autentico posuit, exinde vero nullus est iudeus qui rationabiliter posset huic obviare, precipue cum incontinenti ille doctor Rabi Abon per verba Isaie hoc idem videtur confirmare.

Ad id vero quod iudeus dicit prophetiam illam Isaie de rege Senacharip clare loqui, dico quod bene hoc potest esse, et propterea non tollitur quod non loquatur de Messia, cum ipsimet dicant in diversis locis talmudicis, prophetarum dicta plures diversosque sensus habere. In uno namque loco dicitur: «septuaginta modis lex declaratur». Alibi dicitur: verbum Dei esse sicut maleus terens rupem in frustra diversa, 'sicut' [E. sic] enim ipsa, plures habet sensus. Omnia quidem ista magna veritate nitescunt. Ergo, non sine causa si doctor ille rabi

(3) Ez. 8,3.

(4) Dan. 14,35.

Abon eius tenebat conclusionem auctenticam, iungens eam verbis Isaie.

Ad illud eciam quod inquit quod vocabulum *ydieliç* vel *nolad*, quod idem est quod natus est, vult dicere quod fuit ordinatus ad nascendum, credens per prophetiam Isaie illud probare, ubi dicitur: «parvulus enim natus est nobis» (5), etc., aut «filius est natus domui David» (6), etc., dico quod talis modus loquendi reperitur in verbis prophetis, scilicet, preteritum sumere pro futuro, et e contrario; sed in verbis doctorum [E. + qui quidem] sunt prophetiarum glosatores, ubi necessitate est eos loqui clarissime, talis modus loquendi nullatenus est reperiendus, nec reperitur. Preterea, arabs 'qui enim' [E. enim qui] iudeo aranti boves disiungere inquebat, quoniam templum paciebatur destruccionem, et totum prede ac captivitati tradebatur, confortans demum eum et dicens: «iunge boves et labora, custodique rem tuam, quoniam natus est rex Messias» si eorum intencio, ut ipsi ponunt, esset, quod hoc, scilicet, nasci, non esset realiter nasci, nisi solum quod esset ordinatus ad nascendum post mille et tot annos, videamus ergo quomodo illud erat causa ut iudeus boves suos disiungeret, et laborare cessaret, ex quo, dato quod illud esset, cur prede captivitatique erant tradendi. Item esse ordinatum ad nascendum non erat novum, cum per eos hoc esse narretur unum de hiis que ante mundi creacionem fuere ordinata. Item hoc modo verba deo'arare nullatenus est sensus litteralis, ideo habemus dicere quod si per sensum declarantur literalem nostra satis est probata conclusio.

9<sup>us</sup>. vero punctus est duas auctoritates ultimas, quintam videlicet et sextam, negare dicentes: iudeus dicit quod ipse nullibi suis in codicibus eas reperit, etc.

Contra hoc enim dico hanc responsionem, salvo honore, esse valde irrationabilem, tum quia una dictarum auctoritatum in conspectu totius Curie romane fuit lecta, rabi qui legebat eam suis in manibus librum habente, nunc quidem eam negant de quo non est admiratione dignum, cum alias nonnulla, hic in publico per eos concessa, sine verecundie rubore ea successive negaverunt ibidem; tum quoniam prefate auctoritates, et si libri eciam oculis eorum non sint presentes, non ideo debent per eosdem iudeos negari, postquam sigillatim cum suis omnibus circumstantiis, tam libri et capituli quam doctoris eas ponentis allegantur eisdem; quos quidem libros seu codices in aliqua Cesaraugustana et alibi est notorium iudeos habere ad plenum; et quia non sunt manualiter presentes, non ideo iudeus debet ad eas cessare respondere. Ex quo manifeste videtur quod ad eas cessare respondere inest dictis iudeis propter non posse contra eas dicere quidquam seu respondere. Ex quo enim optime sequitur meam conclusionem satis dilucide me probasse.

(5) Is. 9,6.

(6) 3 Reg. 13,12.

10<sup>um</sup>. vero punctum est propheciam Isaie ubi dicitur: «antequam parturiret», etc. (7), ibi cum dicitur: iudeus respondet quod glosatores iudei hunc textum super guerra de Gog et Magog, etc., declararunt.

Contra hoc dico quod est possibile rabi David Camhi, quem ipsi allegant, nonnullosque alios doctores eorumdem, proter superius habitam angustiam in qua se involutos videbant, huiusmodi fuisse oppinionis; ego vero caldaicam allego eis translacionem per Ionathan filium Huziellis factam, quoniam ceteros rabinos talmudistas auctoritate excellit, et qui ante Christi adventum constat diu fuisse, clare sic aientem «antequam angustia veniat, redimentur; antequam veniant ei dolores, discoperietur rex Messias». Certum est enim quod, cum ipse ho dicebat, preter primam angustiam hoc dixisse et maiorem quam Ierusalem pateretur, que quidem angustia fuit tempore Tity Vespasiani, in qua depredata, destructa, atque igni tradita 'essent' [E. esset], et templum combureretur, et plures iudeorum gladio traderentur, residuum vero per universum captivarentur. Nulli quidem in dubium vertitur, tam in qualitate angustie et mali, quam in temporis duracione, huius ad illam de Gog et Magog nullam esse comparacionem, prenunciante quidem clarissime propheta quod antequam illud esset, sicut fuit de facto, rex veniret Messias; nam quadraginta annis ante destructionem Christus Iesus se publicavit, utque generi humano gloriam acquireret eternam, passionem subiit, atque pacienter recepit.

Preterea iudeus in eius responsione sibimet est repugnans, cum ex parte una dicit angustiam venire in Israel, cui nunquam similis in universis mundi gentibus fuit audita, et ad hoc induxit Daniellis textum, ubi sic inquit: «erit tempus angustie», etc. (8). Ex alia vero parte dicit quod antequam paciatur angustiam et dolores vallidos prefate guerre, ab ea liberabuntur in momento, hoc enim est quod dicit: «antequam parturiret», etc. Ex quo videtur prefatam glosam nullius esse momenti, et caldaicam quidem magna veritate polere, et cum verissimo veri Messie adventu valde consonam esse. Ex quibus sequitur nostram prefatam conclusionem principalem ingenti cum veritate satis valde fuisse probatam.

Undecimus vero punctus, est alias declaraciones ad prefatas auctoritates se dicere ignorare, neque alios doctores qui illas declararunt se posse monstrare, etc.

Dico quod, postquam iudeus allegavit auctoritates prefatas fuisse figurative dictas, ac tempus satis prolixum ad dictas figuras declarandas et doctores eas ponentes allegandum seu demonstrandum fuerit dicto iudeo assignatum, nunc si quidem eo respondente quod alias

(7) Is. 66,7.

(8) Dan. 12,1 (t. hebreo).



ignorat declarationes, doctoresve alios, qui eas declaraverint, restat illas nullam aliam habere declarationem, nisi quod sicut ad literam iacent intelligantur. Et postquam per iudei verba sequitur ipsas debere intelligi secundum sensum literalem, ignoretque aliam glosam, sequitur iudeum ad interrogationem in primo puncto factam minime respondisse, ex quo restat adhuc se ad eam responsurum seu ad respondendum obligatum.

Punctus vero duodecimus et ultimus est ex verbis eius credere conclusionem elicere quod non concluderim Messiam venisse, apparuisse, nec natum esse.

Contra hoc dico quod, attento quod dubiis illis que iudeus in responsione sua obtinebat contra prefatas auctoritates per me satis copiose fuisse satisfactum, illaque legitime per me annullatum, et quod ipse iudeus confiteatur finaliter se nichil ultra scire quid dicendum aut alium doctorem seu rabinum si Messias venerit asserentem minime reperiri, nec reperiat, meam tamen conclusionem, scilicet, Messiam diu est iam venisse esse profunde ac sufficienter probatam.

Iudeus autem cum humili reverencia qua potest et scit debita Beatissimi Patris, sui que Sancti Collegii, cum honore insuper dicti honorabilis magistri Ieronimi, plenaria habita deliberacione, tanta quanta peccit super replicacione ultimo facta per dictum magistrum Ieronimum, respondet quod ipse adheret eius responsis superius factis et super dictis auctoritatibus per dictum magistrum Ieronimum allegatis, dicens quod ad presens nichil aliud sibi occurrit responsum propter eius insufficienciam et intellectus infirmitatem et ignoranciam. Et cum hoc eius responsionibus ultimum finem imponit, sicut ille cuius sciencia ultra non transcendit.



## SESION XVIII

DIE VERO MERCURII, quinta aprilis, anni prefati, etc., dictus magister Ieronimus ante prefati domini nostri Pape presenciam constitutus, proposuit dicens:

Non obstante quod cum prefatis auctoritatibus, satis me in genere venisse Messiam probaverim, quibus scilicet iudeus nichil reperit responsale quid dicat, ipso iudeo se nichil ultra scire quid super hiis dicat finaliter publice affirmante; verum quoniam diversi numeri temporum, quos dicit atque dicere posset cum vero adventu Domini nostri Iesu Christi fore dissonantes, ponantur in eisdem, non obstante quod cum temporibus diversis in quibus fides catholica per diversas mundi nationes atque regiones, ut veniretur punctualiter ad probandum adventum Messie debere esse eodem tempore quo fuit passio nostri Salvatoris, ydeo nonnullas auctoritates seu prophecias que punctualiter id monstrant convenit allegare.

Et primo de eo potest probari quod Isaias dixit, nono capitulo, «Parvulus natus est nobis», etc. (1). Sequitur infra: «multiplicabitur eius imperium». (2). Iudei hanc propheciam loqui de Messia necessario concedere tenentur, quoniam rabi Juçe Galileus, in prologo de lamentatione magna, sic inquit (3): «ad idem est nomine Messie est nomen pacis, quoniam sic dixit Isaias (4): Pater futuri seculi, princeps pacis». Et super dicta propheta cicitur in Sanhedrin, capitulo ultimo (5): «Dicit rabi Tahim: que est ratio quare quodcumque *men* quod est in medio vocabuli seu dictionis est apertum, et hec litera «men» huius

---

(1) Is. 9,6.

(2) Is. 9,7.

(3) *Eḳa Rab.*, par. 1. Cf. *Pugio*, 529-530.

(4) Is. 9,6.

(5) Sanh. 94 a. Cf. *Pugio*, 531.

diccionis: «multiplicabitur» clausa est? Respondet: quia Deus voluit facere Ezechiam Messiam, et venit virtus iudicialis coram Deo, dicens: Domine mundi, David qui dixit tot carmina et tot laudes, non fecisti Messiam, et Ezechiam cui fecisti tot miracula, et numquam coram te dixit unum carmen, facies Messiam? tunc clausit Deus illam literam vocatam «men». Exiitque revelacio quedam de celo dicens: «secretum meum michi» (6).

Et declarat rabi Salomon quod diebat Deus: hoc secretum meum est. Et respondit propheta (7): veh michi, diens; heu me, quando veniet Messias?» (8).

Dico quod ex prefata auctoritate tres possumus elicere conclusiones: quarum prima est quod Messias est ipsemet Deus, cum impossibile sit hos octo titulos nisi de Deo met posse iustificari (9).

Secunda, quod Messias nasci debebat de Beatissima Virgine Maria, ipsa Virgine existente, cum hec litera «mem», eius nomen ostendat, cum in quocumque ydyomate ab hac litera «mem» incipiat. Verum secundum rectam ortographiam debebat esse «mem» aperta, et quia est clausa ad tocium contrarium Scripture alterius, dictam Mariam ostendit esse virginem (10).

Has duas vero conclusiones non sum intencionis ad presens tractare, usquequo, suo loco, Deo disponente, tractentur in futurum.

Tercia vero conclusio faciens ad nostrum propositum, est quod dicta litera «mem» clausa, tempus adventus Messie nobis punctualiter ostendit, quoniam propheta hec fuit dicta in anno quarto regis Acaz, et ab illo anno usque ad templi destruccionem, que fuit in anno undecimo regis Sedechie, centum quinquaginta anni preteriere. Item duravit captivitas Babilonie septuaginta annis; templum vero secundum curavit quadringentis viginti annis. Summa vero omnium, sexcentorum quadraginta annorum. Si autem ex hiis quadraginta annos, in quibus passio Christi fuit, ante destruccionem exceperimus, restabunt sexcenti anni, qui ab illa hora in qua dicta fuit propheta et prolata usque ad passionem fluxerant. Tot quidem in compoto huius litere «mem» clause intelliguntur. Ex quibus sequitur quod in illa *mem* clausa, tempus salvationis Messie nobis monstratur. Hoc quidem erat secretum quod apud se Deus occultabat, quod Isaias ignorabat. Ecce igitur probatum qualiter ex verbis Isaie sequitur evidenter [E. + Messiam] tempore quo fuit passio Domini nostri Iesu Christi venisse debere (11).

(6) Is. 24,16.

(7) Cf. Is. 24,16.

(8) Cf. *Pugio*, 531.

(9) Cf. *Pugio*, 530.

(10) Cf. *Pugio*, 530 (nota del Códice de Mallorca), 532 y 763.

(11) Cf. *Pugio* 532.

Preterea hoc eciam potest dilucide probari per illam prophetiam quam Iacob patriarcha prophetizavit cum, hora sui obitus, filios eius vocavit, eisque prophetizans quod in fine temporis sui esset, ut patet Genesis, capitulo 49, et cum venit ad loquendum de Iuda, eum catulo ac leoni comparavit; et declarat rabi Salomon quod id dicebat prophetizando de David, qui in principio fuit sicut catulus, scilicet, sicut leunculus, et hoc, tempore quo dicitur Saulem regnasse, ipse vero magnus erat capitaneus, sed non erat rex. Deinde eum comparavit leoni, et hoc, cum post mortem Saulis regnasse reperitur. Post hoc quidem prophetizavit de eo dicens: «non auferetur ceptrum de Iuda», etc. (12). Hoc enim vocabulum «Silo» secundum omnes glosatores et ydioma caldaicum quod signat Messiam; possumus ergo sic argumentare (13):

Textus quidem dicit: non auferetur ceptrum de Iuda donec veniat Messias.

Sed ceptrum est sublatum.

Ergo Messias iam venit.

Iudei vero, ad sui errorem et pertinaciam perfidiose substinendum, nondum venisse Messiam dicentes, huic textui glosas condunt diversas, nonnullis asserentibus ceptrum de Iuda nondum fuisse sublatum, cum in quibusdam adhuc regionibus, ut puta, ultra flumen Iapidum, ut ipsi ponunt, fore in magna potestate iudeos. Hec quidem ratio est frivola, cum tale quid in universo minime reperiri contingat; simili quidem allegacione dicitur in Talmut: «qui vult mentiri prolonget testes». Nonnullis autem dicentibus quod hec negativa, ubi dicitur, *non auferetur*, redit ad illud vocabulum «had», et dicunt quod illud «had» idem est quod in perpetuum. Dicunt enim quod intencio textus est verum esse quod auferetur, sed hec ablacio non erit perpetua, neque in eternum; et causa est quoniam, cum Messias venerit, tunc eis restituetur.

Dico hanc glosam nullum penitus locum habere, nec per eos posse aliquatenus sustentari quod id «had» velit dicere in perpetuum, seu in eternum. Et ad hoc quinque formo rationes, quarum prima est quoniam sic si esset, sequeretur quod accentus in hebraico vocatus «anath» esset in vocabulo «had», adeo quod una esset sententia «et dux de femore eius in eternum seu perpetuum», et inciperet alia ibi: «quia veniet qui mittendus est».

2<sup>a</sup>. quoniam semper quod hoc vocabulum «had» signat eternum seu perpetuum est punctuatum cum cameç, et cum significat donec est punctuatum cum patha, ex quo sequitur quod de necessario significat donec, et non eternum seu perpetuum.

3<sup>a</sup>. vero quoniam romancium huius vocabuli per omnes rabinos

(12) Gen. 49,10.

(13) Cf. *Pugio*, 312-313.

in cunctis mundi scolis, est donec, et non certe eternum seu perpetuum.

4<sup>a</sup>. vero ratio, per glosa rabi Salomonis declarantis, quod non auferretur potestas seu ceptum de tribu Iude, usquequo Messias venerit; et ipse met declarat hoc tempus usque ad finem secundi templi, dicens quod hoc dicebatur propter reges David; [E. + et] ex quo vidit quod regnum finierat in Sedechia, quesivit modum quomodo hoc sequeretur, et dicitur infra propter fines captivitatis Babilonie hoc dixisse, et deinde propter principes et studiorum rectores terre Israel; et tunc, nec quesivit, nec ultra reperiit. Ex quo concluditur sibi esse certum cesare ibi tempus cepti Iude. Et tunc debbat venire Messias, sicut fuit.

Quinta vero ratio, per doctores talmudistas, ut dicitur in Sanhedrin capitulo Hayubodqum, et in Havodazara, capitulo primo:

«Legunt magistri: quadraginta annis ante templi destructionem fuerunt sublati Sanhedrin de consistorio Gazit, et fuerunt positi in Hamit» (14). Et declarat rabi Salomon: quidam locus edat in Ierusalem qui nominabatur hamit; «dicit rabi Adim» (15), et exinde non iudicaverunt iudicium criminale, cum iudicium criminale non poterat fieri nisi in consistorio Gazit» (16). Et dicit rabi Moyses Darsan in Beresith Rebla, de Rebla [E. Rabla, de Rabla] magno: «quid vult dicere: non auferretur ceptum de Iuda? istud inquit propter consistorium Gazit, quod erat in terra de Iuda, et Iacob sic dixit: sanhedrin qui sedebunt in consistorio de gazit, numquam auferentur a terra de Iuda, usquequo venerit Sylo, qui est Messias» (17). Et dicit rabi Rahamon: «cum fuerunt remoti sanhedrin de consistorio de gazit, et fuit eis sublata potestas iudicialia crimina iudicandi, induerunt se saccis et se depilarunt, dicentes: ve nobis, quia ceptum est sublatum Iuda, et filius David non venit» (18).

Ex quibus istis omnibus sequitur pefatam glosam nullum penitus locum habere. Ideo ex textu debet intelligi, quod, veniente Messia, potestas auferretur atque cessaret. Et videtur ad literam hec omnia iam cessasse in fine templi secundi, cum Domini Iesu Christi passio fuit. Item confirmatur hoc per verbum rabi Abdimi dicentis quod exinde non iudicaverunt criminale iudicium. Quoniam certum est quod illo anno, qui fuit quadraginta annis ante destructionem, fuit passio

(14) Sanh. 41 a; 'Aboda Zara, 8 b.

(15) *Pugio*: Abudimi.

(16) Cf. *Pugio*, 314-315 y 872.

(17) *Ber. Rab.* de M. ha-Darshán, par. 98, in Gen. 49,10 (ed. B. N. p. 105. Cf. *Pugio*, 313).

(18) *Pugio*, 872.

Messie; et propter peccatum illud fuit ab eis ablatum posse iudicandi criminale iudicium, ut, favente Domino, declarabimus suo loco.

Nichillominus quod in anno illo miracula omnia annullata fuerunt, ut scribitur in libro quodam vocato Yoma, capitulo quod incipit *septem dies*, ubi dicitur (19):

«Legunt magistri: decem miracula facta fuerunt in domo sancta: non abortivit mulier propter odorem carniū sanctarum; et non olebant carnes sancte tempore aliquo; et numquam apparuit musca in templo; et numquam accidit polucio sacerdoti maiori in die indulgentiarum; et numquam fuit reperta macula in pane 'appositionis' [E. propositio[n]is]; et licet cum starent pedester in templo erant astricti ad humiliacionem, tamen stabant ampli seu lati; et numquam serpens nec alacranus quemquam in Ierusalem dampnificavit; et numquam quisquam dixit socio suo: artum hospiciū habui in Ierusalem; et numquam fuit sufficiens pluvia ad ignem altaris, licet discoperti, extinguendum; et numquam venti ad incinandum columnam ūmi ascendentis recte de altari fuerunt potentes. Et dicit Rab Samaya: ymo eciam quod frustra vasorum terreorum que in templo frangebantur, in suo loco proprio fundebantur. Et dicit Abaye: ymo eciam papi seu stomachi animalium sacrificiorū, et plume, et cinis incensi altaris, et cinis luminarium, omnia suo proprio loco funcēbantur. Et totum hoc cessavit annis quadraginta ante destruccionem templi, sicut scribitur psalmo 73: «signa nostra non vidimus», etc. (20).

Item dicitur in dicto libro:

«Legunt magistri: quadraginta annis quibus administravit Simeon iustus, veniebat semper sors Dei in manu dextera; ex tunc vero, aliquociens in dextera, aliquociens in sinistra. Item, globus lane rubeus fiebat albus; ex tunc, aliquociens sic, aliquociens non. Item, lucerna occidentalis cotidie remanebat incensa, quandoque extincta», etc. (21).

Item in Talmut Ierusalmita, in libro de Yoma, capitulo quod incipit *duo irci*, dicitur (22):

«Legunt magistri: quadraginta annis ante templi destruccionem reperiebatur lucerna occidentalis extincta, et globus lane existebat cotidie rubeus; sors Dei veniebat ad manum sinistram, et claudebantur porte templi in sero et reperiebantur mane aperte. Dixitque eis rabi Iohanan, filius de Zacari: templum, [E. + templum], cur nos terres? iam scimus quod finis tus erit ad destruccionem, cum de te prophetiza-

(19) Yoma, 39 a. Cf. *Pugio*, 371.

(20) Salm. 73,9.

(21) Yoma, 21 a. Cf. *Pugio*, 369-370.

(22) Cf. *Pugio*, 370-371.

verit Zacarias, undecimo capitulo: «aperi Libane, portas, et comedat ignis cedros tuos» (23).

Cum hoc quidem verificatur quecumque predictarum auctoritatum dicendo quod eodem die met, quo fuit destructio templi, natus est Messias. Non autem maior potuit esse destructio quam miraculorum perditio seu cessatio. Certum quidem est quod, sublatis miraculis, templum non remanebat, sed erat sicut alia domus simplex, presertim cum sors Hazazelis, qui erat dyabolus, ascendebat super manum dexteram: in signum quod de regimine Dei exierant ad regimen dyaboli.

Ex cunctis igitur prefatis rationibus, necessario sequitur, hora qua passio Domini Nostri Iesu Christi esse reperitur, tempus adventus Messie fuisse et, ex consequenti, ipsum eundem esse Messiam per prophetas promissum.

---

(23) Zach. 11,1.



## SESION XIX

IUDEUS VERO, cum humiliori ac debita qua potest et scit reverentia beatissimi Patris eiusque sancti collegii cum honore etiam honorabilis dicti magistri Ieronimi, respondet dicens: quod ideo quia iudei glosatores antiqui et moderni, prophetias per dictum magistrum Ieronimum allegatas glosaverunt taliter quod ex aliqua dictarum prophetiarum non venisse Messiam probetur, dictus iudeus adheret eisdem glosis: Messiam nondum venisse veram affirmans conclusionem. Glosas vero, quas super primam prophetiam, per dictum magistrum Ieronimum allegatam, que fuit fundata in clausura huius litere «mem» illius dictionis seu vocabuli, multiplicabiliter iudei glosatores fecerunt. Declarat rabi Salomon in glosa de Sanhedrin, sic inquit: quod ideo clausa fuit, ut quod Deus cogitaverat, minime fuisse adimpletum ostenderetur, dicto quidem rabi Salomone, ex nomine magistri sui sic ayente: «mem» clausa fuit quoniam os Ezechie ut laudaret Deum super miraculo Senacherib, fuerat clausum. Aliis vero dicentibus: hoc ideo fuisse «mem» clausum, quoniam terminus Messie erat clausus et secretus. Nullus enim est qui intelligat quod clausum sit dictum «mem» ut comptotum, nec aliquam significaret efficaciam, nec ad fidem in eo prestandam tenetur iudeus.

Et si ad significandum quod dictus magister Ieronimus inquit prefata litera «mem» clauderetur, maior enim ratio esset quod «mem» huius dictionis «alma», ubi dicitur: «ecce alma concipiet» (1), secundum christianorum opinionem clauderetur.

Item tituli huius dicti: «admirabilis, consiliarius», etc., qui, secundum dictum magistri Ieronimi notant divinitatem, doctores nostri attribuunt in libro de Sanhedrin Ezechie, filio Acas, qui fuit homo car-

(1) Is. 7,14.

nalis, intelligendo quod huiusmodi tituli non sunt divinitatis necessario demonstrativi.

In glosis vero quas iudei nostri glosatores super secundam prophetiam per magistrum Ieronimum allegatam, scilicet, «non auferetur ceptrum de Iuda» (2) omnes pariter concordaverunt, scilicet, per predictam prophetiam, venisse Messiam non probatur. Sed in modo declarandi illam sunt discrepantes in duobus punctis: Primo namque, nonnullis asserentibus hoc vocabulum «had» pro «donec», nonnullis vero pro «semper» sumentibus. Secundo, quibusdam prefatam prophetiam propter David, quibusdam vero propter Messiam a iudeis expectatum dictam fuisse intelligentibus. Et rabi Habraham Abenahzra nitelligit quod dicitur propter David dicens: istud «had» significare «donec». Rabi vero Salomon declarat non auferetur ceptrum, etc., dici propter maiores seu seniores babilonice captivitatis et duces, qui sunt studentes, et hii sunt principes Israelis. Hoc autem habet ipse ex libro de Sanhedrin, ubi sic dicitur: «legunt magistri: non auferetur ceptrum de Iuda, isti sunt maiores seu seniores captivitatum Babilonie, qui dominabantur populo cum cepetro; et dux de femore eius, hii sunt filii filiorum Hyllel, qui docebant legem in publico». Qui quidem maiores seu femores captivitatum et principes post destructionem semper continuarunt, ut apparet in diversis locis talmudistis, usque ad Rabasse, qui obiit anno quator mille centesimo octuagesimo septimo; et a Rabasse usque ad clausuram seu perfectionem Talmut, ubi in medio fluxerunt anni septuaginta tres; et postquam perfectum fuit Talmut et clausum, omni tempore continuaverunt, ut nobis per libros istoriales constat auctenticos. Hii vero habebant aliqualem potestatem a regibus, quibus submittebantur; et magni quidem rabini legem docentes in publico usquequo venerit Messias, qui habebit potestatem et regnum a semetipso, adhuc hodie reperiuntur. Ideo dixit rabi Salomon: usquequo venerit Messias, quoniam regnum est suum. Anquełoç declaravit hoc vocabulum «had» pro «semper» et est eius intencio quod, eciam si ceptrum auferretur de Iuda, eius privacio perpetuo non duraret, quoniam Messias venit, qui possidebit regnum in perpetuum, seu in eternum. Et rabi Bahaye, ex nomine sui magistri, et rabi Salomon Abenadret, dicunt hec verba: «non cessabit regnum Iude pro semper, quia veniet Sylo»; quoniam verbum «had» hic idem est quod «semper». Et ideo venit accentus cum eo, ad demonstrandum quod non sit cum isto, scilicet, veniet Sylo. Et ideo declaravit Anquełoç, «had alma» et declaravit «sylo» id est, Messias. Et est intencio textus quod quando Messias veniet, non cessabit regnum Iude

---

(2) Gen. 49,10.

pro semper, sicut dixit Daniel, quod in eternum non destruetur (3). Ex quo patet quod propheta prophetizavit Messiam regnum in eternum possessurum; ex quo veniret non auferretur dominium de Iuda. Et hoc modo nostri declarant rabini in Beresit Rabba, ubi dicitur (4): «non auferretur ceptum de Iuda: hoc est ceptum quod vidit Balaam, cum dixit: videam eum, et non modo, etc. (5). Hoc enim ceptum et hic dux non auferretur de Iuda pro semper, ut dixit «had». Et quando confirmabitur hec propheta? cum venerit Messias, qui erit expectatio gentium, cui omnia regna subiugabuntur». Rabini autem in scollis et sinagogis legunt vocabulum «had» cum accentu vocato «reçip», in quo fit motus cessacionis. Divisio quidem punctuature, quam inquit magister Ieronimus quod totum «had» receptum pro semper punctuatur cum *cameç*, loquendo cum eius honore, non est sic; ymo regula generalis est quod omne *had* in fine versus existens aut cum *amath* est cum *cameç*, et alia sunt *patha*; adeo enim quod in codicibus reperitur «pater futuri seculi», cum *patha*.

Auctoritatem vero rabi 'Hamon' [E. Rahamon] non habemus (6). Auctoritatem autem decem miraculorum, etc., non est sic in libro de Yoma eo modo quo prefatus inquit magister Ieronimus, cum in dicto libro, illa cauda quam ipse allegat, scilicet, quod miracula cuncta cessarent, etc., minime reperiatur. Dicto vero iudeo ad nunc non occurrit alia ratio, nec scit aliud quid dicat. Dicit tamen quod propter eius ignoranciam et insufficienciam, quam pluries supra allegavit, glose rabinorum glosatorum non sunt minoris valoris per eius ignorare easdem deffendere ac manutenere, cum veritas [E. + per se sit veritas] non propter eius deffensorem.

Hic autem iudeus suo respondere finem imponit, velut qui ad presens aliud quid respondeat penitus ignoret.

(3) Dan. 7,14.

(4) Cf. *Ber. R.* de M. ha-Darshán, par. 98, in Gen. 49,10 (ed. B. N. p. 104-105); *Pugio*, 767.

(5) Num. 24,17.

(6) Cf. *Pugio*, 872.



## SESION XX

DICTUS VERO magister Ieronimus, visa responsione per dictos iudeos facta, replicat raionabiliter contra eam, sic inquires:

Prefatam responsionem, quantum perscrutari valeo, duodecim puncta continere reperio:

Primum quidem est quod ex verbis iudeorum glosatorum Messiam venisse non probatur pertinaciter ac impudenter dicere seu asserere.

2° glosas quas ipsi faciunt super littera «mem» clausa declarare.

3° glosam per me super prefatam «mem» litteram factam impugnare.

4° per octo prefatos titulos divinitatem non intelligi inverecunde affirmare.

5° quod ex propheta qua dicitur: «non auferetur», etc. Messiam venisse sequi, presumunt temerarie inficere.

6° quod adhuc hodie inter iudeos ceptrum esse de Iuda presumunt asserere.

7° hoc vocabulum «had» significare vel poni pro semper credere affirmare.

8° super propheta: «non auferetur», glosas nonnullorum rabinorum iudeorum presumptive allegare.

9° eorum intencionem in vocabulo «had», propter hoc quia tenet yecib pro accentu, credere probare.

10° veram regulam punctuature «had» inverecunde negare.

11° auctoritatem rabi Rahamon, per me superius allegatam, que dicit cuncta miracula fuisse annullata, maliciose declinare.

12° ignoranciam et insufficienciam sibi eisdem atribuere, et quod eorum oppinio est verissima nichilominus pertinaciter tenere, et obstinate astruere.

Primum enim est, quod ex verbis glosatorum Messiam venisse non probatur, pertinaciter ac impudenter dicere seu asserere.

Contra hoc dico quod, loquendo cum honore, oppositum eorum que iudei dicunt est verum, cum reperiamus ad literam doctorem illud rabi Abon (1) qui prefatam glosavit prophetiam Isaie, que est: «et Libanus cum excelsis cadet» «et agredietur virga de radice», etc., probat enim ex illo, quod die quo fuit templi destructio, fuit et Messie nativitas. Et hoc idem probat rabi Samuel, filius rabi Nahamanis (2), super prophetia in qua dicitur: «antequam parturiret, peperit». Item Ionathan in caldaica translacione dicit quod illa prophetia ubi dicitur, quod antequam veniret malum super Israel, esset discopertus seu revelatus rex Messias, ut largius superius declaravimus. Sequitur igitur contrarium dicti sui, scilicet, quod reperiantur glosatores antiqui iudei qui prophetias declaraverunt, quorum declaraciones cum fide Christiana sunt consonantes, scilicet, quod Messias venerit.

De apcioribus quidem et modernis reperimus rabi Salomonem, ex cuius verbis super illud: «no auferretur ceptrum de Iuda», sequitur id ipsum, ut dicemus, Chisto ducente, infra.

Sequitur igitur quod per doctores antiquos ac modernos probata sit nostra conclusio.

2<sup>us</sup>. vero punctus, est glosas quas ipsi faciunt super «mem» clausa declarare; et ut videtur, ipsi enim reperiunt hic tres glosas, quarum prima est rabi Salomonis dicentis: quod clausura huius littere *mem* ostendit, quod illud quod Deus cogitaverat, Ezechiam facere Messiam, quod clausum est id, et non est factum.

Dico quod, salvo honore, hec glosa est valde cassa et vana, cum clausura huius littere *mem* fuit signum ut nobis monstraret aliquid quod erat occultum, et ad illud quod dicit non oportebat aliquid signum, quoniam realiter et de facto videbatur Ezechiam non esse Messiam.

Item 2.<sup>a</sup> glosa, quam nomine sui magistri allegant, ubi dicitur quod significat quod clausum est os Ezechie, quia non laudavit Deum super miraculis 'Senecherib' [E. Senacher'b], ad idem non habet locum, propter eandem rationem; clare enim videmus ipsum nullas dixisse laudes. Preterea illa duo non habent [E. + locum], quoniam subsequenter inquit prophetia (3), in qua dicitur Deum dixisse: «secretum meum michi» [E. + secretum meum michi]. Quasi dicat Deus: istud secretum, significatum per hanc clausuram huius littere

(1) Cf. J. Berakot, 5 a.

(2) Cf. Ber. R. de M. ha-Darshán, par. 73, in Gen. 30-38 (ed. B. N. p. 81).

(3) Is. 24,16.

«mem» solus ego [E. + scio]; et etiam quod condolebat prophetam quia ignorabat, dicens: heu me. Et si esset quod ipsi declarant, omnibus est notorium non esse secretum.

3<sup>a</sup> vero glosa, quam faciunt, est quod dicta littera mem fuit clausa quoniam terminus adventus Messie erat quid secretum et clausum.

Dico esse contrarium, quoniam ut probavimus, dictus terminus fuit revelatus Helie, et per Heliam diversis rabinis talmudistis. Item fuit monstratum et revelatum Danieli per angelum Gabrielem, ut suo tempore probabitur, Deo duce. Item insuper fuit revelatum pluribus doctoribus ac hominibus bone vite, ut supra satis ostensum est per diversas auctoritates.

Sequitur ergo quod propter hoc non oportebat mem litteram esse clausam, sed causa 'vero' [E. vera] clausura est ac fuit ad significandum nomen et virginitatem Beate Marie, ut dictum est, quia hoc erat ignotum populo antequam esset, et ad punctuatim significandum annum passionis veri Messie Iesus Christi.

### [CODICE VATICANO]

Hec autem tria sunt signa magis propria in littera mem quam glose a dictis iudeis facte. Item, quia variatio glosarum per eos factarum, ostendunt ipsas non esse veras.

3<sup>um</sup> vero punctum est contra glosam quam feci super mem clausa, dicendo quod maior esset ratio quod fuisset in littera mem posita in dictione de mem de *hahalma*, ubi dicitur: «ecce virgo concipiet» (4).

Dico hoc argumentum nullum penitus habere locum, quoniam ibidem ubi tituli Messie, eiusque excellentes numerantur perfectiones, erat ostendere eius nativitatem esse miraculosam. Et esto quod ibi, ad idem, locum haberet in mem de *halma*, vanissimum est de eo petere quod pendet a sciencia divina, cur taliter, in tali tempore, aut loco tali, factum est. Si enim hoc argumentum valeret, licite contra Moysen argui poterat, Genesi 47 capitulo, ubi dicitur: «vixitque Iacob in terra» (5), quoniam stat illa parassa, id est capitulum, clausa. Et 'dixit' [E. dicit] rabi Salomon esse causam, quia cum obiit Iacob clausi sunt oculi Israelis, et secundum hoc debebat esse signum ibi cum dicitur: quod adim-

(4) Is. 7,14.

(5) Gen. 47,27.

plevit Iacob testamentum suum (6), aut cum dicitur quod rex novus surrexit de Egipto (7). Item rabi Salomon aliam assignans causam, inquit quod Iacob voluit filiis suis revelare secretum finis, et ab'ata est ei influencia, et secundum hoc debebat esse clausura parasse, id est, capituli, ibi cum dicitur: «vocavitque Iacob filios suos» (8). Ideo dico quod argumenta similia nullum dicuntur penitus habere locum.

4<sup>um</sup>. vero punctum est dicere quod per octo titulos non intelligitur divinitas, dicendo: odoctores nostri eos attribuunt, etc. Dico hoc quidem verum esse, nisi quia 'nonnulli' [E. non intelligunt bene] verba doctorum, nam ibi in Sanhedrin, ubi est auctoritas, non dicitur Ezechias filius Acaz, sed solum Ezechias, quod quidem nomen, secundum interpretationem hebraicam, idem est quod fortitudo Dei. Hoc enim propter Messiam dicitur, qui vere Deus est, et homo; nam alias qualiter posset verificari Deus fortis de homine carnali, nec pater futuri seculi? (9).

Item quoniam caldaica translatio declarat hos titulos propter Messiam. Et hoc idem inquit rabi Iuce Gallileus, in libro vocato Hequarabeti dicit etiam: «nomen Messie vocatur pax, quoniam sic scriptum est: pater futuri seculi, princeps pacis» (10). Et hoc est ita clarum quod non indigemus ultra testibus seu allegacionibus.

5<sup>us</sup>. autem punctus est presumere affirmare, quod ex prophecia in qua dicitur: «non auferetur», etc., non sequatur venisse Messiam. Dico quod, postquam iudei sunt huius oppinionis erronee, alias glosas ad eorum oppinionem, ut faciunt moderni, coguntur investigare. Verum adhuc reperimus apciorem et meliorem de glosatoribus suis, qui fuit rabi Salomon, ex cuius verbis sequitur Messiam venisse. Quoniam ut supra dictum est, ipse perquisivit omnia tempora in quibus, aut per reges, aut per principes, posset verificari «non auferetur ceptrum de Iud'a», et ultra finem templi secundi nichil scribitur reperisse. Item ipse idem declarat vocabulum *had* pro *donec*. Et ad meam confirmandum rationem, unum quem ipsi magis reputant auctenticum sufficit habere in testem.

Uterius in prefato puncto adducunt incidens, aut interlocutorium, dicentes quod Rabasse obiit quatuor mille centum septuaginta septem, et quod septuaginta 'et tres' [E. tribus] annis post eius obitum adimpletum est Talmut, nullam alicuius doctoris auctoritatem ad hoc allegantes, Ego etenim per verba rabi Moysi eis edocui, et adhuc ostendo, huiusmodi oppositum; ex quo videtur quod oppinio rabi Moysi, aut dicatorum iudeorum debet esse diminuta. Sed maior enim ratio est quod eorum oppinio sit diminuta, quam istius.

(6) Gen. 49,32.

(7) Ex. 1,8.

(8) Gen. 49,1.

(9) Cf. *Pugio*, 530.

(10) *Eka Rab.*, par. 1. Cf. *Pugio*, 529-530.



6<sup>us</sup>. vero punctus est, quod adhuc hodie inter iudeos fore sceptrum temere asserunt.

Dico quod hoc nichil valet, quoniam esto quod aliquos in scholis aut eorum studiis rabinos legentes reperiri contingat, nulla est hodie regio mundi in qua iudei exerceant, aut sceptrum habeant, nec dominium, nec de tribu Iuda existentes.

7<sup>us</sup>. punctus est, quod Anquelos transtulit vocabulum *had* pro *semper*, affirmare presumunt.

Dico sic non esse, cum verba ipsius Anquelos sunt: «had halma de yece Messiah» (11), quod idem est in vulgari quod: usque ad seculum veniet Messias. Et si intentio Anquelos esset illa quam dicti ponunt iudei, oporteret dicere «quoniam veniet Messias»; et tunc deberet caldaycum dicere: are yece Messiah; tunc quidem assignaret causam, quod cum 'dicit' [E. dicitur] «de yece Messiah» nullam assignat causam; et hoc quidem est notorium.

8<sup>us</sup>. vero punctus est allegade super «non auferretur», etc., glosas quorundam rabinorum eorum, 'dicentes' [E. dico] quod in glosis rabi Bahie aut rabi Salomonis Abenadret, aut aliorum, nullam fidem adhibeo minus quam hiis quas ipsi nunc faciunt, quoniam omnes quidem sunt angustiati propter erroneam quam servant opinionem, quoniam glose auctentice sunt glose antiquorum qui ante adventum Messie fuerunt, et ille quidem pro nobis faciunt, ut dictum est, et non pro eis, cum clare monstrent venisse Messiam.

9<sup>us</sup>. autem punctus est suam credere intencionem probare in vocabulo *had*, eo quod tenet unum accentum quod yecib dicitur.

Contra quod dico quod volunt visibiliter negare veritatem. Certum quidem est quod in vocabulo *had* est yecib, ideo patet [E. + esse] iunctum cum ratione infra sequenti, cum sententia sequatur usque ad vocabulum ubi est accentus vocatus 'saquef' [E. çaquef] caton, quoniam secundum hoc, istud notabilem *had* non potest habere aliud sensum nisi *donec*.

Item non responderunt ad id quod est manifestum et generale per omnes scholas iudeorum tocius universi quando explanatur et romanCIatur «donec venerit Messias»; quod quidem est unum valde magnum testimonium pro nostra indubitabili veritate.

10<sup>us</sup>. vero punctus est regulam veram 'punctuare' [E. punctuature] huius vocabuli *had* impudenter negare.

Dico quod non sufficit aliqua inscicia ad negandum rem tam notoriam in tam publico ac prudentissimorum doctorum consistorio, et per omnes hebraycum scientes concessam. Verumptamen per totam Bibliam diligenter perscrutetur, et nullum *had* pro *semper* sumptum reperietur

(11) 'Ad 'alēma 'ad dē-yetē Mēshība. Cf. Pugio, 312.

quā punctuatur cum cames. Omne autem *had* sumptum pro *donec* cum patha punctuatur indubitanter. Qui vero oppositum huius tenuerit veniet de directo contra meram veritatem.

Undecimus vero punctus est negare auctoritatem rabi Rahamonis per me superius allegatam, et illam eciam ubi dicitur omnia fuisse miracula annullata, etc. Ad hoc eciam dico quod prefatas auctoritates propter eorum non reperire eas in codicibus quos hic apud se habere dignoscuntur, non sequitur eas veritate carere, et eas non esse veras, et quod non oporteat super ipsis disputare. Verumptamen offero me ipsas cum et quando libri fuerint presentes eis realiter et ad oculum probaturum, et maxime auctoritatem illam de miraculis loquentem, que quadraginta annis ante templi destruccionem perdita fuerunt, quam eciam asserunt se nullatenus reperire. Iam quidem duas alias quas nec dicunt, nec dicent non posse reperiri eis in publicum deduxi, ex quibus sequitur eadem intencio.

Necessarium est igitur eos ad eas, ad respondendum teneri, aut se asserant legitime devictos, et contra eos probatissime esse conclusum.

Duodecimus vero punctus est sibi eisdem ignoranciam et insufficienciam attribuere, et insuper eorum oppinionem fore veram temeriter affirmare.

In quo dico quod sibi met in presenti materia nullam possunt attribuere ignoranciam, quoniam cedtum est ipsos sapienciores esse et maiores rabini qui sunt ad presens in toto regno. Et esto quod non sint antiquorum sufficienciam ymitantes, saltem non potest negari eos dicta antiquorum bene ac sufficienter intelligere, et insuper aliquid ultra super eo videre.

Accidit eis sicut parvulo super collum gigantis sedenti vel equitanti, quoniam quidquid gigans videt, videt et parvulus, et adhuc ultra. Ex quo, si in suis responsionibus insufficienciam aliquam paciuntur, illud propter defectum oppinionis eorum, que in se est falsissima ac erronea, se noverint incurrisse, non propter defectum eorumdem. Quia si oppinio quam iudei prefati pertinaciter sustentare videntur, maiori nitesceret veritate, ipsi eam indubitabiliter reperissent.

Ex quibus sequitur eorum responsiones insufficientes, casse, ac nullius penitus esse momenti, et nostram quidem conclusionem, scilicet, Messiam venisse, fore auctenticam, ac sufficientissime probatam.

## SESION XXI

DIE VERO VENERIS, decimaquarta aprilis, iudei quamdam pro-  
duxere cedulam tenoris sequentis:

Iudeus cum humiliori ac debita reverencia qua potest et scit bea-  
tissimi Patris sui que sancti Collegii, 'et' [E. 'ac'] cum honore honora-  
bilis magistri Ieronimi, plena siquidem habita deliberacione, et tanto  
tempore 'quanto' [E. quantum] iudeus super replicacione per dictum  
magistrum Ieronimum facta peciit, respondet:

Quod ipse adheret responsioni eius iam superius habite atque facte  
super his que per prefatum magistrum Ieronimum superius fuere alle-  
gata, inquiring ad pressens aliud non occurrere respondendum, et noc  
propter eius insufficienciam et sciencie tenuitatem. Et cum hoc, suo  
respondere finem imponit, sicut qui ad presens, aliquid ultra penitus  
ignorat.

Subsequenter, eadem quidem die veneris, decimaquarta prefati men-  
sis aprilis, anni prefati, ante conspectum sanctissimi Domini Nostri  
Pape, ex parte dicti magistri Ieronimi, contra dictos iudeos, verba se-  
quencia, sub sequenti forma, fuere proposita:

Non obstante quod per prophetias et auctoritates superius allegatas  
Messiam venisse satis diffuse probaverim seu concluderim, et insuper  
tempore quo adventus Domini Nostri Iesu Christi reperitur fuisse, ex  
quo necessario sequitur eundem esse Messiam verissimum ac indubi-  
tatum; verum ad maioren corroboracionem seu refirmacionem huius-  
modi conclusionis intra corda iudeorum, et ut plene, plenius atque ple-  
nissime informentur de veritate, quolibet cessante impedimento, volo  
allegare Dei verba per Babrielem Archangelum prophete Danieli Babi-  
lonie in ieiunio facto et cinere et planctu, in magna oracionis contem-

placione existenti, revelata, ut habetur Danieli 9<sup>o</sup> capitulo. Que quidem propheta et revelatio sic inquit:

«Septuaginta ebdomade sunt precise, alias abbreviate, super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consumetur prevaricatio; et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iusticia sempiterna, et impleatur visio et propheta, et ungatur Sanctus Sanctorum» (1).

Circa hanc quidem prophetiam tria convenit considerare:

Primum scilicet scire quid hec [E. + sunt] ebdomade, et quodnam tempus est unius cuiuslibet earum (2).

Secundum, scire quando dicte ebdomade inceperint, et quando finierint.

Tercium, quod est opus quod angelus vaticinabatur, quod infra tempus illarum septuaginta ebdomadarum fieri debebat.

Iuxta primam consideracionem, dico quod omnes doctores tam catholici quam ebrey in hoc concordaverunt, scilicet, quod hee ebdomade sint septenna annorum, videlicet quod unaqueque ebdomada septem annis sit duratura. Movet eos ad hoc triplex causa:

Una enim, quoniam si essent ebdomade dierum summarent minus quam annus cum dimidio, et impossibile esset facere hunc processum tam in brevi tempore.

Secunda, cum reperiamus eumdem Daniele, capitulo 10, dixisse, immediate post prophetiam prefatam:

«In diebus illis lugebam ego Daniel trium ebdomadarum diebus» (3). Et ostendens suum intentum, declarat infra quod ebdomade ille erant dies, ad differenciam istarum que non erant dies.

Tercia vero ratio, cum reperiamus in verbis Moysi in Levitico, capitulo 25, ubi loquitur de iubileo, dicitur quod erant septem ebdomade, que summant 49 annos, et quinquagesimo vero anno precipiebat fieri iubileum (4). Unde sequitur iuxta istud, quod numerus 70 ebdomadarum sumant 490 annos (5).

Verum, ad sciendum quando dicte ebdomade inceperunt aut finierunt, dico quod inceperunt in fine primi templi, circa eiusdem templi destructionem (6), cum sic dicat textus, in prefato capitulo: «scito ergo, et animadvertite: ab exitu sermonis» (7). Et dicunt doctores quod istud

(1) Dan. 9,24. Cf. *Pugio*, II.<sup>a</sup> Pars. Ca. III, p. 269-294.

(2) Cf. *Pugio*, p. 271.

(3) Dan. 10.2.

(4) Lev. 25,8.10.

(5) Cf. *Pugio*, 272.

(6) Según *Pugio*, p. 273 y 281, empiezan con el decreto de reedificación del templo.

(7) Dan. 9,25.

«ab exitu sermonis», vult dicere cum exivit verbum Domini ad Ieremiam inquietis quod captivitas Babilonica septuaginta annis erat duratura (8), et hoc fuit quarto anno regis Sedechie, ut habetur Ieremia capitulo 28 (9); et secundum hoc complentur circa finem templi secundi. De hoc enim vos, iudei, habetis auctoritatem in libro de Ceder Holam, ubi sic inquit (10): «Dicit rabi Iuce: septuaginta ebdomade sunt a destructione prime domus usque ad destructionem ultime domus; et sunt septuaginta anni ad eius destructionem, et quatuorcenti viginti ad eius reedificacionem.» Et pari modo declarat hoc rabi Sahadias. Satis ergo sufficienter probavimus quod septuaginta ebdomade computantur a destructione primi templi usque ad finem secundi (11).

Nunc autem oportet videre, iuxta considerationem terciam, quod enim est opus quod, tempore isto durante, erat fiendum. Et ut videtur clare per textum, hic debebant sex compleri, que ad presens non indigent declaracione, quia non sunt presentis speculationis seu materie quam speculamur, sed dumtaxat una, que est principalior et ad nostrum propositum, scilicet, quod infra hoc tempus septuaginta ebdomadarum debebat venisse Messias. Quod videtur propter duo verba prophetic: unum scilicet: «Et adducatur iusticia sempiterna»; aliud vero: «Et ungatur Sanctus Sanctorum.» Cum nedum christiani orthodoxi, verum etiam et hebrei hoc quidem modo declarant, sic dicentes, quod «et iusticia sempiterna» dicitur propter Messiam. Hoc enim vos, iudei, reperietis in Genesi Magno rabi Moysis Darsan, ubi dicitur (12): «Quid voluit dicere Isaias, capitulo 56, cum inquit: 'Hec dicit Dominus; Custodite iudicium, et facite iusticiam, quia iuxta est salus mea ut veniat, iusticia mea ut reveletur?' (13) Dicit rabi Barachias: Hoc dicitur propter regem Messiam, propter quod dixit Daniel: Et adducatur iusticia sempiterna» (14).

Attendite, rogo, qualiter hic doctor rabi Barachias declarat quod iusticia sempiterna dicitur propter Messiam.

Hoc idem: «Et ungatur Sanctus Sanctorum», ipsi enim met declarant de rege Messia, cum sic dicat magister de 'Giriona' [E. Girona] (15), in glosa Danielis, ubi inquit: «Ungatur Sanctus Sanctorum. Iste est Messias, sanctificatus filiorum David» (16).

(8) Ier. 29,10.

(9) Ier. 28,1.

(10) Cf. *Pugio*, 272-273.

(11) Cf. *Pugio*, 280-281.

(12) *Bereshit Rabbá* de M. Ha-Darshán, par. 43, in Gen. 14,18 (ed. B. N. p. 54-55). Cf. *Pugio*, 285.

(13) Is. 56,1.

(14) Dan. 9,24.

(15) Moshé ben Nahmán.

(16) Cf. *Pugio*, 285.

## [CODICE GERUNDENSE]

Probavimus igitur per eorum doctores qualiter, durante dicto tempore, debebat Messias venire, atque venisse, iuxta Danielis prophetiam. Sed dictum tempus, secundum eosdem met iudeos, est iam completum, cum mille quatuorcenti anni et ultra sint elapsi. Ergo cum ante complementum temporis illius Messias venerit, sequitur nostram conclusionem sufficientissime ac valde bene esse elicitam atque probatam.

## SESION XXII

DIE VERO LUNE, decimaseptima aprilis, presentarunt iudei quandam cedulam tenoris sequentis:

Iudeus, enim, cum humili ac debita qua potest et scit reverencia Beatissimi Patris, sui que Sacri Collegii, ac cum honore honorabilis magistri Ieronimi, respondet dicens:

Quia glosatores iudei antiqui et moderni, qui prefatam prophetiam ebdomadaram Danielis per dictum magistrum Ieronimum superius allegatam glosaverunt, taliter exposuerunt quod ex ea non probatur venisse Messiam, dictus iudeus, adherens glosis prefatis, credit atque tenet veram esse conclusionem quod nondum venit Messias.

In dicta vero prophetia sunt plures glose, per rabinos auctenticos antiquos et modernos facte, ut sunt rabi Sahadias, sicut ordinator libri de Cabbala et libri Haruc, et rabi Salomon, et rabi Abraham Avenhazra, et magister de 'Giriona' [E. Girona] et nonnulli alii diverse diversimode condite; et quoniam maior pars concordat in sustinendo regulam glose sequentis, solum eam iudeus inducit, et non plures alias. Daniel quidem, ut videtur capitulo 8 libri sui, credebat quod finiti essent septuaginta anni captivitatis babilonice, quam prophetaverat Ieremias; et credebat quod, in illa captivitate, iudei omnia eorum peccata, que fecerant, purgassent, et templum secundum prosperitasque illius erat duratura in eternum. Apparuitque ei Gabriel Angelus, ei dicens: Non esse sic, quemadmodum credebat. Et primo ad illud quidem dictus Daniel cogitabat quod, post septuaginta annos, esset futura prosperitas templi in eternum, dixitque ei quod, hora qua Dominus Noster predixerat tempus septuaginta annorum pro visitatione, eadem vero hora prefixum fuit et assignatum tempus septuaginta ebdomadaram, que sumant quatuorcentos nonaginta annos, ad intrandum captivitatem, ad consumendum culpas, et purgandum pec-

cata et indulgendum delicta; taliter quod, illis purgatis, Deus Noster adducet iusticiam sempiternam, quod idem est quod templum duraturum in eternum; et vocatur quidem iusticia sempiterna, quoniam exinde oriebatur iusticia sempiterna, quemadmodum ait Salomon «situs ad tui habitationem sempiternus» (1). Dicitur ultra: «et impleatur visio et propheta» (2), scilicet, quod complerentur bona et prosperitates in propheciis promissa; «et ungetur Sanctus Sanctorum», scilicet, ad unguendum Christum, sanctificatum filiorum David, qui a iudeis expectatur. Post hec vero dixit ei angelus quod illud, quod credebat, quod tempus septuaginta annorum advenerat, quod non erat ita, declarans ei illas septuaginta ebdomadas qualiter erant condivise. Dixitque ei: «Scito, ergo, et animadvertite, prepara mentem, et intellige.» Nam ex tunc quod propheta prophetavit reedificationem templi et reparationem seu populacionem Ierusalem, que non potest intelligi templo edificato existente, et ex necessitate debet incipere a die destructionis templi usque ad Christum ducem, qui est aut Cyrus, aut Zorobabel, ad septem completas ebdomadas; dixitque quod templum intra tempus sue edificacionis et duracionem illius sexaginta duo duraret ebdomadibus, dictaque edificacio esset cum angustia, ut dicitur: «et ebdomade sexaginta duo reedificabitur platea et murus cum angustia temporis»; et post sexaginta duo ebdomadas, in ebdomada que remanet, dixit ei quod esset destructio templi, et mors Messie, qui erat Agrippa rex, et mors 'Amnibam' [E. Munibam] filii eius, cum dixit: «occidetur Messias; et non ipse», quasi dicat: et non remanebit sibi filius aliquis regnans. Dixitque ei quod civitas et templum destrueret gentem Tyti, quem vocavit principem venientem, quoniam in hora destructionis non erat adhuc Tytus rex; declaravitque insuper sibi qualiter esset regula destructionis: quod una ebdomada faceret pactum cum Israel, et deinde frangeret seu rescinderet pactum, ut dixit: «et medietas ebdomade annullavit hostiam et sacrificium», et dixit quod propter societatem iniquorum esset destructio, et hoc est quod dixit per abhominacionem desolacionis. Et quod dicit: «et usque ad finem et silentium curre.», desolacio est, ita quemadmodum dixit: «et finis destructionis», quasi dicat quod in fine, dictus Tytus condempnabitur in propria persona, ut dicunt doctores nostri in libro Gitim in capitulo de Hamuzaquin.

Et quia Daniel vidit quod hec edificacio, quam angelus Gabriel ei revelaverat, non erat firma nec durabilis, peccit subsequenter: «usquequo erit finis mirabilium?» (3), quasi vellet dicere, hunc finem usque modo non esse finem mirabilium, nec ille finis erat, quem expectabat.

(1) 3 Reg. 8,13.

(2) Dan. 9,24 ss.

(3) Dan. 12,6.



Et respondit ei quod ad tempus et tempora et dimidium temporis (4). Et super hoc iterum ait Daniel: «ego audiebam et non intelligebam» (5). Et peccit: «quis est finis huius»? (6). Et responderunt ei quod verba hec clausa erant, et usque ad finem signata. Sic enim declarant rabini nostri in Sanhedrin, ultimo capitulo.

Et ad presens dicit iudeus quod non occurrit ei alia ratio, nec scit ultra quid dicat.

Dicit tamen quod, propter eius ignoranciam et eius insufficienciam, quam pluries allegavit, eius credulitas et fides nullam recipit diminucionem atque defectum; et ad idem glose suorum glosatorum, propter eius ignoranciam defensionis, nullum paciuntur detrimentum, quoniam veritas, per se est veritas, non propter illius defensorem.

Hic autem finem ponit sue responsioni, veluti qui ad presens aliud quod dicat ultra ignorat.

EADEM VERO DIE, dictus magister Ieronimus contra responsionem per iudeos factam, sic replicans, ait:

Dico quod, loquendo cum honore, quod dicta responsio non habet locum multiplici racione:

Primo namque, ad quod iudeus inquit quod glosatores iudei dictam prophetiam glosaverunt taliter, ut ex ea non probetur Messiam venisse, etc.

Contra quod respondeo: Quod ex hoc non probat iudeus quidcumque sue intencionis, ideo non est mirabile quod ipsi, ad eorum sustinendum errorem, investigent glosas, esto quod sint cum veritate dissonae ac discordes, eis pertinaciter adherentes. Verum, si glosa per iudeos 'prefacta' [E. prefatos facta] bene ac diligenter perscrutetur, super hac opinione, scilicet, quod in babilonica captivitate sufficienter non fuerunt peccata purgata, fundari videtur. Et sic aliam captivitatem asperiozem ac maiorem fuisse necessariam, que post septuaginta ebdomadas erat superventura; adeo quod, secundum iudeum, angelica verba velint sic dicere: septuaginta ebdomade sunt precise super populum tuum ad intrandum in captivitatem. In quaquidem captivitate complebuntur illa sex superius dicta, scilicet, consumi prevaricacio, etc.

Unusquisque, rogo, diligenter advertat quam sit hec glosa cum veritate opposita, et, tam cum textu, quam cum racione discrepans. Cum textu quidem, quia in textu prophetie nullum verbum illorum

(4) Dan. 12,17.

(5) Dan. 12,8.

(6) Dan. 12,9.

que ipsi ponunt superflua, quoniam textus inquit ad literam: Septuaginta ebdomade sunt signate ad hoc opus faciendum, de captivitate aliqua nullam omnino faciens mencionem. Et ipsi dicunt: septuaginta ebdomade sunt signate, ut captivitas veniat, in qua hoc opus fiet. Vellem quidem ab eis non immerito informari unde glosator eius hanc habuit superfluitatem quam ponit.

Preterea hec glosa est de directo textui opposita ad literam. Cum textus enim dicat: hoc fiet hoc tempore. Et glosator dicat: Hoc non fiet hoc tempore. Talis quidem magis corruptor quam glosator merito est dicendus.

Preterea hec falsa glosa eciam est opposita veritati propter quinque:

Primo, quoniam peccata primo tempore durante commissa, fuerunt septuaginta annis babilonice captivitatis sufficienter purgata, quod patet per verba dicti capituli, ubi dicitur: «Et omnis Israel prevaricati sunt legem tuam, et declinaverunt ne audirent vocem tuam, et stillavit super nos malediccio et detestacio que scripta est in libro legis Moysi», etc. (7).

Ex quo videtur quod si tota punicio et malum in lege Moysi scriptum venit super eosdem, satis peccata preterita purgata fuerunt.

Item in secundo Paralipomenom, capitulo ultimo: «Et compleretur sermo Domini ex ore Ieremie, et celebraret terra cuncta sabbata sua, cunctis enim diebus desolacionis egit sabbatum usque dum complerentur septuaginta anni» (8).

Ecce igitur manifeste qualiter in illis septuaginta annis terra fuit contenta ex omnibus peccatis que fuerunt in ea commissa. Ergo videntur esse sufficienter purgata.

Secunda vero ratio, quoniam videtur per dictum capitulum quod angelus Daniele m consolabatur ex fletu suo, ieiunio et confessione, ut ibidem dicitur: «cum adhuc loquerer et orarem et confiterer peccata mea», etc. (9). Et cum verbis magne consolacionis ac simplicibus mite dicens: «Vir desideriorum meorum tu es» (10). Ac cum verbis claris, et a Daniele intelligibilibus, nam sic in textu dicitur: «Nunc exivi ut docerem te intellectum», etc. (11). Daniel autem attente intellexit et bene, fuitque contentus, ut patet, cum in illa prophecia non amplius interrogavit, neque plus arguit. Ergo secundum glosam quam ipsi iudei faciunt, qualis esset Danielis consolacio angelo inquirente sibi quod modico tempore erat templum duraturum, et cum labore, et deinde finaliter destrueretur, ingrederentur insuper tam fortem, tamque

(7) Dan. 9,11.

(8) 2 Parl. 36,21.

(9) Dan. 9,20.

(10) Dan. 9,23.

(11) Dan. 9,22.

longam captivitatem? Hec quidem verba magis desolacionis quam consolacionis essent ipsi Danieli.

Tercia vero ratio cum, secundum glosam pefatam, gloria et prosperitas illius templi secundi erat valde modicum duratura, et cum spe, in fine illius, captivitatem huiusmodi et adversa paciendi. In textibus quidem propheticie reperimus oppositum:

Primo enim reperimus Ieremia, capitulo 29: «cum ceperint impleri in Babilonia septuaginta anni, visitabo vos, et suscitabo super vos verbum bonum», etc. (12). Item reperimus Egei capitulo 2.º: «adhuc unum modicum est, et ego movebo celum et terram, mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus, et replebo domum istam gloria», etc. (13). Videtur igitur quod prosperitas et gloria illius secunde domus maior essent quam prime, quanvis in ea fuerint omnes reges David. Non enim potest iudeus occultare, nec subterfugere, glosans hoc debere intelligi de templo ab eis expectato, quoniam hanc propheticam dicebat propheta ipsi Zorobabel et Iosue sacerdoti, hora qua templum edificari inceperat magna cum paupertate, atque fletu, ut in dicta propheticam et in libro Esdre lacius continetur. Et ipse confortabat eos, vaticinando eis bonum et gloriam que futura erant in fine illius temporis. Et nichil horum locum haberet secundum glosam eorum. Ex quo sequitur non esse veram.

Quarta vero ratio, quoniam si purgacio peccatorum non fuisset completa in illis septuaginta annis, que fuit causa eos ab illa captivitate eximens? Maior quidem ratio esset quod illam differrent captivitatem, donec perfecte purgarentur, quam tempore modico inde eos liberare, et deinde, eos in captivitatem pro multo tempore revocare, ut a peccatis eorum omnimode purgarentur. Hoc enim videtur ac si diceretur quod aliquis homo deberet esse in purgatorio ad eius peccata perfecte purgandum centum annis, postquam vero quinque annis permansisset ibidem Deus inde extrahens eum duceret in paradisum, et eum teneret certo tempore in gloria, demum ipsum revocaret ad purgatorium, ut compleret tempus purgacionis sue, ut mundaretur a peccatis suis ut finaliter consequi posset gloriam paradisi. Hoc quidem esset ridiculum ac apud omnes quid vanissimum non immerito censendum, et non divinum. Videtur igitur pefatam glosam nullum penitus habere locum.

Quinta vero ratio, ipsi enim dicunt quod, postquam a captivitate babilonica liberarentur et templum reedificaretur, iterum destrueretur et in captivitatem iterum revocarentur, ut consumptis sic peccatis, perfectissime purgarentur ab eisdem, et quod hec erat intencio propheticie.

(12) Ier. 29,10.

(13) Ag. 2,7.

Quero, enim: que erant illa peccata a quibus in hac captivitate purgari debebant? Quoniam aut erant peccata ante reedificationem templi perpetrata, aut peccata que, durante templo, tunc temporis, committebantur, aut peccata captivitatis tempore in futurum committenda.

Propter peccata quidem preterita hoc non potest esse, cum per prefatas superius prophetias difuse satis probaverimus quod dicta peccata fuerunt in dictis septuaginta annis Babilonie sufficienter purgata.

Propter eorum, vero, que tempore secundi templi fuere, hoc esse non poterat, cum in Scriptura aliqua, quod ipsi, qui tunc temporis fuerunt, tale commisissent peccatum, propter quod tanta captivitate et tam longa merito venirent puniendi, minime reperiatur, cum ydolatria, nec homicidium prophetarum, nec adulteria inordinata, quemadmodum in tempore primi templi fuere, nullatenus reperiri contingat. Hec quidem talia infra septuaginta annos fuerunt purgata.

Item quoniam, secundum Dei verba, peccatum patris in lege non punitur ultra quartam generacionem, dato quod filius perseveret in peccatis paternis; hic autem iamque punicio preterierat per quam plures generaciones. Hoc quidem nichil aliud esset quam dicere in simili, homine quodam propter maleficia ab eo perpetrata in carcerem detento, eum iudex inde liberaret, cum spe tamen quod, cum dictum reum habere filium contingeret, eum in carcerem retruderet propter maleficia a patre commissa. Hoc quidem non modica, apud omnes bene discernentes, iniusticia censeretur.

Propter peccata enim tempore futuro committenda, non potest esse. Qualis enim iusticia esset punire quemcumque ante quam perpetraret peccatum, et quod ante ultra quadringentos annos. Deus, supervenientes, in tam longam atque magnam [E. + captivitatem] condemnaret, propter dubium si delinquerent in futurum?

Ex quo manifeste videtur quod hoc vaticinium seu prenosticacio per angelum Danieli facta, propter peccata preterita, presenciam, nec futura esse non poterat. Unde sequitur ex necessitate glosam per eos factam esse falsam, cassam, irritam atque vanam, et per consequens, nostram esse firmam, valde ratam et cum veritate consonam, scilicet, omnia illa sex debere adimpleri durante tempore septuaginta ebdomadatum, de quorum numero unum erat uncio Sancti Sanctorum, quod ad idem, secundum eorum oppinionem, de vero dicitur Messia. Et cum tempus septuaginta ebdomadatum, secundum communem oppinionem, in fine templi secundi fuit completum, sequitur ergo ante destructionem prefati templi Messiam venisse.

Iudeus vero cum humiliiori ac debita reverencia, quam potest et scit, Sanctissimi Patris, sui que Sacri Collegii, cum honore eciam hono-

rabilis magistri Ieronimi, habita tanto tempore, quantum iudeus peccat, plenaria deliberacione, ad replicacionem per dictum magistrum Ieronimum factam respondet:

Quod ipse adheret responsioni per dictum iudeum iam facte super prefata propheta per dictum magistrum Ieronimum allegata, dicens quod, pro presenti, aliud quid respodeat, propter eius insufficienciam et sciencie tenuitatem, sibi non occurrit. Et cum hoc finem sue responsioni imponit, sicut ille cui, pro presenti, nulla est alia responsio.

Durante vero hoc prefato tempore, pluribus iudeis, qualibet ebdomada, quotidie venientibus ad cognicionem veritatis, et fidem catholicam publice confitentibus, contigit quod nunc tres, nunc vero quatuor, nunc vero plures, in presencia tocius sancte curie Domini nostri Pape, qualibet ebdomada anni presentis, sanctum receperunt baptisma, ultra alios qui in diversis regni partibus convertebantur ad fidem, sicut in CESARAUGUSTA, CALATAIUBII, ALCANICII, et regni aliis sinagogis. Audiebant quidem qui presentes erant, et aliis referebant, validas tam notabiles ac rationes transcendentis per prefatum magistrum Ieronimum contra iudeos factas, et scientificas allegatas, responsionesque tam debiles tamque cautellosas, quas rabini iudeorum in oppositum veritatis sophisticas faciebant. Ita quod, illa estate, conversi fuerunt ex iudeis ultra ducentos et quinquaginta.



## SESION XXIII

DIE VERO MARTIS, SECUNDA MAII prefati anni, ante conspectum dicti Sanctissimi ac Beatissimi Patris et domini nostri, domini Benedicti Pape XIII, eiusque sancte curie, constitutus dictus magister Ieronimus, iudeisque presentibus supradictis, proposuit sub his verbis:

«Convertimini, filii revertentes, et sanabo animadversiones vestras.»  
Ieremias, capitulo 3 (1).

Verbis siquidem huius prophecie Ieremie diligenter consideratis, in hoc eodem capitulo, repperientibus ea, valde consonancia cum hiis que secuta sunt in processu presentis informacionis, pro parte Sanctissimi Domini nostri Pape vobis iudeis facte, atque incepte. Et ideo in presenti capitulo duo in genere continentur: Unum scilicet magnam pertinaciam, perfidiam et duriciam populi contra doctrinam et informacionem prophete ostendere seu propalare. Secundum vero, aliqua futura pro parte salvacionis, cum quibus nonnullae tollebantur oppiniones erroneae atque mendaces in populo existentes, revelare ac declarare. Sic et enim accidit in presentibus informacionibus. Nam cum voluntas Sanctissimi Domini nostri Pape fuerit vos iudeos in actibus salvacionis et adventu Messie informari, sua enim Sanctitas immediate in principio promisit vos docere modum atque normam, qualiter in presenti casu vos regi debebatis ad verissimam habendam noticiam, ut animarum vestrarum consequeremini salvacionem, dicendo vobis iudeis quod rationes vobis sane superius allegatas per eundemque saniores sensum et intellectum veriores, quo valerent intelligi, semper tamen attendentes quod absque cautellis et maliciis veritas videretur.

Facta quidem hac monicione, eius insuper Sanctitas mandavit

---

(1) Ier. 3,22.

in materia procedi informacionis, ordinans quod primo discuteretur, scilicet: An Messias per omnes expectatus venisset an non, cum illa sit principalis questio, ac tocius questionis et disputacionis, que inter christianos et iudeos vertitur, origo et fundamentum.

Contra vero hec duo, per eiusdem Sanctitatem ordinata, vos quidem valde deliquistis, ac in modo a Sanctitate Domini nostri Pape date regule non modicum excessistis. Et primo quoniam vobis plures prophecie ac diverse glose seu auctoritates vestri Talmud super easdem fuerunt allegate, ex quibus Messiam venisse indubitabiliter eliciebatur, et quotidie cautellas et evasiones ad eas devianandum, eisque obviandum investigare curastis, non per aliquorum rationabilium oppinionum, nec ostensarum nec allegatarum a doctoribus in aliquo libro, debitum fundamentum, nisi hoc volumus dumtaxat capitose tenentes, tamquam qui ab onere alicuius exonerare se vellent, volentes insuper quod vestra transeat sive certa, sive iniusta, perfidiosa voluntas; nedum hoc, verum etiam textus et ea que in libris sunt manifestissima impudenter negare, quorum quidem ad literam vobis sepe ac sepiissime est monstratum; et quod deterius est, nonnullas per vos conclusiones approbatas, ut puta, Messiam iam natum esse tempore destructionis templi, et etiam manifestatum esse dicere, asserere, seu in publicum confiteri, nonnullis ex vobis et de maioribus hoc quidem causantibus seu dicentibus necesse esse sic hoc esse et fuisse, quoniam infirmo angustiam infirmitatis sue patienti tunc opus est medico. Post hec vero, hoc siquidem hic coram tanto consistorio in publicum diversis temporibus, ac pluries per vos, ut dixi, sic concesso, illud revocare inverecunde curastis, quidquid predixeratis verum, negantes, adeo quod, cum vestras cautellosas cavillationes penitus destruxeritis, et nichil eas vobis valere nec locum aliquem aliquatenus habere videritis, quod ultra quid dicere ignorabatis asserere seu dicere habuistis. Verum insuper perfidiose dicentes quod in supradicta pertinacia permanetis incorrigibiliter, quod rationabiliter vobis est probatum minime vultis confiteri. Hoc quidem tenere, non est nisi ex pura duricia ac pertinacia, quam propheta in prefato themate vaticinatus est, sic inquam:

«Convertimini, filii revertentes» (2).

Hoc quidem revertentes latine, ebrayce est dictum *sobabim* (3), quod idem est quod retrahere se a veritate et a ratione et retrocedere ab illa, quemadmodum equus per iter debitum ire recusans, qui apud ispanos bestia farona nuncupatur, quia retrahit se, et retrocedit ab illo vel a via, ad quam debet transire, et non facit. Propheta vero, videns hoc vicium habituatam esse in vobis, rubricavit seu intitulavit vos plu-

(2) Ier. 3,22.

(3) *Shobabim*.



ries sub hoc titulo, adeo quod, solum in hoc capitulo, quinquies reiteravit. Hoc quidem vicium est in vobis deterius iudeis, quam illud in quo vos scripsit Isaias inquit: «Exceca cor populi huius» (4). Quoniam 'tenes' [E. tenens] cor cecum, partim excusatur dicens: non itelligo amplius; et fortassis enim nisi propter illam malediccionem, quam posuit in cecitate cordis, ipse converteretur. Sed vos, qui, ut constat, estis maiores rabini et literati iudeorum ispaniorum, et qui, ut notorium est, nullam potestis allegare ignoranciam, cum certum sit raciones hic in publico factas et allegatas vos et quemlibet vestrum sufficienter intelligere, vidistis atque videtis responsionum vestrarum nullum esse atque fuisse racionabile fundamentum, nichilominus tamen perfidiam vestram vultis pertinaciter sustinere; propter quod dico, quod non immerito venitis reprehendendi, doctrinam per Sanctissimum Dominum nostrum Papam vobis iudeis traditam non recte capientes atque intelligentes. Ideo de vobis sigillatim in hac propheta locutus est propheta, inquit: «Filii revertentes.»

Secundum vero, quod propheta tetigit, fuit aliqua futura tempore salvacionis, ad nostrum propositum satis faciencia, revelare atque vaticinari.

Unde in harum principio informacionum, vos quidem iudei qualiter has audire informaciones refutaretis viam atque modum inquirentes, allegastis hanc viam, scilicet, informacionis, non esse veram, zelo enim non bono moti, cum de actibus seu operibus que verus Messias tempore sui adventus erat factururus, ante omnia erat tractandum; quorum quidem de maioribus ac principalioribus erat in terra promissionis populum ducere, templum et Ierusalem materialiter edificare; et cum hec nondum fuissent completa, sequeretur per vos, ex hoc, nondum venisse Messiam; ad hoc quidem nonnullas allegantes auctoritates seu prophetias ad literam, ut asseritis, hoc sic esse edocentes, et adhuc, in quadam a vobis facta responsione, hoc idem reperfidiantes.

Verum Dominus noster Papa quod in hoc loqueremur, donec materia presens esset medulitus discussa, seu conclusa, scilicet, donec Messiam venisse esset sufficienter probatum, noluit merito suum prestare assensum. Postquam igitur illa conclusio est sufficienter probata, tam per auctoritates rabinorum talmudistarum, quam per Isaie, et patriarche Iacob, ac Danielis prophetias, iuxta numerum ebdomadatum, nunc vero sanctissime clemencie eiusdem Domini Nostri Pape in verissimo intellectu predictarum prophetiarum per vos superius allegatarum, benigniter placuit ac clementer iudeos informari. Hoc quidem

---

(4) Is. 6,10.

sic facto, quod in qualibet verarum condicionum Messie loquamur per extensum, taliter enim, ut vos plene informemini ex eisdem etiam qualiter Dominus Noster Iesus Christus verissimus fuerit Messias, ac indubitatus, ut veriolem noticiam habeatis, videbimus subsequenter.

Circa primum vero dico, et firmiter assero, has tres quidem prophecias per vos super tribus illis operacionibus quas Messias facturus erat, scilicet: Populum congregare, Ierusalem atque templum reedificare, spiritualiter, non autem materialiter debere intelligi.

Ad quod probandum quatuor induco seu formo rationes:

Primam siquidem quoniam, si Deus aliquo tempore dare volebat Messiam, et tempore illo ille operationes erant iam materialiter facte, sequitur illas non esse operationes Messie. Consequencia enim est bona. Antecedens probo per textum talmudicum, in capitulo ultimo libri Sanhedrin (5), ubi inquit quod Deus volebat facere Ezechiam Messiam, et remansit, quoniam in miraculo sibi facto de rege Senacherib, nullum carmen aut oracionem aliquam coram Deo predixerat. Sed in tempore Ezechie, populus in terra manebat, Ierusalem et templo optime edificatis. Ergo possibile erat secundum iudeos, ipsum fuisse Messiam, et dicta opera eius manum minime complevisse. Ergo non sunt propria opera Messie et, per consequens, textus Messie attributi minime debent materialiter intelligi.

Secunda ratio, quoniam simile misterium sicut hoc, de quo prophete parabolice sunt locuti de Ierusalem et de templo, ea que tempore Messie secutura erant significantes, sumpsit Moyses in deserto et in Tabernaculo Dei existens, quoniam omnia erant in figura [E. + ea], que secutura sunt super terram, et in Ierusalem, et in templo significancia.

Certum est, igitur, in tota lege mosayca nullam de Ierusalem nec de templo fieri mencionem, nisi de mansione seu habitacione Israel et de tabernaculo Aaron, suisque filiis, Eleazaro scilicet et Tamar, minime reperitur. Dicitque etiam in diversis locis: qui voluerit tale facere sacrificium porter illud ad portam tabernaculi. Item: si quis immunus fuerit, post certos dies intrabit tabernaculum. Item: leprosus seu pollutus tot diebus stabit, seu manebit extra habitacionem; post vero revertetur ad eandem. Item: tale sacrificium erit pro Aaron. Item: in talem partem tabernaculi nemo, nisi Aaron, ingredietur.

Hec quidem reperietis in libro Exodi expressata, et in Levitico, non faciendo intencionem aliqualem, nec declarando per illam habitacionem debere intelligi Ierusalem, nec per tabernaculum curtinarum templum lapideum nec cedrinum.

Si in his igitur regula, quam in prophecias de Messia loquentibus

(5) Sanh. 94 a.

esse creditis, debuerit observari, sequeretur quod David, et Salomon, et qui tabernaculum destruxerunt, omnia ista per figuram quas ipsi fecerunt recipientes, indubitabiliter erraverint. Ex quo manifeste videtur cuncta in textibus mosayce legis contenta, significare alia hiis, que tempore regum futura erant, correspondencia. Et per consequens, cum prophete in prosperitatibus et bonis que in tempore Messie secutura erant, exemplariter et figurative ad significandum illa que presenciam erant suo tempore recipiebant.

Tercia vero ratio, quoniam hoc idem potest probari per declarationes et iudeorum rabinos talmudistarum, quoniam ipsimet ponunt illa eadem vocabula, in prefatis propheciis, per vos allegatis, contenta, figurative fore dicta.

Rabi quidem Moyses de Egipto in libro de Madda in leccionibus de primis 8º capitulo sic inquit (6): «Merces que non habet mercedem alciorem se, est bonum quod non habet bonum post ipsum, quod prophete desideravere; multipliciter nominat eum Scriptura Sacra, scilicet: Montem Dei, Tabernaculum Dei, Templum Dei, Domum Dei, Portam Dei.»

Item dicitur in Talmut, diversis in locis: «Ierusalem inferior est in rectitudine seu fronte Ierusalem superiori.» Ecce ergo qualiter Ierusalem et templum Dei sumuntur pro gloria spirituali.

Dicitur insuper in Beresith 'et Abda' [E. rabba] super textum quem dixit Isaias, scilicet:

«Et redempti a Domino convertentur, et venient in Syon cum laude, et leticia sempiterna super capita eorum» (7).

Dicit enim rabi Iosue, filius Levi: «nichil aliud est hec Syon, hic nominata, quam Paradisus» (8).

Item in eadem Ezechielis propheta super 'illud' [E. illo] edificio et Ierusalem et templi, per vos iudeos allegata, reperitur vestra repugnancia; impossibile enim est, templum illud, nec civitatem, posse materialiter intelligi. Si enim templi mensuras respicitis, seu diligenter attenditis, reperietis quidem ipsum esse maius quam unum regnum, et Ierusalem maiorem dimidia parte mundi. Dicit enim rabi Abba:

«Edificium existens coram Domino nostro decem et octo millia cepit leucas.» Et declarat rabi Salomon de Ierusalem superiori hoc dixisse, in fine Ezechielis (9).

(6) *Mishné Torá*, H. Teshubá, 8,4.

(7) Is. 51,11.

(8) *Ber. Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 60 in Gen. 24,67 (ed. B. N., 65. línea última. Cf. *Pugio*, 605-606).

(9) Cf. *Pugio*, 386.

Ecce ergo manifeste apparet qualiter vestrimet rabini declarant illas prophecias debere necessario allegorice seu spiritualiter intelligi.

Quarta quidem ratio, per verba Ieremie, ubi thema, quoniam hic propheta videns, ut dictum est, pertinaciam seu perfidiam in vobis iudeis regnaturam, consideratis causis eiusdem, nonnullas earum declaravit ad expulsionem earundem, incipiens incontinenti dicere:

«Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester; et assumam vos unum de civitate, et duos de cognacione, et introducam vos in Syon» (10).

Hic enim vobis declarat congregacionem israeliticam quemadmodum debet intelligi propter eos qui ex gentibus, diversisque nationibus, ad fidem seu credulitatem Messie converterentur. Ideoque dixit: «assumam vos unum de civitate, et duos de 'congregacione' [E. cognacione]», quod enim cum verbis valde consonat Zacharie dicentis: «Applicabuntur gentes multe ad Dominum», etc. (11). Quod est contrarium illius quod, ponentes, dicitis in Talmut scriptum esse: «Non reperientur peregrini tempore Messie» (12).

Item fecit iuxta illud mencionem apostolorum per manus quorum fienda erat populi congregacio, inquiring:

«Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos sciencia et doctrina» (13).

Rogo attendite qualiter verba hec cum gestis apostolorum valde sunt consonancia.

Primum cum dicat: «Iuxta cor meum», quoniam verus Messias apostolos filios ac fratres appellabat. Inquit insuper: «et pascent vos sciencia atque doctrina». Quoniam apostoli nichil aliud predicabant atque promittebant quam bona spiritualia, non autem temporalia, sicut Messie vero attribuere seu applicare curatis.

Locutus est ulterius in templi edificacione, iudeis ostendens qualiter materiale minime esse debet. Ad cuius declaracionem, quod erat in toto templo sanccius ac nobilius, scilicet Archam Testamenti, recepit, de ea inquiring:

«Cumque multiplicati fueritis et creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra: Archa Testamenti Domini; neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra» (14).

Ecce quam clare posuerit quod, cum predicta esset prosperitas, de

(10) Ier. 3,14.

(11) Zach. 2,11.

(12) Yebamot, 24 b; 'Aboda Zarah, 3 b.

(13) Ier. 3,15.

(14) Ier. 3,16.

Archa Dei nulla mencio fieret, que quidem erat magis sanctum quod in templo existeret, cum illa non existente, vana esset edificacio temporis.

Hoc quidem concordat cum dicto Ieremie, capitulo 7:

«Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est» (15).

Hoc quidem, ut oppinionem a vobis de sensibilibus auferret seu revocaret, Ieremias inquiebat.

Deinde locutus est de eadem met civitate Ierusalem, dans intelligi quod illam Ierusalem per omnes prophetas prenunciata minime materialis esse debebat, sed quod pro gloria divina sumebatur. Et ideo inquit:

«In tempore illo vocabunt Ierusalem solium Domini; et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini» (16).

Ostendens enim nobis, quod per hanc Ierusalem debet intelligi sedes Dei, que est Ecclesia Orthodoxa, quod videtur cum inquit: «Congregabuntur ad eam omnes gentes.»

Videamus igitur quenam sit civitas materialis, ubi sit possibile omnes gentes congregari. Ex quo videtur de necessitate debere intelligi pro Ierusalem, que est Ecclesia Dei.

Uterius dixit: «Et non ambulabunt post pravitatem cordis sui iniqui» (17).

Hic autem nos docuit qualiter, post Messie adventum, idolatria mundi annullaretur, et quod omnes gentes crederent in Deum. Concordat cum dicto Isaie, ubi dicit quod repletur omnis terra cognitione Dei, etc. Et accepit propheta hoc, scilicet, pravitatem cordis sui, quod significat in hebrayco idolatriam. Sic enim inquit Moyses Deuteronomii capitulo 29 (18). Quod de facto videmus fuisse secutum, cum post adventum veri Messie omnes gentes cognoverunt primam causam esse, et omnium rerum Creatorem, non obstante quod cum hoc nonnullas erroneas miscuerunt oppiniones.

Ex quibus patet quod ex verbis huius prophecie videtur edificium dicti templi et Ierusalem, tempore Messie, non materiale, sed spirituale fuisse.

Finaliter autem ex his concluditur, per rationes iam factas, condiciones illarum trium operationum, scilicet, populum ad terram promissionis congregandõ, Ierusalem atque templum materialiter edificando, per vos iudeos Messie apropiatas, casas fore, irritas atque vanas.

(15) Ier. 7,4.

(16) Ier. 3,17.

(17) Ier. 3,17.

(18) Deut. 29,19.

Postquam igitur Messiam venisse lacius probaverimus et repugnancias contra dicta in ibi enarraverimus et penitus, Deo duce, iam annullaverimus, nostrum prosequens processum, que sint condiciones que in Messia future erant, convenit particulariter videre. Et ad earum noticiam, et iudeorum pleniorē informacionem, oportet quod declaretis et notificetis quas vestri rabini super his servant oppiniones.

Circa quod 12 vobis forme quesita seu interrogatoria:

Primum quidem est, quis locus erat assignatus ubi Messias erat nasciturus.

Secundum, an miraculose, aut sicut quevis alia persona esset nasciturus naturaliter.

Tercium, an solum homo, aut simul Deus et homo debuerit esse.

Quartum, an eius adventus debuerit esse ad salvandas animas ad vitam spiritualem, aut corpora ad vitam temporalem.

Quintum, an peccatum Patris Ade fuerit remissum ante Messie adventum, an non.

Sextum, an Messias ad dictum peccatum purgandum, mortem pati debuerit, an non.

Septimum, an aliam nacionem quam hos qui de genere Israel ducunt originem salvare debuerit.

Octavum, an legem seu doctrinam novam daturus erat, an non.

Novenum, an post eius adventum sacrificia, quemadmodum [E. + prius] solitum erat fieri, erant continuanda, an non.

Decimum, an veteris legis ceremonialia, ut puta cibaria, et sacerdotium de tribu Levi et generis Aaron, post eius adventum erant continuanda, an non.

Undecimum, que est causa in qua vos iudei nunc positi estis tam longe diurneque captivitatis.

Duodecimum, an illam eandem terram quam primo, cum ab egiptiaca captivitate, et secundo, cum a babilonica fuerunt iudei liberati, possederunt, illam eandem, cum vester Messias venerit, estis iterum possessuri, an aliam.

Circa quod oportet vos exprimere si qua, super predictis, vobis sint dubia, illaque expresse declarare; deinde, ad quemlibet istorum duodecim interrogatorum seu quesitorum vestram oppinionem explicare, taliter ut in omnibus Messie condicionibus et cognicione eiusdem plene valeatis informari, ut anime vestre ab erroribus et perversis oppinionibus eorundem mederi valeant, atque sanari, iuxta verbum thematis:

«Convertimini, filii revertentes, et sanabo animadversiones vestras.» (19).

## SESION XXIV

DIE VERO MERCURII, decimaseptima mensis maii anni presentis, responderunt iudei sub forma sequenti:

Et iudeus quidem, loquendo semper cum humiliori qua potest et scit reverencia Beatissimi Patris sui que sacri Collegii, cum honore adhuc honorabilis dicti magistri Ieronimi, et cum protestacionibus in cedulis prelibatis per eum factis, respondet:

Primo: Ad illud quod prefatus magister Ieronimus inquit quod primo videamus an Messias per omnes spectatus venisset an non, tamquam id super quo questio principalis vertitur, etc., quod hec non est principalis questio, quoniam in quam plurimis variisque questionibus gravitatis magne, et principalioribus, christianus et iudeus discordant.

Item dicit magister Ieronimus: Et quotidie investigatis cautellis seu cavillationes. Ad quod iudeus, quod nec cavillationes, nec cautellas amodo ipse investigare curavit, sed cum rationibus iudicio suo sufficientibus suam semper defendere credenciam, easque in propheciis et verbis doctorum radicitus fundavit, ut in responsionibus per eum datis poterit laicius denotari.

Item prefatus inquit magister Ieronimus: Et nedum hoc, sed testes negare, etc. Ad quod iudeus, nonnullas auctoritates per prefatum magistrum Ieronimum allegatas fuisse quas iudeus in eius codicibus, quos habet, nullatenus vidit; nonnullas vero quas in quibusdam libris erratis, viciatis, seu cancellatis, prefatus magister Ieronimus ad literam edocuit. De quibus quidem libris iudei quamplures, per modum quem ipsi iudei fatentur, monstraverunt; et iuxta sequentes lecciones patebat libros, quos prefatus magister Ieronimus ostendebat, fore viciatos, seu propter vicium scriptoris illo passu erratos; non autem quod dicti iudei aliquid negarent veritatis, ut per rationes superius habitas potest laicius patere.

Dicit adhuc prefatus magister Ieronimus: Et eiam peius quam hoc, etc. Ad quod iudeus, quod si iudei aliqua concesserunt, illa iuxta partis adverse intencionem concesserunt dicentes expresse: Posito tamen, et non concesso. Et quod in causa presenti intendunt affirmative, iam datum est per eos in scriptis, quibus de presenti adherent.

Item prefatus inquit magister Ieronimus: Adeo quod cum verba plura expendideritis, etc. Ad quod iudeus, responsionem ignorancie non recepisse, aut se non allegasse propter sucursum vel recursum, quoniam valde parvus recursus est. Sed illud dicebat, credens responsionem per dictum iudeum oblatam esse sufficientem, ut non indigeret ad replicationem per dictum magistrum Ieronimum subsequenter factam ulterius, respondere, presertim cum replicacio dicti magistri Ieronimi ultima esse debebat. Ideo dixit iudeus quod suo dicto adherebat, dicens se utra nichil scire, ut allegaciones evitaret infructuosas, attendens adhuc quod melius est tacere.

Preterea dictus magister Ieronimus inquit: Quod tenere formam similem non ex alio quam pura perfidia et duricia processisse, etc. Ad quod iudeus dicit se, iuxta eius intencionem, minime perfidiasse contra rationem, sed legem mosaycam sustinuisse ac defendisse, quam adhuc sustinet, ac pro presenti defendit. Quam quidem legem eius sibi dedere predecesores, velut qui presencialiter a Domino Deo Nostro et propheta excellentissimo concessibiliter et approbate, mediantibusque adhuc quam plurimis potentissimis miraculis, per omnes ad oculum visis eam recipere, illa quidem fuit cum omnibus cerimoniais a mille trecentis annis et ultra perfecte seu inconcusse observata. Sic enim prefato tempore oportuit observare, secundum adhuc oppinionem christianorum: hodie adhuc christianus crederet iudeum debere observare, eo modo quo iudeus observat, si Messias nondum venit.

Iudeus quidem illam sanctam legem fore immutabilem atque perpetuam, iuxta eius scire debile eam sustinet 'atque' [E. ac] defendit, et defendere intendit, propter cuius veritatem timore seu verecundia nullus se retrahere debet, quemadmodum inquit psalmista David:

«Loquar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non erubescam», alias, confundar (1).

Et hoc quidem perfidia nec rebellio seu duricia minime debet appellari.

Preterea dicit magister Ieronimus, recitando verba iudei: Quod ante omnia tractandum esset super operacionibus, etc., et quod 'principalioribus earum' [E. principales earum] erant, etc. Ad quod iudeus quod, cum actenus numquam fuerit super condicionibus et operacionibus Messie datus locus disputacioni, non curavit iudeus nisi dumtaxat

(1) Salm. 118,46.



illas tres condiciones tractare seu ponere. Nunc vero quod prefata disputatio ad predictas pervenit condiciones, inquit iudeus condiciones quas est Messias habiturus, et operationes seu actus, quos est acturus, et ea que in eius adventu compleri debent plura fore ac diversa. Et principaliora, que possunt per prophetias patere evidenter, que numquam amodo fuere, sunt ea que secuntur:

Prima scilicet, quod captivitatem israeliticam ad terram promissionis est reducturus, eamque actualiter probaturus, ut patet per diversas prophetias. Prima enim est Deuteronomii capitulo 30, ubi clare dicitur quod, post captivitatem, Dominus Deus Noster eos reduceret ex omnibus mundi nacionibus, ubi erant dispersi, ad terram que fuerat suorum predecessorum; et dicitur sic in textu:

«Cum ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio et maledictio, etc., introducet te in terram quam possederunt patres tui, etc.» (2).

Hoc quidem nequit intelligi cum redempti fuere de babilonica captivitate, quoniam tunc non habuerunt maius bonum quam sui predecessores, nec adhuc tantumdem.

Uterius textus quidem in dicto capitulo contenti nequeunt figurative, nec pro alia nacione intelligi quam populo Israel et ab eis directe descendentibus. Et hoc quidem propter tres rationes:

Primo, cum dicitur in textu: «Cum venerint super te» (3), etc., dicebat populo israelitico, ut clare patet per textum. Et adhuc ibidem dicitur: «in quos dispersit te Dominus Deus tuus» (4). Sequitur igitur quod non debet intelligi de conversione gentilium, nec de aliis extraneis nacionibus preter Israel.

Secundo vero, quoniam dicitur in prefato capitulo: «Et reversus fueris ad eum, et obedieris eius imperio», etc. (5). Et hoc etiam non potest intelligi de alio dici, nisi de illo qui de genere Israel recte descendit, cum alteri nulla lex reperitur tunc fuisse commissa.

Tercio, quoniam in eodem capitulo dicitur: «Adducet te Dominus Deus tuus», etc. Et hoc quidem dicitur propter eos qui de genere sunt israelitico, non autem propter eos, de quibus textus inquit 'quod' [E. quos] possederunt Patres tui (6).

Item confirmantur superius dicta per Ezechielem, capitulo 28 ubi inquit:

- 
- (2) Deut. 30, 1 y 5.
  - (3) Deut. 30,1.
  - (4) Deut. 30,3.
  - (5) Deut. 30,2.
  - (6) Deut. 30,5.

«Quando congregavero domum Israel de populis, in quibus dispersi sunt», etc. (7).

Hoc enim ex necessitate intelligi debet solum propter Israel, non autem propter aliam nationem hoc dictum esse, quia dicit: «In quibus dispersi sunt», etc. Et adhuc inquit: «in terra sua, quam dedi servo meo Iacob» (8). Et debet materialiter intelligi, quoniam dicitur: «Et edificabunt domus, plantabuntque vineas» (9).

Item propter textum ubi dicitur, cp. 37: «Et habitabunt in terra quam dedi servo meo Iacob, etc., in qua habitaverunt patres vestri; et sedebunt super eam ipsi et filii eorum, et filii filiorum suorum usque in sempiternum» (10).

Item cap. 39: «Scient quia ego Dominus eorum, eo quod transtulerim eos in nationibus, et congregaverim eos super terram suam, et non dereliquerim quemquam ex eis ibi» (11).

Ex quo apparet quod debent reduci ad terram quam solebant sui predecessores tenere seu possidere, nullo in captivitate iudeo remanente.

Item dicitur in eodem capitulo: «Et non abscondam ultra faciem meam ab eis» (12).

Non enim propter aliam gentem quam propter Israel valet intelligi, cum ad nullam nationem aliam faciem suam converterit.

Item Ieremias 16 cap. dicitur:

«Et non dicetur ultra: vivit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Egipti», etc. (13).

Et patet fieri debere materialiter, cum inquit: «in terram suam, quam dedi patribus eorum» (14).

Item: quoniam in reductione a captivitate debent fieri miracula, sicut factum est in exitu Israel de Egipto, ut patet Michee, 7° capitulo:

«Secundum diem egressionis sue de terra Egipti, ostendam ei mirabilia» (15).

Et per Isaïam, cap. 11, ubi dicitur:

«El levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Iuda colliget a quatuor plagis terre, et desolabit Dominus linguam maris Egipti, et levabit manum suam super flumine in fortitudine spiritus sui; et percuciet eum in septem rivis, ita ut transeant per

---

(7) Ez. 28,25.

(8) Ez. 28,25.

(9) Ez. 28,26.

(10) Ez. 37,25.

(11) Ez. 39,28.

(12) Ez. 39,29.

(13) Ier. 16,14.

(14) Ier. 16,15.

(15) Mich. 7,15.

eum calceati, et erit via residuo populo, qui relinquetur ab assiriis, sicut fuit Israel in die qua ascendit de terra Egipti» (16).

Item quod Ierusalem et templum debeant materialiter edificari et terra promissionis populari, et adhuc Sodoma, que ex quo destructa est citra, numquam amodo fuit populata. Patet Isaia 52, ubi sic inquit:

«Gaudete et laudate simul, deserta Ierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem» (17).

Item, cap. 49:

«Quia deserta tua, et solitudines tue, et terra ruine tue, nunc angusta erunt habitatoribus terre, et longe effugabuntur qui absorbebant te» (18).

Item in eodem capitulo:

«Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tue: angustus est michi locus, fac spacium michi, ut habitem» (19).

Hoc enim totum non nisi materialiter potest intelligi, quoniam si spiritualiter intelligeretur, «angustus est michi locus», etc., minime diceretur, cum gloria celestis ampla sit, et capax ad recipiendum in ea omnes qui digni reperti fuerint.

Item Ieremie, 30 cap.:

«Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Iacob, et tectis eius miserebor, et edificabitur civitas in excelso suo, et templum iuxta ordinem suum fundabitur» (20).

Ex quo dicitur «in excelso suo et iuxta ordinem suum», videtur velle dicere in altitudine illa et in eodem ordine in quibus esse solebat.

Si autem spiritualiter vel allegorice intelligeretur, in eadem altitudine et ordine non esset.

Item Ieremias cap. 31:

«Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et edificabitur civitas Domino, a turre Ananel usque ad portam anguli, et exhibit ultra normam mensure in conspectu eius, super collem Garrel et circuibit Gohata» (21). Et sequitur in fine: «Non evellatur nec destruetur ultra in perpetuum» (22).

Videtur, ex hoc quod narrat limites seu confrontaciones qui erant actualiter in Ierusalem, determinando de loco certo ad locum certum, hoc debere materialiter intelligi. Item quia inquit «non destruetur et

(16) Is. 11, 12. 15. 16.

(17) Is. 52,9.

(18) Is. 49,19.

(19) Is. 49,20.

(20) Ier. 30,18.

(21) Ier. 31,38. 39.

(22) Ier. 31,40.

non evellatur in perpetuum» videtur de edificacione secundi templi minime loqui.

Item Amos cap. 9:

«In die illa suscitabo Tabernaculum David, quod cecidit, et reedificabo aperturas murorum eius, et ea que corruerunt restaurabo; et reedificabo eum sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Idumee, et omnes nationes» (23). Et in fine: «Et convertam conversionem populi mei Israel, et edificabunt civitates desertas, et habitabunt; et plantabunt vineas, et bibent vinum earum, et facient ortos, et comedent fructus eorum. Et plantabo eos super humum suam, et non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis» (24). Et sequitur infra: «Et convertam captivitatem populi mei Israel, etc., et plantabo eos», etc. (25). Et quia tot narrat particularitates, videtur debere materialiter intelligi.

Item Ezechiel cap. 16:

«Et soror tua Sodoma, et filie eius, revertentur ad antiquitatem suam», etc. (26).

Item Ezechiel cap. 40, usque a finem, prophetizavit edificacionem templi et Ierusalem, et figuravit specificè cuncta que futura et habitura erant in templo, et qui habitaturi erant in eisdem.

Item recitat divisionem terre duodecim tribubus, et certos nominat terminos, certamque partem que est recipienda de terra, ad edificandum Ierusalem.

Item certa nominat sacrificia, que in diebus sabbatis et festivitibus, et capite mensium, fieri debebant. Que omnia nequeunt nisi materialiter intelligi. Presertim in cap. 44:

«Hec dicit Dominus Deus: Omnis alienigena, incircumcisis corde et incircumcisis carne, non ingredietur in sanctuarium meum» (27).

Et ex quo dicit «incircumcisis carne» postquam locutus est de incircumcisione cordis, videtur quod hii qui in templo servituri sunt tempore futuro debent circumcidi materialiter.

Item post hec dicitur in preallegato capitulo:

«Sacerdotes autem et levite, filii Sadoch, qui custodierunt ceremonias sanctuarii mei, cum errarent filii Israel a me, ipsi accedent ad me, ut ministrent michi; et stabunt in conspectu meo» (28).

---

(23) Am. 9, 11. 12.

(24) Am. 11, 14. 15.

(25) Am. 11, 14. 15.

(26) Ez. 16, 55.

(27) Ez. 44, 9.

(28) Ez. 44, 15.

Et subsequenter vestimenta quibus debent indui, aliasque ceremonias, que servari debent, recitat. Et ex quo recitantur tot particularitates specificæ, videtur non posse aliter quam materialiter intelligi.

Item, quoniam tempore Messie Israel custodiet legem cum suis omnibus ceremoniis, agendo sacrificia, utendoque sacerdotio forma et modo quibus tempore prophete Moysis servabatur, ut patet Deuteronomii cap. 30, ubi dicitur:

«Cum ergo venient super te omnes sermones isti, etc., benedictio sive maledictio, quam posui in conspectu tuo, et ductus penitundine cordis tui in universis gentibus in quibus dispersit te Dominus Deus tuus, et reversus fueris ad eum, et obedieris eius imperio, sicut ego hodie precipio tibi» (29).

Et dicit paulo post:

«Si ad cardines celi fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, et assumet atque introducet in terram quam possederunt patres tui, et obtinebis eam; et benedicens tibi, maioris numeri esse te faciet quam fuerunt patres tui» (30).

Item in eodem capitulo dicitur:

«Tu autem reverteris, et audies vocem Domini Dei tui, faciesque universa mandata sua que ego precipio hodie tibi» (31).

Item inquit:

«Si cum audieris vocem Domini Dei tui et custodieris precepta eius et ceremonias que in hac lege scripta sunt, reversus fueris ad eum, etc., si ad cardines celi dissipatus fueris, etc., et assumet atque introducet in terram quam possederunt patres tui», etc. (32).

Unde videtur quod post dictam captivitatem debemus reduci in terram datam patribus nostris, et legis mandata servare forma et modo quibus Deus dixit Moysi. Et quia tunc temporis fuit eis iniunctum ea materialiter observari, textus enim ostendit cum post reductionem a captivitate cuncta ceremonialia debent materialiter seu ad literam intelligi atque observari.

Item Ezechielis cap. 37:

«Et servus meus David rex super eos, et pastor erit unus omnibus eis; in iudiciis meis ambulabunt et testamenta mea servabunt, et facient ea» (33).

Item Ezechiel cap. 40 usque ad finem, particularitates recitat sacrificiorum et holocaustorum, qualiter comburenda erant atque consu-

(29) Deut. 30, 1.2.

(30) Deut. 30,4.5.

(31) Deut. 30, 8.

(32) Cf. Deut. 30,10.

(33) Ez. 37, 24.

menda, et ubi erant coquenda, et qui sacerdotes immolaturi erant. adeo quod textus inquit clare: quod debebant illud sacerdotibus dare et levitis, filiis Sadoch propinquis (34); adhuc dicit: Deus Deus tuus, ut ministret michi vitulum in sacrificium (35). Et loquitur ibidem quales uxores debeant recipere (36), et qualiter doctrinaturi erant populum Israel ad observandum ceremonialia et festivitates (37), Ezechiel, cap. 44 sic dicente:

«Et cum fuerit controversia, ipsi stabunt in iudicio, et in iudiciis meis iudicabunt, et legem meam et testamenta mea in omnibus festivitibus meis servabunt, et sabbata mea sanctificabunt» (38).

Item quod omnes gentes seu naciones Deum cognoscent et servient ei uniformiter, ut inquit Sophonias, cap. 3:

«Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno» (39).

Item in signum obediencie et reverencie venient ad templum annuatim in festo cabaniarum seu Tabernaculorum, ut inquit Zacharias cap. 14:

«Qui relictis fuerint de universis gentibus que venerunt contra Ierusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum» (40).

Et etiam promittit materialem punicionem illis qui non ascendent, sic inquit:

«Et erit: qui non ascendet de familiis terre Ierusalem, ut adorent regem, Dominum Exercituum, non erit super eos imber» (41).

Item quod Messias debet toti universo dominari, ut patet per textum Numerorum, cap. 24:

«Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel; et percuciet duces Moab, et vastabit omnes filios Seth» (42).

Et sumit hic filios Seth pro universo mundo, quoniam ex Noe descendit totus mundus, qui descendit ab eo. Hoc non potest esse nisi

---

(34) Ez. 43, 19.

(35) Cf. Ez. 44, 16.

(36) Ez. 44, 22.

(37) Ez. 44, 23.

(38) Ez. 44, 24.

(39) Soph. 3, 9.

(40) Zach. 14, 16.

(41) Zach. 14, 17.

(42) Num. 24, 17.

pro Messia, quem expectamus, quoniam usque nunc non fuit rex in Israel qui bellando pugnaret seu conquireret universum.

Item David, psalmo 75:

«Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum; et adorabunt omnes reges, omnes gentes servient ei» (43).

Quod conceditur a christiano loqui de Messia.

Item Zacharias, cap. 9:

«Et potestas eius a mari usque ad mare, a flumine usque ad fines terre» (44).

Item, quod tempore suo cessabunt guerre in universo, ut patet per Isaiam, cap. 2:

«Et conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces» (45).

Et Micheas cap. 4 simile huic inquit:

«Et iudicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum; et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones; non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultra bellingare. Et sedebit vir subtus vineam suam, et subtus ficum suam, et non erit qui detrahat, quia os Domini exercituum locutum est» (46).

Item Zacharias cap. 9:

«Et disperdam quadrigam ex Effraym et equum de Ierusalem; et dissipabitur arcus belli; et loquetur pacem gentibus» (47).

Et ista quidem minime videmus fuisse completa usque ad diem istum. Quoniam ita guerre diebus nostris et adhuc magna fortitudine geruntur, sicut actenus fuerunt geste.

Item cum tempore Messie erit guerra de Goh et Magog, ut patet per Ezechielem, cap. 38 et 39; in qua quidem auctoritate particularitates innumere recitantur ac mirande; et obtinebit victoriam populus Israel, quod usque hodiernum diem minime fuisse reperitur.

Item Zacharie cap. 14:

«Ecce dies Domini veniunt, et dividentur spolia tua in medio tui», etc. (48).

(43) Salm. 71, 8. 10.

(44) Zach. 9, 10.

(45) Is. 2, 4.

(46) Mich. 4, 3. 4.

(47) Zach. 9. 10.

(48) Zach. 14, 1.

Facit enim intencionem de quadam valde magna guerra que in Ierusalem est futura. Et videtur quod hec erit.

Hec quidem omnia usque in hodiernum diem minime videntur esse completa; sed omnia superius dicta, et nonnulla alia in prophetiis expressata, usque in presentem diem, ut dictum est, minime fuerunt completa. Hinc est quod iudeus asserit non venisse Messiam.

Preterea, ad id quod inquit prefatus magister Ieronimus: Nunc vero, postquam illa conclusio satis est valde probata, etc. Dicit iudeus: Quod secundum eius intencionem non est probata, ut in cedulis superius habitis satis est valde ostensum.

Item: ad id quod inquit prefatus magister Ieronimus, quatuor faciens rationes, per eas intendens probare prophetias de certis operationibus loquentes, quas Messias erat acturus, debere figurative intelligi, non autem materialiter. Ad primam que incipit: Si Deus aliquo tempore Messiam dare volebat, etc. Iudeus respondet: Quod ideo edificatio templi et Ierusalem, et reduccio populi in terram promissionis, Messie est attributa, quoniam civitas et templum sunt destructa, populo adhuc existente in captivitate. Verum, templo et Ierusalem edificatis, et Israel terram possidente, opus seu actus Messie esset tunc illos in suis statibus propriis perpetuo conservare, quemadmodum fuisset si Ezechias Messias stetisset. Prophete vero, quia pro isto tempore prophetizabant, et templum erat iam destructum, et populus in captivitate manebat, ideo fuerunt loquuti de templi edificacione et populi ad terram promissionis reduccione. Intencio quidem principalis prophetarum in promittendo Messiam erat in sustinendo populum Israel in terra promissionis, et sustinendo prospere ac perpetuo templum edificatum, precipue quoniam tempore Ezechie, magna pars populi israelitici erat iam in captivitate, et magna pars terre promissionis spoliata.

Ad secundam autem rationem, ubi inquit magister Ieronimus quoniam huiusmodi misterium quod prophete portaverunt, etc. Respondet iudeus: Quod, cum honore loquendo, factum Tabernaculi non fuit figurativum: ymo, permanendo in deserto, sic fieri debebat, ut esset mobile; sic factum est ut possent eum semper portare secum. Et unum [E. + et] idem, vel quasi, erat tabernaculum et templum, nisi quia unum erat mobile et portatile, aliud vero immobile et firmum.

Item, ad id quod inquit magister Ieronimus, quod lex mosayca non facit mencionem de Ierusalem, nec de templo, etc. Respondet iudeus, loquendo cum eius honore, non esse sic; ymo credit quod in Pentateuco facte fuerunt diverse menciones:



Primo quidem Exodi 15, ubi dicitur: «Introduces eos, et plantabis in monte hereditatis tue, firmissimo habitaculo quod operatus es, Domine, sanctuarium tuum quod firmaverunt manus tue» (49).

Ex quo videtur quod prophetizavit quod essent in terra promissionis [E. + congregati], cum ibi edificaretur templum, in quo esset gloria divina.

Item Exodi cap. 20:

«Altare de terra facietis michi, et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra, etc. Quod si altare lapideum feceritis michi, non edificabis illud de sectis lapidibus» (50).

Quod propter tabernaculum minime dicebatur, sed propter templum 'reedificatum' [E. reedificandum].

Item Deuteronomii, cap. 12:

«Transibitis Iordanem, et habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus per circuitum, et absque ullo timore habitetis in loco quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen eius in eo. Illuc omnia, que precipio, conferetis, holocausta, et hostias, ac decimas manuum vestrarum», etc. (51).

Item Deuteronomii cap. 16: «Tribus vicibus per annum apparbit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit», etc. (52).

Item: ad id quod inquit magister Ieronimus, quod non repperimus fieri aliquam mencionem nisi de Aaron, et Eleazar et Thamar, filiis eius. Respondet iudeus: Quod, cum eius honore loquendo, ideo reperimus, ut potest patere in quamplurimis locis, specialiter Exodi capitulo 28:

«Et utentur eis Aaron et filii eius, quando ingredientur tabernaculum testimonii», etc. (53).

Et sequitur: «Legitimum sempiternum erit ipsi et semini eius post eum per successiones.»

Item 30 capitulo: «Et erit eis legitimum sempiternum, ipsi et filiis eius per successiones» (54).

Item Levitici cap. 4 et 6 dicitur: «Et adducet sacerdos, et accipiet sacerdos, et incensabit sacerdos», nullam faciens mencionem de Aaron.

Item et capitulo 16 dicitur: «expiabit sacerdos, qui unctus fuerit,

---

(49) Ex. 15, 17.

(50) Ex. 20, 24. 25.

(51) Deut. 12, 10. 11.

(52) Deut. 16, 16.

(53) Ex. 28, 43.

(54) Ex. 30, 21.

et cuius manus iniciate sunt, ut sacerdocio fungatur pro patre suo» (55).

Et deinde dicitur: «Eritque hoc vobis legitimum sempiternum» (56).

Ex quo videtur dotari de sacerdocio Fines et suis successoribus.

Item ad id quod dictus magister Ieronimus inquit quod David et Salomon, et qui destruxerunt tabernaculum, etc., quod errassent, etc. Iudeus respondet quod David volendo confirmare se in textu in quo dicitur: «Et erit locus quem elegerit Dominus Deus vester ut inhabitet nomen eius» (57), et videns quod erat iam quietus ac pacificus, intendebat non esse rationabile quod domus Dei esset mobilis atque portabilis, ut dicitur in textu, Secundo Regum, capitulo 7: «Dixit rex ad Nathan prophetam: videsne quod ego habitem in domo cedrina, et archa Dei sit in medio pellium?» (58). Et ideo volens templum edificare, consuluit super hoc primo cum Nathan, qui ait ad eum: «Omne quod est in corde tuo, vade, fac, quoniam Dominus tecum est» (59).

Post hec Nathan propheta habuit revelacionem a Deo in qua mandavit ei ut annunciaret David quod non edificaret templum, sed quod ipse haberet filium qui edificaturus erat, ut in prefato capitulo continetur:

«Cumque completi fuerint dies tui, etc., excitabo semen tuum post te, etc., et ipse edificabit domum nomini meo», etc. (60).

Deinde David, volens adimplere mandatum Dei, mandavit Salomoni quod edificaret templum, ut pater Primo Paralipomenon, capitulo 28:

«Nunc ergo, quia Dominus elegit te ut edificares domum sanctuarii. confortare, et perfice» (61).

Item dicit ei figuram templi, quam David habuerat a Deo, ut patet in dicto capitulo, ubi inquit:

«Dedit autem Salomoni, filio suo, descripcionem porticus», etc. (62). Et dicitur in fine: «Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem omnia opera exemplaris» (63).

Et cepit Salomon templum edificare, ut divino mandato obediret, in monte Moria, ut patet Secundo Paralipomenon cap. 3:

(55) Lev. 16, 32.

(56) Lev. 16, 34.

(57) Deut. 12, 11.

(58) 2 Reg. 7, 2.

(59) 2 Reg. 7, 3.

(60) 2 Reg. 7, 12. 13.

(61) 1 Paral. 28, 10.

(62) 1 Paral. 28, 11.

(63) 1 Paral. 28, 19.

«Et cepit Salomon edificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David, patri eius, in loco quem preparaverat David in area de Arnan Iebusei» (64).

Qui quidem locus videtur fuisse designatus ad edificacionem templi, ut patet Primo Paralipomenon, cap. 22, quoniam David postquam consumaverat sacrificium in area Arnan Iebusei, ex mandato Dei nostri, Primo Paralipomenon cap. 21:

«Et angelus Domini precepit Gad [E. + ut diceret ad David] quod ascenderet, strueretque altare Domino, in area Ornan Iebusei» (65). Et David signavit locum illum in domo Dei, ut patet in textu, ubi dicitur:

«Et dixit David: hec est domus Dei, et hoc altare in holocaustum in Israel» (66).

Clare igitur patet quod in lege Mosayca facta est mencio de templo, et quod edificacio ipsius, descriptio et locus, habita sunt per propheticam revelacionem.

Ulterius, in tertia quidem racione, dictus magister Ieronimus, ad probandum quod prophecie per nos allegate figurative debent intelligi seu allegorice, diversas ac plures induxit allegaciones, sic inquit:

Dicit enim rabi Moyses in libro de Madda, etc.

Iudeus respondet quod in propheciis quas dixit iudeus, ad eius intencionem fulciendam, non sunt vocabula que dicit rabi Moyses que sumantur pro gloria.

Item respondet, quod illud quod inquit rabi Moyses, quod in Scriptura gloria eterna dicatur: Mons Dei, tabernaculum Dei, et [E + hiis] similia, hoc quidem propter nonnulla hiis similia vocabula in sancta Scriptura reperta, que de necessario sumuntur hoc modo, quemadmodum dicitur: «Quis ascendet in montem Domini.» Et: «hec est porta Domini», etc. «Domine quis habitabit in tabernaculo tuo», etc.

Verum illa que secundum loci circumstancias, ubi sunt scripta, possunt intelligi materialiter, sic quidem debent sumi et intelligi, cum illa sit communis eius significacio. Sed prophecie per nos allegate de necessario debent intelligi materialiter, per raciones per nos superius allegatas.

Ad illud vero quod inquit magister Ieronimus, quod dicunt nostri doctores quod Ierusalem inferior est in fronte Ierusalem superiori. Respondet iudeus intencionem eius esse, quod srvcium Dei et contemplacio in Ierusalem inferiori, ubi est locus ad illud assignatus, est

(64) 2 Paral. 3, 1.

(65) 1 Paral. 21, 18.

(66) 1 Paral. 22, 1.

disposicio et via ad gloriam eternam, quam quidem doctores nostri Ierusalem altam seu superiorem appellant; sed propheta qui non recipit Ierusalem absolute et simpliciter, ita ut non significet Ierusalem baxam seu interiorem materialem.

Item ad illud quod inquit prefatus magister Ieronimus, quod dicitur in Beresit Rabba:

«Dicit rabi Osua, filius Levi: «et venient ad Syon cum cantico.» Non est aliud ista Syon hic nominata quam Paradisus» (67).

Iudeus respondet quod hec Haggada, id est, narracio, in eius codicibus minime repperitur, et quomodolibet sit, videtur dictum fuisse per viam sermonis. Nullus quidem de hiis qui faciunt sensum literalern hoc modo declarat.

Item ad illud quod inquit prefatus magister Ieronimus quod edificium templi et civitatis, quam vidit Ezechiel, quod debet spiritaliter intelligi, taliter inquires: Quod si mensuras templi respicitis, repperietis quod esset maior uno regno, et Ierusalem maior quam medietas populatus. Respondet iudeus: Secundum quod patet per verba Ezechielis super edificio predicto, videtur quod civitas debebat esse quadrata, et habere in quolibet latere quatuor mille et quinque cannas, quarum queibet canna sex erat cubitorum et pugillo uno, ut patet in dicto opere et tractatu, cap. 40 (68). Et in cubitu erant sex pugilli, ut patet per doctores nostros, et erubin; et in quolibet pugillo quatuor erant digiti. Itaque secundum hoc debent esse in latere civitatis viginti et octo mille cubiti.

Ergo sequitur ex hoc quod civitas non sit maior tribus leucis cum dimidia, in longitudine; quod enim non est enorme seu impossibile, cum in universo sint adhuc hodie maiores civitates. Nam de Ninive refert Scriptura quod erat quantum quis potest infra triduum ambulare (69).

Item in eadem met prophecia, cap. 42, dicitur quod templum esse debebat quadratum, et in circuitu muratum, et latus muri quingentarum cannarum, que sunt quatuor mille centum cubiti, quod est minus media leuca (70). Et ideo non est enorme seu impossibile.

Item ad id quod prefatus magister Ieronimus allegat ex verbo de Rabbi Abba qui dicit: «Dabit de camme cursa berith hu, etc.» quod idem est quod «civitas que est coram Deo» (71).

Iudeus respondet quod, quamvis in verbo de Rabbi Abba, nec in

(67) *Ber. R.* de Darshán, par. 60, in Gen. 24,67 (ed. B. N., 65, lín. última. *Pugio*, 606).

(68) Cf. Ez. 40,5.

(69) Ion. 3,3.

(70) Cf. Ez. 42,15-20.

(71) Cf. *Pugio*, 386.

aliis similibus, nullam adhibeat fidem, ut pluries dixisse reperitur, eo quia loquuntur obscure, et sint verba sermonalia, et modice efficacie, tamen, cum toto hoc, inquit iudeus quod *sura* non est idem quod domus in civitate, ymo *sura* idem est quod regula seu linea, quod linea sunt plures iusti. Et applicuit eum rabi Abba, per viam predicationis, ad textum in quo dicitur «circiter decem et octo mille» (72); quod, postquam specificè computaverat in textu longitudinem cuiuslibet gradus, que erat quatuormille quingente canne, et sic ad quatuor partes civitatis (73), non oportebat eum replicare quod totum illud sumabat decem et octo mille. Sed, cum toto hoc, non intendit Rabi Abba quod non esset materiale totum edificium, ut supra diximus, quoniam de necessario debet intelligi materialiter. Sic enim declarat rabi Salomon in 'Çuça' [E. Çuca], ubi dicitur: «circiter decem et octo mille». Finis enim textus est, «Deus est ibi» (74). «Quamvis in Ierusalem futuro textus loquatur, verumtamen sermonamus eum pro isto: In loco, ubi est divinitas, circuunt eum decem et octo mille: et sunt iusti, qui sut in interiori parte quam angeli» (75).

Hucusque est de rabi Salomon.

Unde videtur quod intelligat quod edificatio per Ezechielem recitata, materialiter intelligatur, et eiam textus decem et octo mille.

Sic eiam declarat rabi Salomon in glosa super Ezechielem, ubi dicitur:

«Exitus civitatis: eius porticus ad quatuor partes mensura est, canna mensure, quatuor mille sexcente (76) canne: in circuitu, decem et octo mille circuitus civitatis: tantum sumat compotus suorum quartariorum.»

Usque huc de rabi Salomone.

Quod autem allegat magister Ieronimus quod in Ierusalem superiori loquuntur textus in fine Ezechielis: Loquendo cum eius honore, non dicitur loquuntur textus (77), sed loquitur textus, quasi dicat, ille textus solum. Et dicit sic, quod secundum intencionem de rabi Abba textus est figura seu significat superiorem Ierusalem.

Preterea in quarta racione, allegavit prefatus magister Ieronimus textum ubi dicitur:

«Tollam a vobis unum de civitate, duos vero de genere» (78).

Et dicit hoc fuisse dictum propter gentiles, qui conversi sunt ex diversis generibus ad credulitatem Messie.

(72) Ez. 48, 35.

(73) Ez. 48, 32.

(74) Ez. 48, 35.

(75) Cf. *Pugio*, 392. (Observaciones de Voisin.)

(76) Ez. 48, 31-35: da el número 1.500. E. y G. están errados).

(77) *Pugio*, 386, también usa el plural.

(78) Ier. 3, 14.

Iudeus respondet quod textus qui dicit «convertimini, filii revertentes» (79), refertur ad Israel, arguens eos de peccato idolatrie, quod tunc temporis committebant, ut patet ex textu precedenti, ubi dicitur:

«Cognosce delictum tuum, quod contra Deum perpetrasti» (80).

Et per consequens, quod in eodem textu sequitur refferri debet ad Israel, non autem ad gentiles nec ad alias naciones. Et intencio quidem est hec: quod Dominus Deus noster reducet captivitatem israeliticam ad terram promissionis, et quod nullum dimittet in captivitate esto quod sint dispersi per diversas mundi partes, adeo quod adhuc quod in una magna civitate aliarum nacionum seu gencium non reperriatur nisi unus iudeus, nec in uno genere, quod est magis quam gens una, non reperriantur nisi duo, illos reducet ad terram promissionis. Et sumitur hic genus pro gente, sicut inquit Zacharias, cap. 14, ubi vocat gentem Egipti, genus (81), et Ieremias, cap. 1, ubi dicit «regna generacionum aquilonis» (82).

Et textus Zacharie, ubi dicitur: «congregabuntur plures gentes ad Dominum» (83), verum est quod dicitur propter eos qui tempore Messie ad legem Moysi convertentur. Et illud quod dicunt quod non recipient peregrini tempore Messie, vult dicere quod propter prosperitatem in qua erit Israel, non recipient peregrinos, donec plene certificentur ab eisdem quod non faciunt propter prosperitatem temporalem.

Item textus ubi dicitur: «Dabo eis pastores iuxta cor meum» (84). Quasi dicat, secundum meam voluntatem, sicut dicitur Primo Regum: «Quesivit Dominus virum iuxta cor suum» (85). Et hoc inquit ad exceptandum aliquos pastores qui se non rexerant iuxta voluntatem Dei, ut inquit Ieremias cap. 23: «Ve pastoribus qui disperdunt et dilacerant gregem pascue mee» (86). Et quod dicit pastores in plurali, dicit per regem Messiam et eius succesores. Et dicit: «Pascebunt vos doctrina et sciencia» (87). Quia erunt copiosi, seu in sciencia prudentiaque abundantes, quemadmodum inquit Isaias 11:

«Pones super spiritum Dei, spiritum sciencie et intellectus» (88).

Item ad id quod inquit prefatus magister Ieronimus templum debuisse esse spirituale, quod probat ex textu ubi dicitur: «cum multipli-

(79) Ier. 3, 22.

(80) Ier. 3, 13.

(81) Zach. 14, 18.

(82) Ier. 1, 15.

(83) Zach. 2, 11.

(84) Ier. 3, 15.

(85) 1 Reg. 13, 14.

(86) Ier. 23, 1.

(87) Ier. 3, 15.

(88) Is. 11, 2.

caveritis», etc. (89). Iudeus respondet quod eius doctores declarant dupliciter:

Uno quidem modo: quod, postquam venerit Messias, ex diversis mundi partibus captivitas in terram promissionis convertetur, seu reducetur, ut inquit textus: «Et sumam vos unum de civitate», etc. (90). Et, non obstante quod hii qui reducentur erunt homines rustici et ignorantes, velut qui de captivitate evaserunt, ubi satis laborarunt supplentes vite necessariis, et ideo science vacare non poterant; verumtamen pastores quos habebunt, scilicet, rex Messias et eius succesores, erudient populum taliter in sciencia, cum dicit: «Et pascebunt vos doctrina et sciencia» (91): Quoniam filii ex eis descensuri plene informabuntur in sciencia, et in cognicione Dei, quia non indigebunt ipsam habere ex libris, ut inquit Ieremias cap. 31: «Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam» (92), Isaia dicente quod terra impieretur cognicione Dei, etc. (93). Et ideo inquit per modum admiracionis quod non indigerent archa Dei, que erat proprium instrumentum, ubi erant liber legis et tabule; quin ymo tota civitas Ierusalem disponderetur sic ad influenciam divine glorie, quod non indigebunt ibidem Archa; quoniam priscis temporibus solebat esse instrumentum ad influenciam prophecie, quemadmodum videmus quod Deus Archam facere precipiens inquit. Postquam dixit «non vocabitur nec visitabitur» (94), etc., inquit: «In illa hora vocabit Ierusalem sedem Dei» (95), cum loco Arche, que sedes divinitatis esse solebat, tunc temporis erit tota Ierusalem sedes divinitatis, et appropriabitur Deo sicut cathedra regi, quod propter ipsius reverenciam nemo in eius cathedra, sedere audebit; et ideo inquit Iohel, cap. 3: «Erit Ierusalem sanctitas, et alienigene non sedebunt in ea ultra» (96). Et eciam vocabitur cathedra, seu Dei sedes, quoniam ingens excellencia, que erit tunc temporis in Ierusalem, docebit Dei altitudinem eam elegisse ad habitandum, sicut sedes seu cathedra docet altitudinem regis. Et ideo inquit Ieremias cap. 17: «sedes glorie», etc. (97). Et eciam textus inquit quod omnes gentes congregabuntur in Ierusalem ad exhibendum Deo reverenciam, ut inquit Zacharias cap. 14, quod ascendent annuatim ad adorandum regem Deum Sabaoth (98). Et hoc est enim quod dixerat, quod ad eam congregaren-

(89) Ier. 3, 16.

(90) Ier. 3, 14.

(91) Ier. 3, 15.

(92) Ier. 31, 33.

(93) Is. 11, 9.

(94) Ier. 3, 16.

(95) Ier. 3, 17.

(96) Ioel. 3, 17.

(97) Ier. 17, 12.

(98) Zach. 14, 16.

tur omnes gentes, et quod non ambularent ultra post malas cogitationes cordium suorum (99). Hoc est dicere quod auferrent duriciam cordis sui. Iste enim sunt perverse cogitationes cordis, quod est causa inobediencie.

Secunda quidem glosa, quam faciunt doctores in hoc textu, est quod Israel erit tunc temporis in statu pacifico, et cessabunt tunc omnes guerre tocius universi, sicut inquit Isaias cap. 2: «Non elevabit gens contra gentem gladium», etc. (100). Et ideo non oportebit eos extrahere Archam, ut solitum erat priscis temporibus in bellis extrahi, quemadmodum fuit in bello philistinorum tempore Hely (101). Et sic declarat Ionathan.

Item ad id quod inquit dictus magister Ieronimus, textus qui dicit «templum Domini», etc. (102). Iudeus respondet quod intencio textus est quod pseudoprophete dicebant eis: In templo sunt tantum tres domos, scilicet, *ullam*, *debir* et *Hecal*: in omnibus est gloria divina, et ideo, quilibet eorum, per se potest Dei templum nuncupari, et, omnes simul, Dei templum; et sic nolite timere quod perdat, quoniam Deus noster minime destrueret eos. Et ideo Israel, fidem prestans hiis verbis seu rationibus, non curabant bene operari. Quibus Ieremias dicebat quod duracio ac eorum prosperitas et domus, in bene operari consistebat; et sicut Deus domum Sylo propter opera inicua destruxerat, sic templum destrueret. Et ideo, in fine huius prophecie, sequitur: «Ite ad me, ad locum quem primitus inhabitabat nomen meum Sylo, etc., faciam domum in qua fuit invocatum nomen meum supra eam, in qua vos confiditis, in loco quem dedi vobis et predecesoribus vestris, sicut feci Sylo», etc. (103).

Verumtamen Ionathan et nonnulli alii doctores hunc textum aliter declarant, cum iudeorum oppinione concordantes.

Item iquit adhuc predictus magister Ieronimus in conclusione suorum verborum: Ex quo videte, seu diligenter attendite, qualiter ex verbis huius prophecie ostenditur edificium templi et Ierusalem fore tempore Messie non materialiter, sed spiritualiter.

Iudeus respondet quod ideo totum oppositum ostendi videtur per allegatam propheciam, quoniam textus inquit infra:

«In diebus illis erit domus Iuda super domum Israel», etc. (104). Ex quo clare patet quod loquebatur in reducendo captivitatem ad terram

(99) Ier. 3, 17.

(100) Is. 2, 4.

(101) 1 Sam. 4, 3-5.

(102) Ier. 7, 4.

(103) Ier. 7, 12. 14.

(104) Ier. 3, 18.



Israel, quam sui predecessores heredarunt; et hoc non potest aliter quam materialiter intelligi.

Item dicit iudeus quod, si propheticæ quæ, de semetipsis, et secundum eorum circumstantias, possunt materialiter exponi, figurative exponantur, nichil erit in sacra Scriptura quod non sit figura, et etiam decem precepta, et creatio mundi, et historie sanctorum patrum.

Item quod si ille qui cogitur aliquam legem tenere, servaverit sensum literalem tantum quantum sibi possibile est, erit eius lex tota una, et servantes eam uniformiter regentur; sed si eam figuraliter exposuerint, sensum omittentes literalem, erit una lex diversificata in tot leges quot fieri possunt figure in illa scriptura, uno siquidem unam faciente figuram, alio vero aliam, quolibet affirmante et eius figuralem expresionem defendente veriore esse et meliorem.

Item quoniam ipsa eadem vocabula, quæ dicta sunt in sacra Scriptura in hiis in quibus omnes sunt concordēs quod debeant materialiter intelligi, dicuntur in hiis, in quibus est discordia. Et postquam nulla compelluntur necessitate ut debeant mutari, rationabile est ipsa, sicut cetera, materialiter intelligi. Et sicut sanctuarium, claustrum, Archa, altare, holocaustum, candelabrum, Israel, David, sacerdos, rex, et hiis similia vocabula, intelliguntur in primo et secundo templo materialiter, et de facto, sic debent intelligi quæ de templo tercio dicuntur.

Item quoniam sicut vocabula super israelitica destructione loquentia materialiter intelliguntur, et sic fuere de facto, sic vocabula contraria super reparacione israelitica loquentia, est rationabile ea similiter materialiter intelligi. Verbigracia, in malediccionibus inquit: «Mittam super vos gladium, spargam vos in gentibus, dissipabo sanctuaria vestra», intelliguntur materialiter, quoniam sic fuit experimentaliter et actualiter. Ad idem, cum dicitur: «non levabit gens contram gentem gladium, congregabit dispersos Israel, et edificabitur civitas, et edificabunt domos, et plantabunt vineas», quæ sunt contraria, debent materialiter intelligi, et de facto, sicut eorum opposita intelligebantur. Et quemadmodum sunt propheticæ super aliquarum gentium destructione et reparacione earumdum fuit tam destructio quam reparacio omnino materialis, ad idem, sicut in Israel fuit destructio materialis, reparacio debet esse materialis, etc.

Iudeus, ad duodecim interrogaciones per dictum magistrum Ieronimum iudeo factas, quarum prima est: Quis est locus assignatus, ubi Messias erat nasciturus, respondet iudeus quod locum nativitati Messie assignatum penitus ignorat.

Secundâ autem interrogacio: An miraculose, aut sicut quevis alia persona naturaliter esset nasciturus.

Respondet iudeus: Quod ignorat ipsum esse miraculose nasciturum.

Tercia autem interrogacio: An solum homo, aut simul Deus et homo debuerit esse.

Respondet iudeus: Quod erit homo bone vite, ac propheta; et credit quod in eo nulla erit divina natura.

Quarta vero interrogacio: An eius adventus debuerit esse ad animas salvandas ad vitam spiritualem, aut solum corpora ad vitam corporalem.

Respondet iudeus se credere quod de directo veniet ad liberandum populum Israel a corporali captivitate, ex quo sequetur quod poterint liberius ac melius legem Moysis servare, que promittit vitam eternam.

Quinta vero: An peccatum patris Adde fuerit remissum ante Messie adventum, an non.

Respondet iudeus: Peccatum Ade minime fuisse actenus remissum, postquam penas patimur Ade et Eve per illud peccatum iniunctas, ut sunt Genesis, 3 cap. expresse.

Ad id quod dicitur: remittetur ne ante Messie adventum? dicit iudeus se ignorare.

Sexta: An Messias erat passurus mortem ad dictum peccatum purgandum, an non.

Iudeus respondet quod credit quod non.

Septima: An aliam nacionem quan illos qui de genere Israel ducunt originem salvare debuerit.

Respondet iudeus quod credit populum israeliticum, qui est in captivitate, fore principaliter salvandum; et qui ad legem mosaycam, tempore Messie, convertentur, ad idem salvabuntur.

Octava: An legem seu doctrinam novam erat daturus, vel non.

Ad quod iudeus credit quod legem novam minime esset daturus, cum lex mosayca perfecta sit, atque perpetua; sed erudiet, ac in ea nos confirmabit, sicut fecerunt 'ante' [E. actenus] prophete, 'longe et' [E. et longe] solemnus.

Nona: An post eius adventum, sacrificia, sicut solitum erat prius fieri, erant continuanda, an non.

Ad quod iudeus respondet se credere quod, post adventum Messie, sacrificia, ut prius, erunt continuanda.

Decima: An veteris legis cerimonialia, ut puta, cibaria, et sacrificia Levi et generis Aaron, post eius adventum erant continuanda, an non.

Ad quod iudeus: se credere post adventum Messie fore continuanda.

Undecima: Quæ est causa tam longe diurneque captivitatis in qua nunc positi sumus.

Respondet iudeus quod credit fore peccata.

Duodecima: An illam eandem terram, quam, primo, cum ab egipciaca captivitate, et secundo, cum a babilonica fuerunt iudei liberati, possederunt, illam eandem cum noster Messias venerit sumus iterum possessuri.

Ad quod iudeus credit quod eandem terram possidebunt, et amplio-rem.



## SESION XXV

DIE AUTEM VENERIS, decimanona mensis maii, dictus magister Ieronimus, responsum iudeorum, tam longum tamque prolixum factum in hiis que a propria deviant materia, et tam succinctum tamque breve super factis interrogacionibus ipsis iudeis super presenti materia, ubi tota vertitur informacionis medulla, diligenter attendens, dicto magistro Ieronimo necessarium est replicare super qualibet racione, taliter ut, iuxta possibile, prefati iudei a suis revocarentur erroribus. Ad quodlibet per iudeos dictum, replicavit sub hiis verbis:

Prefatam vestram responsionem, in genere, quatuor particulas video continere: Prima enim est, ab irrationabilibus responsionibus per vos in dietis preteritis superius factis, tam super vestris cautellosis responsionibus, tam super textuum manifestorum negacione, quam eciam super revocacione seu vacillacione eorum que primo per vos fuerunt concessa in publicum, absque verecundia presumitis vos excusare, presumentes alios inducere ad credendum quod hoc non ex vestra duricia cordis seus perfidia provenit.

Secunda quidem particula, est certas condiciones Messie attribueret et in textuum allegacione, et super eisdem tantum vos protrahere, putantes omnes prefatos textus esse materialiter intelligendos.

Tercia autem particula est credere quatuor racionibus per me factis contradicere, per quas quidem probavi dictas prophecias super Messia loquentes spiritualiter esse intelligendas.

Quarta vero particula est duodecim quesitis seu interrogacionibus, super actibus Messie vobis factis, respondere.

In prima enim particula dixistis quod semper defenderatis sectam seu credenciam vestram cum sufficientissimis racionibus, etc.

Cupio scire a vobis ubinam sunt hee raciones. Nam diligenter

perscrutate omnes rationes per vos facte, omni penitus carent fundamento, nec merito rationes debent nuncupari, cum vobis iam superius allegaverim prophecias tam Iacob patriarche, quam eciam Danielis prophete; per quas quidem, sive per textum, sive per glosas super eisdem factas per vos met rabinos, est directe conclusum iam venisse Messiam. Super quibus glosas vestras capitosas presumptive fabricastis. Que quidem glose in nullo fuerunt reperte volumine aut scriptura, adeo quod quilibet rabinorum vestrorum cum vestra nova invencione in publicum cum quadam presumptione se offerebat; me tamen, textus, auctoritates, seu allegaciones claras allegante, ut debebam; vobis tamen per oppositum intenciones ymaginarias, que nullicubi reperiebantur scripte, allegantibus seu fabricantibus. Numquidne maiores quam iste cavillaciones? Amplius quidem probavi vobis prefatam conclusionem per quam plures vestras talmudicas auctoritates doctorum vestrorum antiquorum et auctenticorum, quibus nullo modo respondere curastis, sed ad subterfugiendum duplici via peregre ambulastis:

Una siquidem dicentes vos eas minime intelligere, nec eis aliquam fidem adhibere.

Secunda: Esto quod essent veritate nitentes, non ex eo ad literam debebant intelligi, sed figurative vel allegorice.

Attendant igitur universi sapientes atque ratione utentes, an possint censerī in toto orbe terrarum magis cautelose cavilaciones:

Primo, namque, prefati iudei [E. + negant] dicta suorum maiorum rabinorum talmudistarum, dicentes se eis nullam fidem adhibere; qualiter igitur fideles christiani atque catholici dictum Talmut sustinebunt ac ipsum a dictis iudeis sustineri eciam tollerabunt, cum ipsimet iudei dicant quod nullam fidem ei prestant? Hoc tamen faciunt cum auctoritates eorum voluntati contradicunt, aut ad eorum votum non succedunt.

Uterius, quenam ratio sufficit dicere quod verba Dei, que proprie sunt spiritualia, speculum atque figura omnium que sunt in universo, non sint receptiva sensus alterius quam literalis, verba quidem doctorum, qui nichil aliud faciebant quam sanctam glosare Scripturam, vel aliqua prenunciare futura, quod talia sint que allegorica, 'vel' [E. seu] sensus significant intrinsecos? Certe omnibus quantumcumque parum utentibus ratione, hec vie videbuntur cautelose.

Dixistis insuper: Et nonnullas quas prefatus magister Ieronimus edocuit auctoritates, in aliquibus libris seu codicibus fore viciatas, etc. Hoc quidem videtur fuisse dictum propter hunc finem qui es in illo dicto: «legitur in studio Elie» de Tana deve Elyahu, ubi dicitur «et propter peccata nostra», etc., quem vos iudei michi negastis, dicentes non esse sic, quemadmodum vobis allegabam. Ego enim vobis ostendi

realiter ad oculum patentes codices ebraycos quos a vobis, nomine commodati, recepi, michi per vos traditos, ubi manifeste ac publice veritas patuit ut dicebam; quos adhuc denuo exhibeo et in medium deduco publice atque demostro, quoniam in hoc michi placuit, ut hic publice videantur, absque rasura, correccione, seu quavis emendacione, sed ut ad literam veritas quam sustineo clare ac clarius elucescat, et vestra iudaica perfidia et 'cautelose' [E. cautellosa] publice manifestetur.

Adhuc eciam altercamus super illo vocabulo in propheta Iacob scripto, scilicet, «non auferetur sceptrum de Iuda», etc. (1), videlicet, vocabulum «had»; quod quidem, secundum falsam glosam quam vos met, capite proprio, fabricastis, significaret «eternum», et non «donec». Et tam per rabinorum lecturam in sinagoga, et per explanationem seu romancionem rabinorum in scolis, quam per dicti vocabuli puntuacionem seu puntuaturam in omnibus codicibus, vobis clare ostendi non posse alium sensum quam «donec» habere. Quibus per vos nullum super hoc datum fuit responsum, nec repertum. Propter quod necessario sequebatur intencionem glose per vos facte fore nullam, cassam atque vanam.

Præterea in hoc sacro consistorio publicum est et notorium maiores vestrorum, ex viribus rationum et auctoritatum contra eos per me allegatarum, fuisse convictos; adeo quod publice, ultra duobus mille personis ibidem interessentibus, confiteri habuerunt, nulla adiecta condicione, tempore destructionis templi Messiam fuisse natum, atque monstratum. Quod constat per scripturam fidedignorum atque notabilium hominum ibidem circumstancium, die sabbato, undecima februarii. Super qua quidem confessione interrogati quod, postquam tunc temporis natus fuerat, ubi a die illo citra steterat, nonnullis quidem de vestris dicentibus ipsum esse Rome, et in Paradiso, in tantum quod sanctissimus Dominus noster Papa tunc dixit rabinos predictos verum dicere, atque dixisse, Messiam Rome, seu in Paradiso esse. Rome quidem per auctoritatem. In Paradiso per essenciam. Adhuc eciam rabi Mathatia tunc dicente fore necessarium tempore illo Messiam natum fuisse, quoniam tunc temporis fuit maior angustia in et super Israel. Nam cum infirmus periculo subiaceret, tunc opus est medico.

Post hec vero, diabolica ducti temptacione in errorem ac cecitatem cordium, iudei pertinaces, quidquid superius debite ac congrue confessi fuistis, impudenter negastis. Propter quam vacillationem, seu contradicionem pertinaciter factam, prefatus Dominus Noster Papa non immerito duxit ordinandum quod, quecumque in futuro allegarentur, in scriptis redigerentur, atque ab una parte alteri vicisim offerrentur, ut oblata negari non possent.

(1) Gen. 49, 10.

Nunc vero, hoc non obstante, tamquam canes ad vomitum redeuntes (2), in perfidia vestra iterum maliciose conamini adhuc pertinaciter perseverare in eodem, primam negantes veritatem; et, quod deterius est, in responsionibus quibus propter meas repplicationes, cum fuissetis conclusi atque devicti usque adeo quod dicere finaliter habuistis in fine cuiuslibet, vos ultra quid dicere seu respondere deberetis, penitus ignorare, adhuc nunc perfidiare curatis dicentes quod illud quod tunc dicebatis, profitebamini intelligentes quod in responsionibus preteritis esset sufficiencia, specialiter cum mea replicacio debebat ultima esse. Hoc autem dicitis contra veritatem, cum nulla fuerit dieta quin in fine eiusdem sanctissimus Dominus Noster Papa, suis verbis dulcissimis et graciosis, semper diceret, si ad ea per me dicta respondere seu aliqua dicere velletis, illud fatere curaretis, cum eius Sanctitas clementissima terminum ad quodcumque per vos in vestra met vestrorumque defensione omni timore postposito, exprimendum, dicendum seu respondendum velletis, sufficientem vobis benigniter assignaret seu prefiniret.

Ex quibus clare patet, et nulla potest tergiversacione celari ac negari, totum hoc ex propria pertinacia perfidiosa ac rebellione vestra resultare, que sunt in vobis per consuetudinem ab antiquo, a quo quemadmodum prophetizando de populo christiano psalmista inquit psalmo 77:

«Ut cognoscat generacio altera, filii qui nascentur et exurgent, et narrabunt filiis suis, et ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata eius exquirant» (3).

Hoc enim inquit christianos prophetizando, qualiter Dei legem eiusque mandata semper bene servarent. Dixit insuper quod non essent sicut patres eorum, et sicut antiqui iudei rebellantes dicens:

«Ne fiant sicut patres eorum, generacio prava et exasperans; generacio que non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus eius» (4). Et amplius: «quociens exacerbaverunt eum in deserto» (5). Et iterum: «Et temptaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum, et mandata eius non custodierunt» (6).

Preterea Moyses vocavit eis sepissime populum dure cervis; et in fine dierum suorum ait populo: «Semper fuistis rebelles a die qua nosse vos incepti» (7).

(2) 2.<sup>a</sup> Petri, 2, 22.

(3) Salm. 77, 6. 7.

(4) Salm. 77, 8.

(5) Salm. 77, 40.

(6) Salm. 77, 56.

(7) Deut. 31, 27.



Peccare quidem in hoc, est causa deviandi hominem a cognitione veritatis et Dei, et reddit hominem in omni genere malicie habituatam, ut inquit Salomon Parabolis, 5:

«Nec audivi vocem docentium me, et magistris meis non inclinavi aurem meam. Pene fui in omni malo, in medio ecclesie et «sina-goge» (8).

Et nedum hoc, verum etiam hoc malum seu vicium comparatur peccato ydolatrie, ut habetur Primo Regum, capitulo 15; cum Samuel propheta reprehenderet regem Saulem, quia infringerat Dei preceptum in conflictu contra Amalech, et ipse redibat ad repugnandum et pertinaciter sustinendum, et dicebat quod in eo quod fecerat Dei voluntatem observaverat, Samuel dedit intelligi qualiter Dei madato repugnare quasi peccatum erat ariolandi, et modus auguria inspiciendi, quod est vicium ydolatrie.

Verum illius peccati pernicioso perseveracio clarum est fore peccatum ydolatrie. Et hoc est quod inquit textus: «Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus ydolatrie, nolle acquiescere» (9). Certum quidem est non esse maiorem ydolatriam quam deliberate sepiissime contra Dei voluntatem venire, et quod non venerit contra eandem tenere.

Ulterius excusare cupientes perfidiam prefatam in hec verba prorumpistis:

Iudeus respondet quod ipse, secundum eius intencionem, rationi pertinaciter minime obviavit, sed sustinuit atque defendit, prout adhuc legem mosaycam sustinet et defendit, etc.

O Virgo mater, nonne hec verba non modica admiratione sunt digna? Hiis etenim verbis iudeorum videtur christianum legi mosayce obviare et repugnare, et contra eam venire, et iudeum illam defendere. Hoc quidem falsissimum est: quoniam christianus servat legem mosaycam et mandata eius, per regem Messiam plenissime intellecta ac declarata, iudeo quidem, iuxta declaraciones falsissimas de Rabina et Rabasse, compilatoribus dicti Talmut, in quo sunt infinita contra legem mosaycam veniencia, dictum Talmut observante. Quod quidem Talmut ac observancie eiusdem, auxilio cuiusdam demonis, Benthamalionis nomine, fuerunt eis confirmata. De quo suis tempore et loco patebit, Deo dante. Dicitur enim in quodam libro vocato Mehila, in capitulo quod incipit 'Sanctitatis altaris' [E. sanctitates altaris]:

«Semel sentenciavit regnum nequam, id est, Roma, quod diem sabbati iudei minime celebrarent, filiosque eorum non circumciderent, et quod mulieribus menstruatibus miscerentur, rem cum eis habentes car-

(8) Prov. 5, 13.

(9) 1 Reg. 15, 23.

nalem. Tunc autem rabi Ruben, tonsa sibi barba ad modum romanorum, ivit atque sedit inter dictorum romanorum maiores, dicensque eis: Quicumque habens aliquem inimicum, debet facere ut depauperetur, vel quod ditetur? —Cui romani: Quod depauperetur. —Quibus ille inquit: Ergo, si sic est, non consensiat<sup>s</sup> iudeos in die sabbati negociari, seu operari, ut depauperentur. Qui responderunt: Bene inquit. —Et revocarunt sententiam. Amplius ait: Quicumque inimicum habens, debet facere ut debilitetur, aut ut pinguis fiat? —Cui romani: Ut debilitetur. —Quibus ille: Si sic igitur est, circumcidant filios eorum ad diem octavam, ut debilitentur. —Et sic revocarunt sententiam.

Ad quos tercio inquit: Quicumque habens inimicum, debet facere ut multiplicentur, aut quod diminuatur? —Cui illi: Ut diminuatur. —Quibus ille: Ergo, si sic, non misceantur mulieribus menstruatis. —Dicentes: bene dicit. Et 'revocant' [E. revocarunt] sententiam.

Deinde, cognito romanis quod iudeus esset, denuo sententias confirmarunt.

Dixerunt iudei: Quis ibit ad hoc revocandum? Vadat rabi Symeon filius Iohay, qui consuevit mirabilia facere. Post eum autem vadat rabi Alazar, filius rabi Ioseph. —Quibus euntibus in itinere Benthamalion dyabolus obviam exiit. Quibus inquit: —Placetne vobis mea societas? —Tunc, flente rabi Symeone et dicente: Ancille patris mei ter apparuit angelus, michi autem adhuc non uno semel, —respondit rabi Alazar: Veniat miraculum undecumque venerit. —Anticipavit se Benthamalion, et intravit corpus filie imperatoris, eam obsidens. Cum ergo iudei prefati illud applicarent dixerunt: Benthamalion, exi inde; Benthamalion, exi inde. Et tunc dimisit eam dyabolus et secessit.

Subsequenter dixit imperator: Quodcumque vobis gratum fuerit, infallibiliter petite. —Tunc enim fecit eos intrare ad archivium eius, et inquisierunt illam sententiam, acceptamque dilacerarunt» (10).

Ulterius dicitis fuisse principaliter a Deo datam, mediante propheta excellentissimo, et pluribus signis atque portentis, etc.

Dico quod fateor legem mosaycam esse legem divinam, quam credimus, asserimus, et catholice observamus; et mediatorem, qui est Moyses, hominem beatum atque prophetam sanctum et verum fuisse confitemur, et miracula, a Deo per eum facta, fuisse verissima. Omnia autem ista sancta mater confitetur Ecclesia, et asserit in sempiternum, in nullo ei obvians, quemadmodum vestri antique fecerunt, contra Deum in deserto rebellantes, et iuxta mare Rubrum pluries Moysi et factis per eum miraculis abrenunciantes et abnegantes, contra ea, que ad oculum videbant, murmurantes; et hoc quoniam in perfidie vicio, quod adhuc hodie per assuefactionem regnat, fuerunt actenus habituati.

(10) Cf. *Pugio*, 456-457.

Preterea dixistis: Et illam, cum omnibus ceremoniis, mille quadringentis annis fuisse observatam.

Videmini hoc dixisse propter tempus ex quo lex fuit data usque ad finem secundi templi. Dico quod in hoc dicitis contra veritatem, cum numquam illo tempore fuerit lex mosayca per iudeos perfecte observata. Quoniam nonnulla tempora fluxerunt quibus totaliter fuit ommissa ac derelicta, et erant omnes ydolatre, quemadmodum pro maiori parte Iudicum, et omnium regum Israel, et magne regionis regum Iude. Adeo quod in quarto Regum reperitur quod tempore regis Iosie, Ezechias sacerdos invenit librum legis in quadam camera templi, quem adduxit ante regem, et eum legerunt coram eo, et habuerunt eum ut rem novam ac extraneam quod in eo scriptum erat, ut refert longius istoria (11).

Simile huic accidit per manum Esdre in regressum captivitatis babilonice, et legerunt legem in platea Ierusalem, et cepit populus flere, attendentes nichil quod in lege prefata erat se observare (12). In tantum quod reffert quod, tempore in Iudea illo, omnia negocia, ut puta arearum, vinearum, mercimonialium, die sabbati, quemadmodum quolibet alio die, operabantur; et eciam Israelitici ac sacerdotes cum gentilibus matrimonialiter copulabantur (13).

Unde patet manifeste quod, temporibus illis, tota lex non usquam observata fuerit.

Et eo modo quod antecessores vestri antiqua miracula negaverunt, sic quidem successores eorum per Messiam facta miracula negaverunt, quamvis ipsa viderentur notissima apud eosdem, tam oculariter, quam per prophetarum prehabitam nunciacionem.

Idecirco descendit in populum iudeorum malediccio, et ira Dei, ut fuit prophetatum per Moysen. Malediccioni et vituperio plusquam nacio aliqua mundi non inmerito estis subiecti, per contrarium de hiis que facta sunt Ecclesie militanti, quoniam factum est validissimum fundamentum, ex lege sancta Moysis et miraculorum illius, et deinceps lex Messie devotissime est recepta, eam devotissime et medulitus observando. Et ideo per universum mundum prosperatur, et potestate, honore, et sciencia super omnes mundi naciones precellit et dotatur.

---

(11) 4 Reg. 22, 3-20.

(12) Cf. 2 Esdr. 8.

(13) Cf. 1 Esdr. 10; 2 Esdr. 13, 23-27.



## SESION XXVI

DIE LUNE, vigesima secunda dicti mensis maii, prefatus magister Ieronimus, ad secundam particulam, ubi dicebatur quod erant certe condiciones attribuende Messie, etc., respondit sub hiis verbis:

Vos autem, iudei, in prehabitis dietis, tres principales condiciones Messie attribuere curastis; nunc vero, iuxta mores vestros, mutati estis, ab illa oppinione recedentes, plures ac diversas Messie condiciones esse dicentes, cum sint sex principales. Ex quo patet vos ambulare manifeste vacillantes et variantes in condicionibus Messie.

Verum quidem dicitis, plures esse condiciones ipsius, cum principaliores viginti quatuor esse repperior, ut eas lacius supra nominavimus. Quarum prima est illa quam sufficientissime tractavimus, scilicet: Quod adventus eius debebat esse in fine templi secundi.

Residue vero, scilicet, viginti tres alie condiciones, locis suis, per textus prophetarum verissime intellectos ut debent intelligi, plane ac evidenter, Deo favente, patebunt. In quibus viginti quatuor nulla condicio est illarum sex, quas dicitis presumendas fore. Hoc enim accidit vobis iudeis propter prophecias, quia non intelligitis ut debent intelligi.

In prefatis vero sex condicionibus, per vos positis, textus quam plures allegare curastis, ex quibus quidam faciunt ad propositum, quidam vero non. Eorum autem qui ad propositum faciunt, quidam in reedificatione secundi templi fuerunt completi, quidam vero tempore Messie erant complendi. Qui autem in reedificatione templi secundi erant complendi, sunt illi quos allegastis de Moyse in Deuteronomio, quos creditis de tempore Messie fore locuturos, et, si bene ac diligenter attendis, omnes illas prophecias fore adimpleturas tempore secundi templi sine fallo repperietis. Et, quod vobis dedecus est, et valde reprehensibile, arguitis dicentes quod de tempore illo minime valent intelligi,

cum tempore illo non maius, ymo, nec adhuc tantum bonum [E. + populus] obtinuit, quam sui predecesores, et ibi valde amplius promisit Moyses cum dicit: «Et benedicens tibi maioris numeri te esse faciet, quam fuerunt patres tui» (1).

Dico hoc argumentum nichil valere, quoniam affirmatum est quod Moyses sufficientissime dixit, quod multo excellencius fuit bonum secundi templi quam primi. Et hoc patet per Aggeum prophetam, hora qua templum reedificabatur, cum gentem, que honorem primi templi viderat, flentem circumspiceret amare, videns qualiter debiliter ac pauperrime reedificari incipiebat, inquit ipse sic, secundo capitulo:

«Adhuc unum modicum est, et ego movebo celum et terram, et mare, et aridam; et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloria. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Diminus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissime plus quam prime, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum» (2).

Non est enim dubium hanc fuisse adimpletam prophetiam, ac etiam in adventu Messie confirmatam, in fine illius templi, quoniam illa fuit vera gloria illius domus ultime.

Dixit enim «ultime», ad denotandum quod post illud templum nulla esset alia domus quam ista, que vocabatur ultima. Et si auctoritatem vultis ad hoc, repperietis quidem in Talmud in libro de 'Çuca' [E. Çuca] in capitulo quod incipit *Hec alil*:

«Dicit rabi Esra: quod dixit Ioel, cap. 2: 'Et aquilonem elongabo a vobis' (3), hoc fuit dictum per diabolum, qui occultatur in corde hominis: 'Impellam eum ad terram siccam, et desertam, et desolatam' (4), ad locum ubi nemo valeat repperiri cum quo possit certare; 'facies eius ad mare orientale' (5), qui posuit aspectum eius versus sanctuarium primum, et destruxit eum, et occidit sapientes qui erant in eo; 'et finis eius ad mare ultimum' (6), qui posuit aspectum eius in templo secundo et destruxit eum, et occidit sapientes qui erant in eo'» (7).

Ecce qualiter clare declarat per mare ultimum, templum secundum. Ex quo sequitur manifeste ibi fuisse perfecta omnia bona denunciata in capitulo illo per Moysen, consonantem cum eo quod Aggeus

(1) Deut. 30, 5.

(2) Ag. 2, 7-10. Cf. *Pugio*, 380-381.

(3) Ioel, 2, 20.

(4) Ioel, 2, 20.

(5) Ioel, 2, 20.

(6) Ioel, 2, 20.

(7) Cf. *Pugio*, 580-581; 384.

propheta predixerat, quia illa reduccione habuit plura et maiora bona quam primo.

Item prophecie Ezechielis 28 capitulum eadem reduccione, absque aliquo inconvenienti, clare intelligitur.

In secunda vero condicione dicitis quod in reduccione captivitatis erant fienda miracula, sicut facta sunt in exitu Israel de Egipto.

Dico quod verum dicitis, quod in adventu Domini Nostri Iesuchristi infinita miracula facta fuerunt, ita magna ac maiora quam in exitu de Egipto; que prophetavit Isaias in diversis locis sui libri; que vos negatis, quemadmodum predecessores vestri miracula Egipti negaverunt, quamvis ea oculanter videbant.

Verumtamen, et licet ex duricia cordis vestri ea inficiamini pertinaciter, miracula tamen in se non minus valent. Quoniam esto quod aliud miraculum ad corroboracionem orthodoxe fidei non fuisset, nisi quod imperatores et natu maiores 'dominantes' [E. predominantes], sub cuius potestate totus regitur universus, sciencia non modica prepolentes, ex eorum pura liberalitate, predicacionibus quorundam pauperum iudeorum [E. + piscatorum], qui fuerunt vacui sciencia acquisita, sponte su submittebant, et postquam morti crudelissime traditi fuerunt magnates, dominiis, possessionibus, potestatibus, divitiis suis, et scienciis excellentibus philosophalibus, pie renunciabant, credulitati ac fidei istorum se humiliter submittent. Hoc quidem sufficeret. Maius quidem fuit hoc miraculum quam omnia per Moysem, tempore illo, facta.

Hoc enim fuit quod Isaias propheta dixit cap. 49:

«Et erunt reges nutricii tui, et regine nutrices tue» (8).

Item cap. 52, loquens proprie de Messia, inquit:

«Super ipsum continebunt reges os suum, quia quibus non est narracio de eo videbunt, et qui non audierint, contemplati sunt» (9).

Item cap. 54 dixit:

«Omne vas quod factum est contra te, non dirigitur; et omnem linguam resistentem tibi, iudicabis» (10).

Item 60 cap. ait:

«Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui» (11).

Omnes quidem prefate prophecie, et quamplures alie, quas brevitate causa recitare ommitto, per manus apostolorum et sanctorum superveniencium complete fuerunt; absque multis et magnis miraculis,

(8) Is. 49, 23.

(9) Is. 52, 15.

(10) Is. 54, 17.

(11) Is. 60, 3.

que verus fecit Messias dum terram perambulare, tam in leprosos sanando, elisos et contritos erigendo, cecos illuminando, quam mortuos suscitando, ut de hiis omnibus prophetavit Isaias, 42 cap., ubi valde proprie loquitur de operacionibus Messie.

Indubitanter igitur verificatum est quod de Michea per vos superius est allegatum, scilicet, «secundum diem egressionis tue de terra Egipti, ostendam ei mirabilia» (12).

In condicione vero tertia dicebatis quod Ierusalem et templum materialiter erant edificanda, et terra promissionis populari debebat, etc. Ad quod plures ac varios textus inducitis, quorum veritas est maximam partem de tempore Messie loqui. Verumtamen non sane per vos intelliguntur. Quorum informacio ac declaracio, simul cum hiis que de Ezechiele allegastis supra prima condicione, quam Messie attribuistis, non est hic proprie locus pro presenti deputatus, sed 'supra' [E. super] interrogacione quarta ac duodecima, vobis, favente Domino, ad plenum declarabuntur per extensum; ac solum unicum dubium de medio vestrum tollam, quod super textu ponitis Isaie, ca. 49, ubi dicitur:

«Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tue: angustus est michi locus; fac spacium michi ut habitem» (13), dicentes: hoc totum nequit nisi materialiter intelligi, etc., quoniam gloria Dei lata est ad recipiendum in ea omnes quicumque fuerint digni.

Ad hoc quidem respondeo quod hoc non est michi contrarium; quoniam prophete, quando aliquid ponunt per viam exempli ad significandum aliud magis intrinsecum, non est necessarium omnia illius exempli particularia et figure esse consonancia cum omnibus particularibus tocius rei figurate per idem exemplum et figuram. Hoc enim dicit ad literam rabi Moyses de Egipto in prologo libri vocati More; verbi-gracia, in libro de Canticis Canticorum, ubi exemplificatur de quodam filocapto seu sponso cum eius filocapta seu sponsa, et quidem omnium oppinio est totum illud esse in figuram: secundum nos loquitur de amore Dei cum Ecclesia, secundum autem vos cum sinagoga. Videmus autem quod illi filocapto et illi filocapte certe tribuuntur facciones seu condiciones in quolibet eorum membrorum, suorum modorum, condicionum, et operacionum; non tamen est necessarium quod quodlibet eorum particularium habeat respondere certo particulari sui significati, sed solum est intencio prophete rem 'notari' [E. notare] exempli in perfeccione maiori qua fieri potest secundum eius naturam, et cum hoc etiam ad idem ostendit significatum esse in maiori perfeccione secundum eius naturam.

(12) Mich. 7, 15.

(13) Is. 49, 20.



Pari quidem forma fecit Isaias in prefata propheta, magnam vobis volens ostendere prosperitatem in Ecclesia secuturam, et in hiis qui ad credulitatem Messie fideliter venirent. Et duxit in exemplum aliquius civitatis prosperitatem beacioris que sit in toto universo, scilicet, Ierusalem, quam posuit cum titulis illis qui ad civitatem prosperam materialiter requiruntur, videlicet, de habendo bonos muros, et de exilio quod erant passuri omnes in ea malum committentes, et quod in ea non esse locus vacuus, seu depopulatus, et quod esset in populacione copiosam, in tantum quod arta essent loca pre gencium multitudine. Omnes autem isti tituli perfeccionem monstrant et prosperitatem civitatis materialis, post hanc quidem civitatem, perfeccionem et gloriam Ecclesie triumphantis, secundum naturam eius spiritualem, significando et demonstrando qualiter sit alcior beatitudo quam hominis anima potest finaliter habere.

Verum hoc ad idem potest significatum habere materiale, et consolare cum bono et prosperitate Ecclesie militantis. Tanta enim fuit gencium multitudo ad credenciam et fidem Messie congregata, tempore precipue quo Roma conversa est et Italia, cetereque ille regiones, quod ad eas recipiendas nulle ecclesie nec civitates erant capaces. Ex quo, secundum hoc, nichil est in propheta quin possit intelligi propter bonum Ecclesie esse dictum. Cum autem in particula quarta fuerimus, duodecim interrogaciones declarando, hoc adhuc vobis lacius declarabitur, Deo duce, per probationes que minime poterunt negari.

Illi vero, quibus omnes particularitates que sunt in textibus videtur aliquas significaciones de necessario significare seu ostendere, 'attendant' [E. accedant] ad exposicionem magistri Nicolay de Lyra, et ibi videant quoniam non est vocabulum in propheta quin aliquid certum significet in sancta fide catholica.

Quarta vero condicio, quam fore asseritis, est quod tempore Messie Israel servabat legem cum omnibus cerimoniais, etc.

Ad hoc dico quod cum. Deo duce, in octava et nona interrogacione fuerimus in quarta particula tunc tractabimus. Solum hic dicam contra unum per vos tactum in hac condicione, quod est Zacharie, 14 cap., ubi inquit:

«Qui reliqui fuerint de universis gentibus, que venerunt contra Ierusalem, ascendent ab anno in annum ut adorent Regem exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum» (14).

Manifestum quidem est textum hunc non posse intelligi proprie de cerimonia festivitatis cabanellarum, quoniam si de ea intelligeretur male staret, quoniam, cum illa cerimonia plusquam legis cerimoniais sin-

gulariter comendetur, alie quidem sunt quam plures cerimonie maiorem habentes efficaciam, ut puta, festum panis acimi, ac sabbati, ac circumcissionis; debebat enim Deus precipere gentibus venturis in principio Messie plusquam cabanellarum. Ex quo patet quod necessario debet figurative intelligi, concordando cum eo quod dicunt vestri doctores in Talmut, quod domus significat habitacionem firmam et permanentem, et cabanella seu tabernaculum significat habitacionem transitoriam, et modico duraturam. Et quod istud festum significat quod homo de hoc mundo non debet facere multam mencionem, nec habere eum ut manentem habitacionem, nisi ut quid fragile et transitorium. Hac igitur figuracione fuit ordinatum hoc festum in fine anni, cum fructus sunt collecti, ostendens quod, quamvis homo usus fuerit, aut habuerit bona huius mundi cum magno gaudio et leticia, tamen in fine omnia vanitas, quare homo debet reputare ut nichil, et nullam facere de eis mencionem, ac si staret in uno tugurio modicum duraturo. Et hac igitur magna significacione quam habet 'hec' [E. prefata] festivitas, vocavit eam beatus Iohannes, 6 cap. sui Evangelii, festivitatem magnam (15), taliter quod intencio prophete est quod cerimonia et doctrina que dabitur gentibus ad fidem venientibus Messie, erit quod non ponant cor eorum 'ut' [E. nec] firmitatem in temporalibus rebus, nec reputent hunc mundum plusquam unam cabanellam seu tabernaculum, suam anchoram ponentes in hiis que salutem animarum et regnum tangunt celeste.

Quinta autem condicio, in qua dicitis Messiam toti predominari universo, etc. Fateor vos in hoc dicere veritatem, cum pateat optime per psalmum per vos superius allegatum, qui inquit:

«Deus iudicium tuum regi da» (16).

Qui exprese et particulariter loquitur de actibus Messie.

Certum quidem est omnes actus psalmi illius in Salvatore Domino Nostro Iesuchristo fuisse ad plenum verificados, ut vobis, Deo duce, suo loco diffuse declarabitur, cum in nona erimus interrogacione.

Verumtamen, quod ad presens facit ad propositum, est quod hec condicio est valde perfecte in Salvatore nostro Iesuchristo completa, cum regnum eius, et credulitas, seu fides per universum sunt difusa, ac per gentes universas; ymo adhuc sarraceni, quamvis incidant in errorem Machometi, fuisse Messiam confitentes, tamen adventum Christi approbant, et verum fuisse Messiam publice profitentur, et a spiritu Dei genitum, sancteque Virginis filium esse ipsum asserentes, eum in choro celesti super omnes prophetas excellenciolem ponentes. Nulla quidem

(15) Ioan. 7, 37.

(16) Salm. 71, 2.

est pars tocius machine mundialis, ab oriente in occidentem, a septentrione in meridiem, in qua non fiat peregrinacio, et non glorificetur nomen Domini Nostri Iesuchristi Messie. Non igitur maior potest esse regnum quam istud.

Amplius, ad id quod dicitis quod ex tunc esset universa pax, nulla erit guerra. Hec quidem guerra intelligi debet de guerra dyabolica; et pax, de pace angelica. Nam quemadmodum supra sepissime dixi, a tempore Messie citra, omnis idolatria [cessavit], que sine dubio erat guerra notoriosissima atque vera et principalis. Alias enim impossibile esset quod inter homines carnales per longa tempora non oriantur italia unde questiones emergantur et bella; propheta autem minime loquitur de rebus impossibilibus.

Sexta autem condicio est in qua dicitis quod tempore Messie erit guerra de Gog et Magog, etc. Hoc idem non negat sancta Mater Ecclesia, ymo profitetur et asserit quod gens nequam insurget cum quodam duce, Antechristo nominato, qui venturi 'sint' [E. sunt] contra fidem orthodoxam; et hii tempore modico prosperabuntur, et finaliter occidentur, et perdentur, ut dictus propheta Ezechiel prophetizavit. Verumtamen non ex eo sequitur Messiam nondum venisse, cum per vos sit concessum quod Gog et Magog in fine dierum sunt venturi, post adventum Messie.

Ex quo, concludendo, dico: Sex scilicet dictas operationes seu condiciones non habere locum eo modo, quo vos ponitis; nullas fore atque vanas. Et hoc sufficit quod ad secundam particulam.

Tercia vero particula responsionis vestre fuit rationes per me factas, etc., credere impugnare, sic dicentes: Et prima, que incipit: quod si Deus tunc temporis vellet dare Messiam, etc. Respondet iudeus quod ideo Messie attribuitur templi edificacio, etc., sed templo existente edificato, etc.

Non cesso admirative mirari de vobis, qui estis sapientissimi et 'famosi' [E. famosissimi], cunctos ceterosque iudeos sciencia precellentis, qualiter verba tam vana et contra omnem veritatem in tam excellenti consistorio allegare curastis, cum certum sit quod prophete actus et operationes Messie demonstrantes, et eiusdem condiciones, ut vos allegatis, ante fuerint quam captivitas, et absolute et absque ulla conditione adiecta, Messie condiciones prenunciant, quemadmodum vos met idipsum posuistis, et per scripturam vestra manu scriptam affirmastis, quam negare commode non potestis. Nos insuper idipsum afirmamus et credimus, aliter tamen et melius sensum dictarum propheciarum recipimus. Verumtamen omnes concordamus fuisse dictas tempore quo nulla erat captivitas, quoniam oportebat eas adimpleri. Redeundo igitur ad

rationem per me factam, esto quod Ezechias fuisset Messias, ut vester ponit Talmut, et, tempore suo, Ierusalem et templum erant in suo esse, unum sequetur de duobus: aut quod prophete falso prophetaverint, aut quod edificium Ierusalem et templi minime debebant intelligi materialiter.

Nemo sane mentis diceret falsum prophetam dixisse.

Igitur conclusio mea est vera.

Illud autem quod dicitis: maxime cum in tempore Ezechie, etc. Dico nichil esse, quoniam de eo quod prophete faciunt efficaciam et fundamentum erat super Ierusalem et templo, que tunc temporis in suo statu permanebant.

Ex quo, ratio per me facta, verissima permanet et valde necessaria.

Contra secundum vero dixistis: iudeus respondet et dicit, cum honore loquendo, factum tabernaculi non fuisse figurativum, ymo stando in deserto debebat sic fieri, etc.

Dico quod si diligentur plena verba mea perpendissetis, intencio mea est quod factum tabernaculi et habitacionis israelitice, et Aaron, habebat per se principalem intencionem, et secundario, figurative seu allegorice.

Que quidem principalis 'ac' [E. et] per se et primitiva intencio, erat ad ea quibus serviebatur in deserto, et ideo erat tabernaculum hoc modo factum, ut de die in diem posset mutari.

Secunda vero intencio erat significare templum pro tempore fiendum, et que secuta sunt in ea; que quidem, certo tempore, erant inicianda, scilicet, post pretericionem temporis deserti et alicuius temporis ultra. Hac eadem regula dicimus quod terra promissionis et Ierusalem, et templum certam habebant efficaciam durante tempore legis Scripture, representando et significando alia ventura alciora pro tempore legis gracie, scilicet Messie. Et eandem proporcionem quam habuerunt illa que erant 'ad ministrandum' [E. administranda] in deserto et tempore tabernaculi, cum hiis que fuerunt subsequenter in terra promissionis et in Ierusalem, habuerunt illa que in templo Messie fuere, taliter quod ministerium et proporcio est idem.

Deinde ad id quod dicitis quod facta est mencio de Ierusalem et templo in lege mosayca, verum est mencionem fuisse factam, non tamen claram nec specificam, sed per verba occulta: et secundum hoc ad idem reperimus factam fuisse mencionem in locis quam pluribus propheciarum de eo quod significatur per hoc vocabulum Ierusalem et terra pro tempore Messie. Dicitur enim Ieremie, 3 cap.:

«Tunc vocabunt Ierusalem sedem Dei, seu cathedram Dei» (17).

Item Isaias 60 cap.:

---

(17) Ier. 3, 17.

«Non erit amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lune illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam» (18).

Et dixit ultra:

«Non occidet ultra sol tuus, et luna non minuetur, quia Dominus erit in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui» (19).

Nichil autem de isto potest materialiter intelligi, sed spiritualiter.

Item dixit:

«Populus autem tuus omnes iusti; in perpetuo hereditabunt terram» (20).

Cum doctores vestri confiteantur hanc terram intelligi de terra vivencium (21).

De similibus revelacionibus quam plures in libris reperietis. Ex quo sequitur optime quod quidquid David vidit tempore tabernaculi, completum fuisse, ut inquit psalmista, psalmo 77:

«El repulit tabernaculum Sylo» (22).

Et subiungitur:

«Et elegit tribum Iuda, montem Syon quem dilexit» (23).

Et in continenti, David disposuit templum edificare, et propheta concordavit cum illo. Pari modo Dominus Noster Rex Messias, cum vidit ea que erant materialiter fuisse completa, incepit processum spiritualementem, gentes convocans ad regnum supernum.

Contra terciam vero rationem meam dixistis: Iudeus respondet quod in propheciis per eum allegatis non sunt vocabula que dixit rabi Moyses, etc.

Dico quod hec verba meis dictis minime contradicunt, cum in propheciis per me et per vos allegatis, et in aliis nec per vos, nec per me allegatis, de actibus tamen Messie loquentibus, in omnibus illis ponuntur et nominantur prefata nomina, scilicet: terra, Ierusalem, et templum Dei, Syon, domus Dei, et porta celi, Israel, celum. Et michi videtur satis sufficere quod vestri met doctores, vestrique glosatores, asserant prefata vocabula in quam pluribus locis Scripture pro altis rebus et spiritualibus sumi sepissime.

Potest adhuc clarius dici quod id quod inquit ille magnus antiquus rabi Iosue, filius Levi: Quod Syon quod scripsit Isaias in adventu Messie nichil aliud significat quam paradisum? (24). Dico vobis quod

(18) Is. 60, 19.

(19) Is. 60, 2.

(20) Is. 60, 21.

(21) *Tanhuma*, in Gen. 31, 3.

(22) Salm. 77, 67.

(23) Salm. 77, 68.

(24) *Bereshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 60, in Gen. 24,67 (ed. B. N., p. 65). Cf. *Pugio*, 605-606.

valde pulcre vobis met obviatis, dicentes rabi Iosue hoc dixisse, non secundum sensum materiale, sed potius per viam sermonis. Et nichil amplius ex hoc volo, nisi quod michi declarat textum sub sensu spirituali, concordans cum catholice fidei opinione.

Hoc autem vocabulum «celum», quod inquit Moyses, ut allegatis, in congregacione captivitatis, cum dixit:

«Si ad cardines celi fueris dissipatus, conversus michi detrahet te Dominus Deus tuus, et assumet te» (25).

Super isto textu per vos allegato, ut bene scitis, hoc vocabulum «celum» recipi in ebrayco pro elatis hominibus; quoniam sic inquit rabi Salomon, super textu, eodem capitulo: «Quod lex non est in celo.» Declarat enim ipse: Celum ibi sumitur pro hominibus elatis, quoniam iuxta glosam illam, cum dicitur «si ad cardines celi», intelligitur quod, dato quod homines tempore adventus Messie essent in extremitate elacionis, seu superbie, et peccatorum, convertendo se devote haberent salvacionem a Deo.

Preterea creditis michi obviare in eo quod dicitur de templo et civitate quam Ezechiel edificavit, dicentes mensuras non esse tantas, sicut ego pono.

Dico quod veritas est mensuras adhuc esse multo maiores quam vos ponitis vel intelligitis. Nam vestri doctores dicunt quod quelibet canna earum durabat per leucam, in tantum quod ponunt Ierusalem in circuitu decem et octo mille leucas. Et ideo declarat rabi Salomon quod illa Ierusalem in fine Ezechielis posita pro Ierusalem sumitur spirituali (26).

Amplius, secundum vestram consuetudinem, dicitis quod non datis fidem verbis doctorum vestrorum, vacillantes.

Dico quod per hanc negativam, et similes huic, rationabile ac iustum esset ut negarentur et annullarentur vestre omnes scripture, et nulla vobis exinde penitus iniuria fieret, seu preiudicium, postquam vos metipsi negatis.

Insuper dicitis quod illud quod inquit doctor rabi Abba, intelligi pro choro et regula iustorum in paradiso. Ad veritatem nichil aliud dico, quam hoc ipsum. Sufficit enim michi quod super vocabulo '«Ierusalem» civitas' [E. civitas Ierusalem] per prophetam vocato, declaret doctor vester quod idem est quod chorus iustorum. Hec est profecto mea intentio, ac opinio fidei catholice.

Contra quartam rationem per me allegatam dixistis: Iudeus respon-

(25) Deut. 30, 4, 5.

(26) Cf. *Pugio*, 386, 451.

det quod textus, ubi dicitur: «convertimini filii revertentes», refertur ad Israel.

Dico quod si meas rationes preteritas maxima cum diligencia considerare curastis, videbitis qualiter omnes premostraciones, propheciarumque promissiones vocantur ad Israel. Verum per istud Israel oportet intelligi populum nutritum seu dedicatum divino servicio, ut inquit psalmista:

«Et populus qui creabitur, laudabit Dominum» (27).

Populus, enim, qui creabitur non potest intelligi pro populo antiquo Israel solum. Populus quidem ille, tempore David, iamque creatus erat. Sed debet intelligi pro congregacione per gentiles facta cum Israel, qui sunt populus Messie, et populus Dei, ut dixit Zacharias, 2 cap.:

«Et applicabuntur gentes multe ad Dominum in die illa, et erunt michi in populum» (28).

Et vocantur Israel, quoniam principaliores et primi in congregacione Messie fuerunt israelite, ut puta, apostoli et quamplurimi ceteri; et post eos venerunt gentiles.

Iamque Isaias hoc prophetavit cap. 44 cum dixit:

«Et in nomine Israel assimilabitur» (29).

Et dicitur in Mequelta (30) et in Abot de rabi Nathan (31), quod hoc dicitur propter gentiles qui venerunt ad credulitatem. Ex hoc igitur facto pede seu fundamento, tota prophecía optime sequetur secundum declaracionem per me prius factam, glosis vestris omnino resecatis.

Primo, quoniam rabini vestri dicunt contra textum allegando de Zacharia, dicentes quod non recipientur peregrini diebus Messie; et illam sententiam dant absolute, absque posicionem aliqua earum condicionum, que vos ponitis.

Ulterius, ecce quam modici valoris est quod glosatis, et invenciones quas super textum reducit, cum plane dicat ad literam quod 'nulla sit' [E. nulla fiet] mencio de Archa Dei. Quemquidem textum, ad pleniorum eius reformacionem et corroboracionem, reiterat quinquies absque ulla promissione et condicione.

Blasfematis adhuc dicentes influenciam futuram tante virtutis esse in quolibet eorum qui tempore Messie fuerint, quod non indigebunt Archa Dei, que solebat antiquis temporibus esse instrumentum ad influenciam prophecie. Valde est admiracione dignum super hiis verbis,

(27) Salm. 101, 19.

(28) Zach. 2, 11.

(29) Is. 44, 5.

(30) *Mekiltá*, in Ex. 22, 21. Cf. *Pugio*, 457-458.

(31) Cf. *Pugio*, 458-459.

cum secundum erroneam oppinionem, quam vos pertinaciter observatis, Messias non debet esse in maiori gradu propheticie quam Moyses. De aliis autem iudeis certum est quod non erunt in tanto gradu, quemadmodum ipse, Reperimus Moysem profecto habuisse influenciam propheticie mediante Archa et Cherubim. Ergo, si tempore illo erit virtus in eis maior quam in Moysse, in tantum quod non erunt necessarie tabule legis in Archa testimonii vel Testamenti, ergo multo minus erunt necessaria sacrificia, que propter multitudinem peccatorum proveniebant; et per consequens non erit necessarium templum materiale, per modum quod ponitis. Ex quo totum hoc est valde contra rationem.

Iam non oportet dicere glosam secundam, quam facitis, dicentes quod cessabit guerra in universo, propter quod non est necessarium extrahi Archam ad bella.

Dico quod reperietis clare in Talmut, in libro vocato Nazir, in canes. et superflue applicaciones, quas ad textum facitis, de quo textus nullam facit penitus mencionem in aliquo, cum clare, absque condicione dicat quod numquam nominabitur Archa, nec visitata, nec in mente excogitata, nec facta, nullam de guerra faciendo mencionem, nec de bello, nec de quovis alio. Ex quo patet quod declaracio dicte propheticie videatur esse clara, per modum quo exposui eam, cum doctoribus concordans sancte fidei orthodoxe.

Preterea respondetis contra textum quem dixit Ieremias ter: «Templum Domini» (22): Respondet iudeus quod in templo erant tria, etc.

Dico quod reperietis, clare in Talmut, in libro vocato Nazir, in capitulo quod incipit 'Bet Samay' [E. Beth samay], sic inquit: «Templum Domini, hoc est sanctuarium primum; templum Domini, hoc est sanctuarium secundum» (33). Ex quo quidem, ut non cavillose incedamus, nisi ut sane textus intencio intelligatur, patet clare propheticam loqui contra ipsos qui tenebant oppinionem, quam vos, in eadem pertinacia durantes, adhuc asseritis; intelligebant enim quod, esto quod peccassent, et essent contra eum rebelles, et semel aut bis templum destruerent, quod adhuc tercio reedificaretur, et Ierusalem popularetur. Declaravit quidem eis quod non esset sic, ymo, a patria expulsi, in exilium traderentur, et huic captivitati submitterentur, in qua hodie permanetis, iusticia mediante; et numquam amodo tercio restitui in illius terre nec templi possessionem, ut gracia divina prestante, in interrogacione duodecima lacius probabitur.

Per hunc quidem modum sequitur totum capitulum prefate propheticie, usquequo inquit in fine capituli: «eiciam vos a facie mea, sicut eiecimnes fratres vestros, et omnem semen Effraym» (34), quo dice-

(32) Ier. 7, 4.

(33) Cf. *Pugio*, 384.

(34) Ier. 7, 15.



bat pro decem tribubus, qui fuerunt captivi ad numquam redimendum seu redimi.

Subsequenter dixistis: Item dicit dictus magister Ieronimus, etc.; allegantes quidem unum textum, qui est in prefata propheta, ubi inquit:

«In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Israel, et venient simul de terra Aquilonis ad terram quam dedi patribus vestris» (35).

Credentes per dictum textum probare prophetiam predictam debere intelligi materialiter. Et dico fore contrarium, cum per dictam prophetiam datur intelligi, et clare patet, non posse intelligi nisi pro congregatione quam fecit doctrina Messie ad fidem orthodoxam.

Probat, quoniam inquit: «veniet domus Iuda cum domo Israel». Domus autem Israel debet intelligi pro decem tribubus, quos rex Assur captivitati subiecit; et doctores plane inquirunt in Talmut, in libro de Sanhedrin, capitulo ultimo, quod prefati decem tribus numquam sunt ad terram promissionis reversuri. Ex quo sequitur, secundum opinionem vestram, non posse intelligi materialiter.

Uterius dicitis quod, secundum hoc, nichil erit in Scriptura Sacra, quin illud figurative sit dictum, et etiam decem precepta legis, etc.; item lex divideretur in tot leges quot potest Scriptura recipere figuras.

Dico quod nichil horum ex hoc sequitur, quoniam nos, christiani, non declaramus prophetiarum figuras, nec ceremonias legis mosayce ad beneplacitum, nec per nostrum intellectum, seu iudicium, sed solum in tantum quantum Messias et eius apostoli nobis declaraverunt, sicut is qui ad legem venerat adimplendam et declarandam, ut in octava patebit interrogacione, Deo duce. Et in eius doctrina numquam nobis edocuit legis precepta principalia, nec creacionem mundi, nec istorie sanctorum patrum, non debere secundum literam intelligi. Ideo argumentum vestrum est nullum. Et intencio quidem vera, est prophetias habere sensum intrinsecum tronologicum seu allegoricum, ad quod significandum fides conatur orthodoxa, non obstante quod diversimode ea declaret.

Dixistis adhuc unum quod, audienti, facie prima, videtur habere efficaciam aliqualem, et veritas est illud nullius esse momenti. Dicitis namque vocabula que dicuntur in Sacra Scriptura, ab omnibus fore approbata, et materialiter 'illa' [E. ea] debere intelligi, nisi in hiis in quibus est discordia. Et postquam non coguntur aliter debere intelligi seu mutari, iustum et racionabile est quod materialiter intelligantur, sicut reliqua, etc., quemadmodum sanctuarium, claustrum.

Dico ad hoc, non esse similitudinem bonam, nec universaliter veram; quoniam in prophetiis quedam sunt que locuntur super reparacione ba-

bilonice, captivitatis, et in illis habet locum quod dicitis; sed sunt nonnullae loquentes super reparacione tempore Messie, et in illis nullum verba vestra penitus habent locum; quoniam in destruccione prima Ierusalem, cum fuit captivitas babilonica, in reparacione eiusdem, quando fuit secundum templum, nulla erat mutacio mundi super condicione legis, quoniam totum illud duraverat tempore duorum mille annorum. quí anni legis scripture communiter apellabantur, ut patet per auctoritatem sex mille annorum.

Verum prophecie loquentes super tempore Messie, iam locuntur palam, quo tempore condicio legis erat mutanda, ad tempus quod dies Messie appellatur; et hoc ideo. aliqua illarum propheciarum necessario debebant spiritualiter intelligi, non autem materialiter.

Et quod dicitis quod non constringimur ad hoc, dico quod ymo multipliciter. Et primo, virtute mutacionis mundi tempore Messie ut dictum est.

Secundo, cum in quamplurimis locis illarum propheciarum, prophete nos excitarent per verba propter que videtur quod non debebat materialiter intelligi, quemadmodum in hac propheta Ieremiae, cap. 3, et in aliquibus capitulis Isaie superius allegatis.

Tercia ratio artans nos ad istud, est quod doctores vestri excitant nos in horum declaracione vocabulorum, in huiusmodi propheta positurum, spiritualiter, sicut est sanctuarium, domus Dei, templum, et Ierusalem, Syon, Israel, terra, et David. De omnibus istis superius fecimus mencionem sigillatim, cum eius propria auctoritate. Si vestri igitur met rabi ponunt hec nomina habere significaciones spirituales, quo enim tempore ille significaciones possunt habere locum maiorem, et condecentiorem quam tempore Messie?

Quarta ratio, ad hoc non immerito urgens, est ea que in mundo sunt de facto iam elapsa; manifestissime enim videmus quod, tempore illo proprio per prophetas assinato et per vestros doctores antiquos declarato, quo venturus erat Messias, venit unus, in quo, et per cuius manum, manifeste videmus omnia figuraliter prenunciata per dictos prophetas seu prenosticata, fuisse completa. Stultissimum igitur est [E. esset], postquam videmus ea, que completa fuerunt, cum verbis prophetatis concordare indubitanter, alias de novo fabricare glosas, ad modum rem non perditam perquirencium, nec aliquatenus repperiendam. Presertim videndo tot et tantas confrontaciones, seu circumstantias nobilissimas, que ad corroboracionem huiusmodi palam fuerunt secute. Videmus enim prophetas in principio secundi templi prophetasse quod adventus futurus Messie erat in brevi, precipue quemadmodum ille propheta Daniel prophetavit; et adhuc videmus quod eadem met regula, per eos prophetata, limitata, omnia successerunt ad plenum in

processu Salvatoris nostri veri Messie Iesu Christi. Sufficeret enim vobis hec ad oculum videntibus fuisse duricies cordis vestri qua in hanc profundissimam captivitatem a mille quadringentis annis et ultra, sub huiusmodi spe vana, submersi estis; propter quod vos debetis constringere, et ad textus, et glosas que textum non paciuntur, nec rationem aliqualem, inique ac pertinaciter applicare. Ecce igitur allegacionibus textuum vestrorum, in vestre prave oppinionis et erronee auxilium deductis, plene satisfactum. Et sic volo terciam particulam hic concludi.

Verum, ut ab errore illo, scilicet, spe materialis Ierusalem, vos omnino spoliatis vel depellatis, et ex unc aliquem textum in favorem ipsius minime alleguetis, ymo clare et firmiter teneatis, quod omnes quot pro vos repperiri contingat, debeant intelligi secundum istam verissimam intencionem, volo vobis quamdam notabilem allegare auctoritatem, que est in Beresith de Rabba, cap. 99, supra istoriam visionis, quam vidit Iacob patriarcha, illius scale, que stabat in terra, cuius summitas vel cacumen celum tangebatur (36). Quamquidem auctoritatem volo vobis ad modum gragee offerre in fine, ad confortandum seu parandum orificium stomachi vestri intellectus taliter ut exinde hanc pravam oppinionem omnino evomatis. Quequidem auctoritas sic inquit (37):

«In die quo se appropinquavit finis Moysis, duxit eum Deus in celum, et ostendit ei premium suum, et omnia que futura erant. Stetit virtus pietatis coram Moysse, cui ait: Moyses, referam tibi seu annuntiabo tibi novum bonum cum quo gaudebis. Volve faciem tuam contra sedem pietatis, et respice que videbis. Et convertit Moyses faciem eius, viditque Deum manu sua sanctuarium edificantem et construentem ex lapidibus preciosis, et inter lapidem et lapidem stabat gloria divina; et Messias, filius David, sedens intus gloriam; et Aaron, frater Moysis, stabat, pedes reindutus. Dixitque tunc temporis Aaron ad Moysen: Moyses, ne appropinques te ad gloriam Dei, cum nullus possit huc ingredi, usquequo gustum mortis gustaverit. Tunc cecidit Moyses super faciem suam, dixitque Deo: Domine mundi: Concede michi licenciam ut ingredi, et loquar cum Messia antequam moriar. Dixitque sibi Deus: Ingredere. Tunc enim Deus edocuit sibi nomen eius magnum, ut eum non ureret flamma divinitatis. Cum autem eum vidissent Messias et Aaron, intellexerunt quod Deus docuerat sibi nomen eius, dixeruntque ei: Benedictus qui venit in nomine Domini. Interrogavit Moyses Messiam, filium David, dicens: Deus dixit michi quod edificaturus est templum in terra; ad quid edificat templum manibus suis in celo? Respondit Messias ad Moysen: Moyses, pater tuus Iacob vidit templum edifi-

(36) Gen. 28,12.

(37) *Beresith Rabbá*, de Moshé ha-Darshán, par. 68, in Gen. 28,17 (ed. B. N., p. 74-77). Cf. *Pugio*, 385-386 («in Magna Bereschit Rabba»).

candum in terra, viditque templum quod edificaturus erat Deus manibus suis in celo; et scivit, atque intellexit, quod templum a Deo manibus suis propriis edificandum in celo ex lapidibus preciosis, et de gloria divinitatis, illud esset templum ad Israel duraturum in perpetuum in secula seculorum. Hoc est enim quod locutus est Iacob, in nocte qua vidit dormiens super lapidem viditque Ierusalem edificatum in terra, et Ierusalem edificatum in celo; et cum Iacob, pater tuus, vidit illud quod erat in terra, et quod erat in celo, dixit Iacob: Hoc quod est in terra, nichil esse. Et ideo dixit Genesis, 28 cap.: «Et expavit, et dixit: quam terribilis est locus iste. Non est hic aliud nisi domus Dei» (38). Illud est quod duraturum est pro Israel in perpetuum, scilicet, domus illa, quam Deus propriis manibus in celo edificavit. Cum hoc audisset Moyses ab ore Messie, filii David, gavisus est valde, dicens: «Letatus sum in hiis que dicta sunt michi: In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem; Ierusalem, que edificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipsum» (39).

Ecce igitur manifeste qualiter patet per hanc notabilem auctoritatem, quod est templum materiale et spirituale; et qualiter illud, quod est perpetuum, est spirituale.

Item dicitur in libro qui dicitur de Tahanith, in capitulo quod incipit Memathay Mazquinim (40):

«Dicit rabi Iohanan: Dixit Deus: Nolo ingredi Ierusalem supernam usquequo edificetur Ierusalem infima. Responderunt ei: Et quomodo Ierusalem est superna? Dixit ipse: Ita, cum sic est scriptum: Ierusalem, que edificatur ut civitas, etc.» (41).

Videtur quod intencio rabi Iohanan in verbis istis erat quod primo debebat esse lex Scripture, que significatur per Ierusalem infimam, quam lex gracie, que ostendebat regnum celeste et Ierusalem supernam, in qua omnis homo participare debebat. Et credo quod nemo quantumcumque modico intellectu polleat, et verecundiam habeat, possit [E. + in aliquo] hiis auctoritatibus per me allegatis aliquatenus obviare, nisi fuerint illi qui causa 'obviandi' [E. deviandi] a veritate, quemadmodum et vos, veniunt deliberate. Et cum hiis tercie particule, pro nunc, finem impono, causa brevitatis.

(38) Gen. 28,17.

(39) Salm. 121,1-3.

(40) Cf. *Pugio*, 386 («Meemmatai maskirin »).

(41) Salm. 121,3.

## SESION XXVII

DIE VENERIS, vigesima sexta maii, prefatus magister Ieronimus, in presencia omnium cardinalium reverendissimorum, tociusque romane curie eiusdem Sanctitatis, proposuit dicens:

Quarta particula vestre propositionis est ad duodecim per me vobis super actibus et titulis Messie factas interrogaciones, respondere.

Quarum prima est: quis est locus, ubi Messias esset nasciturus, assignatus.

Ad quam responditis; et dicitis vos ignorare locum quemquam, ubi Messias nasceretur, assignatum.

Secunda vero: An esset miraculose nasciturus, etc. In qua similiter respondetis quod ignoratis an sit miraculose nasciturus.

Valde quidem miror de hac responsione per vos facta in huiusmodi duabus interrogacionibus, attento quod hec sint a tanto articulo dependencia, sicut est adventus Messie; quoniam est articulus a quo omnia bona per prophetas prenunciata dependent. Et vestra hec ignorancia duo respicit, seu duas significat intenciones: Una, ignorancie sciencie; quemadmodum si quis alium interrogaret si scit an rex recessurus sit a Barthinona, et respondet «nescio», cum ista responsione bene satisfaceret, quoniam ipsum interrogat de materia, in qua non est ad illud certitudinaliter affirmandum vel negandum obligatus. Vel illa ignorancia vel nesciencia, potest significare negativam rei seu propositionis interrogate. Et hoc quidem est cum interrogatur in materia in qua homo ad concedendum vel negandum est obligatus. Tali enim casu dicere «ignoro seu nescio quod tale quid sit», est tantum ac si diceret: «Scio quod tale quid non est.» Verbigracia si quis peteret ab alio in iudicio centum florinos, quos sibi mutuaverat; iudex quidem eum interrogavit super eo, si est sic, vel non. Cui ille respondet: «nescio vere quod talis homo michi actenus similes pecunias mutuasset». Hoc est tantum ac

si diceret: numquam michi mutuavit. Et hoc possumus dicere iuxta significacionem primam debere intelligi; certum est enim vos esse adeo practicos et summa cum diligencia plene sigillatim informatos, ut sciatis cultellum cum quo occidere debeatis arietem aut gallinam, quibus condicionibus debet esse fulcitum, et cuius quantitatis esse debeat, et transferendo eum per unguem an senciatur in eo aliqua asperitas portelli seu fracture, quod talis cultellus non est habilis ad 'orandum' [E. occidendum] cum eo; et quidam adhuc credentes melius cerimonias servare, et forcius intricantes, ponunt et dicunt quod homo debet super transire linguam, ut subtilius senciatur an fuerit in dicto cultello asperitas portelli an non. Item in parvis alis pulmonum arietis respicitis an sint coniuncte, et de qua parte ad quam, et in qua quantitate fuerit coniunctio, ad habendum veram noticiam an talis aries sit ad manducandum an non.

In istis quidem superius dictis valde radicitus intricamini circa ea vacantes ex quibus vultis plures particulares noticias inde habere, iedum illas non habentem valde ignorantem et simplicem reputantes. Non enim est dubium quod in his in quorum ignorantia ingens vertitur periculum tam corporum quam animarum, et in quorum noticia maxima salus imminet animarum, et utilitas corporum, veluti sunt facta Messie, in his quidem nulla potest in vobis ignorantia allegari, nec ipsa vos legitime excusare, presertim vos rabinos Hispanie hic presentes, qui positi estis ut omnes angulos vestre credulitatis investigetis, et aiorum ignorancias excusetis.

Oportet igitur dicere quod hec vestra ignorantia meram significet negativam, et quod intencionis vestre est, quod Messias nullum locum tenebat sibi limitatum ubi esset nasciturus. Hec autem negativa ex uno resultat de duobus: Aut ex nimia accidia et simplicitate, cum contemptis studere fundamentum super dictis prophetarum et doctorum vestrorum, qui in presenti materia fundamentaliter sunt locuti, rebus temporalibus potius quam scripturis spiritualibus vacare affectantes; tenet quidem vos occupatos maledictio Isaie dicentis, 6 cap.:

«Exceca cor populi huius, videant confusionem», etc. (1).

Et huiusmodi negativa, scilicet, istorum duorum 'modo' [E. modorum], magnum est peccatum, et periculum, et gravamen, tam animarum vestrarum, quam eciam illorum qui vestris leccionibus submituntur et doctrinis. Idcirco, propter divinum servicium, clementissimo Domino N. Pape placuit, quatenus de responsionibus veris supra duodecim dictis interrogacionibus informemini taliter, quod, divina gracia favente, vestrarum inde sequatur salus perpetua animarum.

(1) Is. 6,10.

'Quoniam' [E. Quo] circa, in prima interrogacione cupiens vos informare, dico: Quod teneatis ut veram conclusionem:

Messiam in terra de Iudea, in civitate de Bethleem Effrata nuncupata, fuisse nasciturum.

Hanc quidem conclusionem, licet notoriam, probo tamen quintupliciter:

Uno siquidem modo per textum propheticum (2).

Secundo, per caldaycan translacionem.

Tercio, per glosam rabi. Salomonis.

Quarto, per auctoritates textus talmudici.

Quinto, per auctoritatem libri vocati Beresith Rabba antiqui.

Prima enim auctoritas, que est in textu prophético, est in libro Michee originaliter, 5 cap., et recitative in Evangelio Mathei, 2 cap., ubi dicitur:

«Et tu Bethleem Effrata, parvus ad essendum in millibus Iuda; ex te michi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab inicio, a diebus eternitatis» (3).

Nulli, enim, in dubium vertitur hanc propheciam fuisse dictam propter verum Messiam: primo, quoniam in Evangelio Mathei, 2 cap., reperitur quod, cum illi tres magi orientales venissent in Ierusalem petentes: ubi est rex iudeorum, qui natus erat, ad quem adorandum veniebant, quoniam sic eis revelatum fuerat in eorum regione, ad quam quidem revelacionem probandam, si opportuerit, offero me, Deo duce, et hoc cum probacionibus rabinorum talmudistarum necessariis, quod sic oportebat esse. Et tunc rex Herodes turbatus est, et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi sciscitabatur ab eis ubi Messias nasceretur. At illi dixerunt illi: in Bethleem Iude. Quod probarunt per dictam propheciam.

Item, esto quod prefato sancto Evangeliste minime credatis, adhuc potest patere, quoniam propheta iste prophetavit hoc tempore regis Ezechie, et, ex tunc, non egressus est de Bethleem quis de quo 'propheta hoc' [E. hec prophecía] posset verificari usque ad Messiam.

Item, quoniam prophecía tota que sequitur loquitur de actibus Messie.

Item: «et egressus eius ante dies seculi, seu a diebus eternitatis», concordando cum verbis doctorum vestrorum, dicencium quod unum de hiis que fuerunt creata ante mundi creacionem, fuit nomen Messie. Et est quidem verum quod consideravit in suo modo loquendi duo, scilicet, humanitatem et divinitatem; et respectu humanitatis inquit fore ipsum nasciturum in Bethleem; respectu autem divinitatis dixit «et

(2) Cf. *Pugio*, 526.

(3) Mich. 5,2.

egressus eius ante diem seculi». Ex quibus concluditur quod erat in Bethleem nasciturus.

Secunda vero probatio est per caldaycam translacionem. Reperimus enim Ionathan, filium Hucielis, qui de solemnioribus fuit hominum Israel, cuius verba moderni reputant fuisse quasi revelacionem propheticam in secundo templo, dixit in caldayco:

«Ex te michi egredietur Messias, filius David, et eius nomen dictum est antiquitatis dierum seculi» (4).

Ecce igitur manifeste, qualiter ad literam clare dicit Messiam esse in Bethleem nasciturum, et qualiter verba eius concordant cum dicto illo, quod ante mundi creacionem erat nomen Messie, cum dicit «et nomen eius dictum est antiquitatis dierum seculi» (5).

Tercia vero ratio habetur per declaracionem rabi Salomonis, quem magis apud vos auctenticum omnium modernorum glosatorum tam Bible quam Talmut, reputatis; qui de verbo ad verbum prefatam glosavit auctoritatem seu propheciam, modo quo sequitur:

«Et tu Bethleem Efrata», ex qua egressus est David, ut scribitur Primo Regum, cap. 17: «filius sum servi tui Isai bethlemitis» (6). Bethleem autem, vocatur Efrata, quoniam sic dicitur Genesis, 35 cap., «in via Efrata, ipsa est Bethleem» (7). «Parvus ad essendum in millibus Iuda»: Digna es ad essendum minor in millibus Iuda, propter labem et maculam Ruth moabitidis que fuit in te. «Ex te michi egredietur Messias», filius David, propter quem dicit psalmista psalmo 117: «lapidem quem reprobaverunt edificantes fuit in caput anguli» (8). «Et egressus eius ante diem seculi», et inquit psalmista psalmo 71: «Ante solem innon, id est, filiatum nomen eius» (9). «Et sic transtulit Ionathas.»

Usque hic sunt verba rabi Salomonis (10).

Peroptime dicitur clare per verba istius Messiam in Bethleem nasciturum.

Quarta autem ratio potest adhuc per textum probari talmudicum, scilicet, per quamdam auctoritatem in libro vocato Berahoth Ierusalmita, scriptam capitulo quod incipit Haya Chore, ubi sic inquit:

«Accidit cuidam iudeo laboranti seu aranti, et bove suo mugiente, transivit quidam arabs qui, audiens mugitum bovis, inquit iudeo: Hebre, fili hebrei, solve boves tuos, et iugum disiunge, quoniam ves-

(4) Cf. *Pugio*, 705.

(5) Cf. *Pugio*, 526.

(6) 1 Reg. 17,58.

(7) Gen. 35,19.

(8) Salm. 117,22.

(9) Salm. 71,17.

(10) Cf. *Pugio*, 526.



trum sanctuarium destruitur. Tunc bos iterato mugivit, et iterum arabs inquit: Hebreë, fili hebrei, iunge boves tuos, et parifica eos, quoniam natus est rex Messias. —Ad quem iudeus: Quod est nomen eius? —Et ille respondit: Menahem, quod idem est quod Consolator. —Et adhuc iudeus illi: Et quod est nomen Patris eius? —Et ille: Ezechias, quod idem est quod fortitudo Dei. —Cui adhuc iudeus: Et ubi est natus? —Ad quem ille respondit: In Bethleem Iude» (11).

Ecce igitur quam manifeste patet per textum talmudicum Messiam esse natum in Bethleem, civitate Iude.

Quinto enim probatur dicta conclusio per quamdam auctoritatem, que est in quodam libro vocato Beresith Rabba antiqua, quam dixit [E. + quidam] doctor nomine rabi Samuel, filius rabi Naaman, ubi sic inquit:

«Semel Helias perambulabat iter suum die quo fuit destructio templi, et audivit filiam vocis, et revelacionem clamantem et dicentem: Templum sanctum Dei, tendit ad destructionem. Cum Helias illud audisset, cogitavit qualiter mundum destrueret. Sic in itinere eius procedens, quibusdam agricultoribus arantibus vel seminantibus obviavit, quibus sic alloquitur: O viri, Deus iratus est contra mundum, et vult eius domum destruere, suosque filios inter gentes captivare, vos autem vacatis circa vitam temporalem. Exiit alia vocis filia dicens: Helia, sine eos facere, quoniam natus est Israel Salvator. —Cui Helias: Et ubi est? —Respondit vox: in Bethleem Iuda. —Tunc Helias illuc accedens, quamdam mulierem ad portam domus sue, filiumque eius sanguinolentum vel cruentatum ante faciem eius habentem, invenit. Dixitque mulieri Helias: Filia, filium peperisti? —Cui illa: Rabi, ita. —A quam ille: et quid acidit ei, cum sic sanguinolentus iaceat atque prostratus? —Rabi, igens malum, quoniam die quo natus est, templum est dirutum. —Cui Helias: Filia, eleva eum, et conforta eum, quoniam per manum eius fiet salvacio in Israel. Quod illa fecit incontinenti» (12).

Ecce nunc dilucide probatum per has quinque auctoritates, nostram conclusionem esse verissimam, scilicet, qualiter locus limitatus ubi Messias erat nasciturus fuerat civitas Bethleem Iude, quod per vos primitus fuerat negatum.

(11) J. Berakot 5 a; Cf. *Eḳa Rabbatī*, par. 1, in Lam. 1,16; *Pugio*, 348,349.

(12) *Bereshit Rabbá* de Moshé ha-Durshán, par. 73, in Gen. 30-38 (Ed. B. N., p. 78-81); *Pugio*, 350-351.



## SECCION XXVIII

DIE VERO MARTIS trigesima maii, prefatus magister Ieronimus sequentem fecit informacionem, sic inquires:

Secunda quidem interrogacio fuit: An miraculose, aut sicut quevis alia persona, esset naturaliter nasciturus.

Ad hoc quidem pari forma respondistis, quemadmodum in precedenti alia, scilicet, negando quod debebat esse miraculosa.

Oportet igitur ab hoc errore vos omnino revocare, et informari qualiter nativitas eius debebat esse valde miraculosa, duplici genere miraculorum, omnem naturam transcendencium; quoniam in omni generacione naturali duo naturaliter requiruntur, scilicet, semen patris ut agens, et corrupcio matris carnalis ad recipiendum semen prefatum.

In nativitate seu generacione Messie hec duo fuerunt per oppositum: Unum quidem, quia non de semine carnalis hominis, sed solum verbo Dei genitus. Secundum autem, esse natum ac genitum cum pura virginitate precelse Genitricis, absque ulla corrupcione.

Hec autem duo genera miraculorum, tam solemnia, tamque excellentissima, per textum prophetiarum simul cum exposicionibus, glossis, et auctoritatibus vestrorum rabinorum, Deo duce, vobis patefient per extensum.

Ad probandum ergo primum, talem formo racionem:

Si generacio seu nativitas Messie non fuit per generacionem hominis carnalis, igitur erit miraculosa.

Sed non fuit per generacionem hominis carnalis.

Igitur fuit miraculosa.

Consequencia notoria est. Minorem probo, et dico quod reperietis quod incontinenti sicut Seth natus est, Adam pater eius prophetavit dicens, quod licet filius ille semen esset naturale et carnale eius, tamen

ab eo egrederetur semen aliud (1), quod non veniret, nec resultaret ex parte sua, sed ex alia, et hic esset rex Messias. Et de hoc reperietis auctoritatem in duobus locis.

Unam siquidem in Beresith Rabba rabi Moysi Darsan, ubi dicitur:

«Quia posuit michi Dominus semen aliud», Genesis 4 (2). Dicit rabi Tanhuma de nomine rabi Samuelis: Hoc est illud semen quod erat nasciturum de loco extraneo. Et quius est hic? Hic est rex Messias» (3).

Et eadem verba sunt in glosa morali libri Ruth (4).

Et nedum Adam, quoniam adhuc filie Loth habuerunt revelacionem quod ex eis oriundus erat rex Messias per generacionem, non carnalem, sed alienam ab humana generacione. Et de hoc habetis auctoritatem in Beresith parva, ubi dicit rabi Tanhuma:

«Et suscitemus, vel vivificemus de patre nostro semen» (5). Non dixit filium, nisi semen; et est illud semen, quod venturum erat de loco extraneo, et ille est rex Messias» (6).

Videtur quod ipse habuerunt revelacionem quod Messias erat oriundus de earum genere. Sic enim fuit quod ex Ruth descenderet moabita, et ex Nahama samonita, matre Roboam, uxore Salomonis (7).

Uterius dicitur in glosa morali super Psalterio, super textu David qui dixit: «Dominus dixit ad me; filius meus es tu» (8).

«Dixit rabi Huna nomine habi Yddi: Dixit Deus propter Messiam: Ego habeo eum creare novam creaturam. Quoniam sic scriptum est: «ego hodie genui te» (9).

Item, eius ostenditur adventus esse modo miraculoso per verba prophecie Danielis, cap. 7, ubi inquit:

«Videns fui in visione noctis, et ecce cum nubibus celorum quasi Filius hominis veniens erat, et usque ad antiquum dierum pervenit; et coram eo obtulerunt eum et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus et lingue servient ei. Potestas eius, potestas eterna, que non preteribit, et regnum eius, quod non corrumpetur» (10).

Quod enim hec prophecia de Messia loquatur clare patet, et adhuc

(1) Cf. Gen. 4,25.

(2) Gen. 4,25.

(3) *Ber. R.* de M. ha-Darshán, par. 23, in Gen. 4,25 (ed. B. N., 46-47, *Pugio*, 354).

(4) *Ruth Rabbá*, par. 8, in Ruth, 4,19. Cf. *Pugio*, 354.

(5) Gen. 19,32.34.

(6) *Beresith Rabbá*, par. 51, in Gen. 19,32; cf. par. 23, in Gen. 1,25. *Pugio*, 354.

(7) 2 Paral. 12,13.

(8) Salm. 2,7.

(9) *Midrash Tehil-lim*, in ps. 2,7. Cf. *Pugio*, 355.

(10) Dan. 7,13.14.

quoniam sic dicit rabi Abraham Abenazra et rabi Salomōn. Et iam videtis qualiter notat eius adventum per modum miraculosum, cum dicit: «cum nubibus celorum». Ex quo patet quod erit quid altissimum, excellentissimum, et valde spirituale.

Item, quoniam non intitulat eum Filium hominis absolute, sed «quasi Filium hominis» ad ostendendum nobis quod non est natus de coniugio hominis carnalis cum muliere. Hoc enim est clarum et notorium hiis qui cordis non paciuntur cecitatem.

Uterius inquirunt talmudiste quod spiritus Messie est spiritus met Dei. Ex quo sequitur quod natus est miraculose de spiritu Dei. De hoc quidem auctoritatem habetis in Beressit Rabba (11) et in Beressit Zota (12), super textum ubi dicitur:

«Et spiritus Dei ferebatur super aquas» (13). Dicit Rabi Simeon: Hic est spiritus Messie, de quo dicit Isaias, cap. 11: «et requiescet super eum spiritus Domini» (14).

Cum dicit quod spiritus Domini, est spiritus Messie, non potest intelligi quod sit homo genitus a persona carnali, quoniam si sic esset, spiritus illius esset humanus, et non divinus.

Item ostenditur esse filius Dei per textum psalmiste dicentem:

«Osculamini filium», alias, «aprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via recta. Cum exarserit in brevi ira eius, beati omnes qui confidunt in eo» (15).

Et dixit rabi Abraham Abenazra (16):

«Ecce 'servite Domino' (17), quod est contra illud, scilicet, «adversus Dominum» (18). «Et osculamini filium», est contra illud, scilicet, «adversus Messiam Christum eius» (19).

Ecce quomodo hoc vocabulum *bar*, quod idem est quod filius, certe dicatur pro Messia. Quod probat per textum ubi dicitur: «Dominus dixit ad me: Filius meus es tu» (20).

Et attendens quod Filius Dei est Deus verus, ideo dixit ibi, propter eum, «beati omnes qui sperant in eo» (21).

Quare patet quod spes et gracia divina attribuitur ei.

(11) *Bēreshit Rabbá* de Darshán, in Gen. 1,2 par. 2. (Ed. B. N. p. 24-25).

(12) *Bēreshit Rabbá*, in Gen. 1,2, par. 2 y in Gen. 1,26, par. 8.

(13) Gen. 1,2.

(14) Is. 11,2. Cf. *Pugio*, 545.

(15) Salm. 2,12.13.

(16) Cf. *Pugio*, 887-888.

(17) Salm. 2,11.

(18) Salm. 2,2.

(19) Salm. 2,2.

(20) Salm. 2,7.

(21) Salm. 2,13.

Et ad istius met confirmacionem, quamdan habemus notabilem auctoritatem in Glosa morali super psalterio, ubi dicitur sic:

«Quid vult dicere: Osculamini filium? Renpodit 'rabi' [E. —] Rab: Apparet hoc cuidam regi, qui est iratus cum civibus alicuius civitatis, et accedentes ad eum hii qui erant tunc in civitate, supplicarunt filio regis ut intercederet pro eis; et intercedente pro eis patrem suum regem, precibus eius rex civitati pepercit. Postquam vero eis pepercerat, accesserunt hii qui erant in civitate, gracias regi acturi vel impensuri. Quibus rex ait: Michi enim facitis gracias? Ite pocius, et filio meo agite. Nisi propter eum, iam fuissetis traditi perdicioni. —Et ideo inquit: «Osculamini filium», alias «apprehendite» (22).

Ecce tam notabile exemplum, quod isti ponunt, qualiter de directo est consonans humani generis redempcioni, per manum Messie facte; et qualiter Filius Dei vocatur et intitulatur.

Patet adhuc manifeste Messiam patrem non habere carnalem, per quamdam notabilem auctoritatem in Beresit Rabba rabi Moysi Darsan scriptam, ubi inquit (23).

«Que est intencio Ieremie in Lamentacionibus, capitulo ultimo, cum dixit: «Pupilli facti sumus absque patre»? (24). Dicit rabi Barachias: Deus dixit ad Israel: Vos dixistis coram me: pupilli sumus absque patre. Ad idem redemptor quem ex vobis suscitabo erit absque patre, quoniam sic scriptum est Zacharie cap. 6: «Ecce vir Oriens nomen eius, et subter eum orietur, et edificabit templum Domino» (25). Dixitque Isaias cap. 53: «Et ascendet sicut virgultum coram eo; sicut radix de terra sicienti» (26). Et per cum dixit David: «Ex utero ante luciferum genui te» (27). Et idem: «Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te» (28).

Ecce qualiter doctor iste rabi Barachias concordavit omnes istos textus ad refirmandum hanc notabilem conclusionem.

Item in eodem libro, super textu Genesis, 40 capitulo, ubi inquit: «Videbam coram me vitem» (29). Hii sunt Israel, propter quos dixit psalmista, psalmo 79: «Vineam de Egipto transtulisti, eiecisti gentes, et plantasti eam» (30). Item «videbam coram me vitem» (31). Iste est rex Messias, propter quem scriptum est, psalmo 79: «Et per-

(22) *Midrash Tehil.* 2.12. Cf. *Pugio*, 888.

(23) *Bēr. R. de M. ha-Darshán*, par. 84, in Gen. 37,22 (ed. B. N. 84-85. *Pugio*, 759).

(24) Lam. 5,3.

(25) Zach. 6,12.

(26) Is. 53,2.

(27) Salm. 109,3.

(28) Salm. 2,7.

(29) Gen. 40,9.

(30) Salm. 79,9.

(31) Gen. 40,9.

fice eam quam plantavit dextera tua, et super filium hominis quem confirmasti tibi» (32). Est enim planta inferius, et planta inferius et superius. Planta inferius est Abraham; planta inferius et superius, iste est rex Messias» (33).

Attendite rogo diligenter qualiter doctor notat quod regis Messie esse debet constare, seu esse, ex divinitate et humanitate.

Ex quibus auctoritatibus superius dictis, Messiam non esse genitum ex semine hominis carnalis, nisi quod resultat ex re superna, que est spiritus Dei; et per consequens, sequitur eius generationem et nativitatem non esse naturalem, ad modum hominum ceterorum, sed valde fore miraculosam ex parte agentis, qui est pater.

Hoc quidem sic probato, expedit nunc probare qualiter ex parte vasis sacratissimi, in quo fuit genitus, scilicet, ex parte matris, ipsa debebat esse miraculosa, ut absque esset omni corruptione, puroque esset cum virginitatis candore. Hoc patet clarissime per Ieremiam, cap. 31, ubi dicitur:

«Revertere, virgo Israel, ad civitates tuas. Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? Quia creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum» (34).

Certum est enim, quod hoc novum quod inquit propheta quod faceret Deus super terram, quod esset, scilicet, quod femina circumdaret virum, non potest intelligi nisi de Messia, qui debebat esse in utero matris sue, ipsa virgine permanente; quoniam aliter non esset novum, neque aliqua esset novitas.

De hac quidem opinione fuerunt doctores talmudiste antiqui, ut habetur in Beresith Rabba. Dicit enim rabi Osua, filius Levi (35).

«Attende huc, et videbis quoniam non est quidem consuetudo carnalis hominis consuetudo Dei. Homo enim carnalis percutit asta, curat emplastro; Deo autem nostro non est officium simile, quoniam eo cum quo percutit, et sanat, siquidem reperimus in Ioseph et in Israel. Ioseph, quidem, propter sompnia percussus est, propter sompnia curatus. Item Israel in virgine peccaverunt, ut habetur Ezechiel, cap. 23: «Et fornicati sunt in Egipto, in adolescentia sua fornicati sunt, subacta sunt ibi ubera eorum, et fracte sunt mamme pubertatis eorum» (36); et cum

(32) Salm. 79,16.

(33) *Beresit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 88, in Gen. 40,9 (ed. B. N. 88-89. *Pugio*, 538).

(34) Jer. 31,21.22.

(35) *Beresit Rabbá* de M. ha-Darshán par. 89, in Gen. 41,1 (ed. B. N. 88-91. *Pugio*, 354-355; 755-756).

(36) Ez. 23,3.

virgine sunt puniti, quoniam sic dicitur in Lamentacionibus per Ieremiam, capitulo ultimo: «Mulieres in Syon humiliatae sunt, et virgines in civitatibus Iuda» (37). Et cum virgine consolati sunt, quoniam sic ait Ieremias: «Quia creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum» (38). Et dicit rabi Anina nomine rabi Iddy, quod iste est rex Mesias, de quo David: «Ego hodie genui te» (39). Et de eodem dixit Isaias, cap. 62: «Propter Syon non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et salvator eius ut lampas accendatur» (40).

Valde manifeste ostendi, et per verba prefate auctoritatis, una cum allegacionibus quas isti doctores prenominati faciunt in eisdem, prefatam nostram conclusionem fore sufficienter probatam.

Preterea, conclusio predicta adhuc patet per ea que dicta sunt in superius habitis dietis, supra illa litera «mem» que est in illa dictione: «multiplicabitur eius imperium» (41). Que quidem litera debebat esse aperta, et est clausa, que significat nomen Marie, et ipsam esse virginem.

Item, dicta conclusio, potest etiam verificari et probari per id quod inquit Ezechiel, cap. 44, in propheta superius allegata, quam figurative probavimus loqui de Ierusalem spirituali, que significat congregationem sancte Matris Ecclesie; in cuius edificio fit mencio templi, et habetur in prefato capitulo: «Et converti me ad viam porte sanctuarii exterioris, que respiciebat ad Orientem; et erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta hec clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus per eam, eritque clausa in eternum» (42).

Hec quidem propheta impossibile est quod possit intelligi ad litteram nudam, per superius rationes allegatas, tam per mensuras valde magnas, et absque ordine, quam verba et glosas doctorum nedum catholicorum, verum etiam ebraicorum.

Item quia non reperitur quod in sanctuario secundo, quod fuit factum post Ezechiel, quod Zorobabel, et Neemias, et Esdra edificarunt, quod aliqua esset porta per quam sacerdotes et levite continue non ingrederentur, precipue per portam quam nominavit propheta, que est ad Orientem, de qua certum est quod erat in templo magis visitata quam alie, quoniam per eam omnis populus continue ingrediebatur.

Ex quo tenemur de necessario dicere quod hec porta clausa, per quam nemo carnalis est ingressus, et Deus Israel per eam ingressus

(37) Lam. 5,11.

(38) Ier. 31,22.

(39) Salm. 2,7.

(40) Is. 62,1.

(41) Is. 9,7.

(42) Ez. 44,1.2. Cf. *Pugio*, 760.



est, et semper fuit clausa, nichil aliud potest significare nisi virginitatem gloriosissime Virginis Marie, veri regis Messie genitricis. Generatio ergo seu nativitas regis Messie fuisse patet miraculosa.

Adhuc dicta conclusio probatur per textum illum qui est Isaie, 7 cap. originaliter, et in Evangelio Mathei, cap 1, recitative, qui fuit dictus regi Achaz, cum propheta Isaias, ut converteretur a peccatis suis, et ut veram haberet fidem in Deo, eum invitaverat dicens:

«Pete tibi signum», etc. (43).

Quod renuit. Et respondens ei propheta, ait:

«Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel» (44).

Iudeus vero dicit prefatam prophetiam non posse intelligi de B. Virgine Maria, et faciet contra hec tria argumenta:

Primo, enim, quoniam virgo hebrayce dicitur «bethula», et hic non dicit nisi «halma».

Secundum argumentum, quoniam ista prophetia non esset aliquod signum ipsi Achaz, quoniam hoc fuit post Achaz ultra quingentos annos.

Tercium, quoniam nomen filii B. Marie non fuit Emmanuel sed Iesus.

Et si forsan interrogatur iudeus: Propter quid dicitur prefata prophetia? Respondebit dictus iudeus, quod propter uxorem Achaz, que peperit Ezechiam, nam fuit Deus cum eo, iuxta interpretationem vocabuli Emmanuel.

Ad quod dico quod nichil horum habet locum.

Nam, quando primo inquit quod 'debebit' [E. debebat] dicere seu dixisse bethula. Dico quod in hebrayco sunt tria nomina quasi idem significancia, scilicet: naharra, bethula, halma. Est tamen differentia inter ea, quoniam naharra dicitur pro femina iuvene et paucorum dierum non habendo respectum an sit virgo vel corrupta, quoniam hec dicio dirivatur a dictione naharut, quod idem est quod adolescencia et puericia.

Bethula vero dicitur pro femina a viro incognita, nullo habito respectu ad etatem, an sit modice etatis vel magne. In tantum quod aliqua femina, sive sit quindecim annorum, sive octuaginta, dum tamen non sit a viro cognita, appellabitur bethula.

Halma vero duo significat, sive notat, scilicet, quod sit viro incognita, et quod sit iuvenis, sive in pauca etate constituta. Que duo erant de facto in Beata Virgine Maria (45.)

Hec autem est propria significatio istarum trium dictionum, quam

(43) Is. 7,11.

(44) Is. 7,14; Mt. 1,23. Cf. *Pugio*, 745-746; 739 ss.

(45) Cf. *Pugio*, 738.

vis Scriptura large loquendo, unum pro reliquo sepe sumat. Propheta tamen, volens loqui stricte et proprie, recepit hoc vocabulum halma, quod idem est quod esse iuvenem et virginem.

Item, quoniam efficacius significat hoc nomen halma virginitatem quam quodcumque aliorum dictorum vocabulorum. Quoniam eius interpretacio in lingua hebrayca est quid clausum et occultum, quod non est sic de ceteris nominibus supra dictis.

Contra secundum quidem argumentum dico quod istud signum minime ad Achaz dirigebatur; quoniam postquam propheta eum invitaverat ut peteret signum, ut Achaz a perversis oppinionibus ydolatrie revocaretur, et Achaz cum pertinacia et duricia cordis respondente: «non petam, et non temptabo Dominum» (46), volvens se propheta ad domum David, nunciavit signum magnum, et ingens bonum, quod Deus facturus erat domui illi, et qualiter ante quam illud esset multa 'adversa' [E. perversa] sequerentur, et dissensiones, tam in terra Israel, quam in terra Iuda, ut subiungit infra, eodem capitulo. Hoc patet enim esse verum, ex quo quidem cessasset loqui cum Achaz in singulari, et locutus est cum domo David in plurali, promittens eis signum, etc.

Contra tertium vero argumentum, ubi iudei dicunt quod filius B. Marie non habuerit nomen Emmanuel, sed Iesus, dico esse notorium per diversas Scripturas atque prophecias, in hebrayco plura ac diversa nomina eius reperiri. Iacob quidem vocavit eum Svlo, Genesis, capitulo 49 (47). David autem in psalmo qui incipit «Deus iudicium tuum regi da», vocavit eum «ynnon» (48) quod idem est quod permanens. Ieremias vocavit eum: «Iustus noster» cap. 23 (49). Isaias autem vocavit eum nominibus octo: «Admirabilis. Consiliarius», etc., cap. 9 (50). Quoniam omnia ista nomina imponebantur sibi respectu seu intuitu virtutum suarum, et suarum operacionum, que secuntur ab ipso in nobis.

Hoc enim nomen Emmanuel est valde sibi consonans cum significet divinitatem, in quantum interpretatur Deus, et humanitatem, in quantum nobiscum.

Ulterius, ad quod iudeus inquit quod prefata prophecia est dicta pro Ezechia.

Hoc est manifeste falsum, quoniam verba hec dicta fuerunt ad Achaz regem, in quarto anno quo ipse regnabat, quando Facee, rex Samarie, et Resin, rex Sirie, iverunt ad conflictum contra Ierusalem, ut dicitur Isaias cap. 7. Achaz quidem regnavit ad complementum 16 annorum,

(46) Is. 7,12.

(47) Gen. 49,10.

(48) Salm. 71,17.

(49) Ier. 23,6.

(50) Is. 9,6.

ut patet quarto Regum, cap. 16 (51). Mortuo Achaz regnavit Ezechias, etatis 25 annorum, cap. 18 (52). Tollendo de 25 annis 12 annos, qui de regno patris sui restabant post dictam prophetiam, sequitur quod cum dicta propheta fuisset dicta, Ezechias erat 13 annorum. Ergo non poterat nasci.

Et si iudei dicerent quod hoc fuit dictum pro alio quovis filio Achaz, seu Isaie, valde mirandum esset, qualiter post hoc, textus nullam fecerit mencionem de eo, postquam ita miraculose natus erat. Et videtur per verba prophete, quod signum, quod ipse erat daturus, debebat esse res valde miraculosa et excellens, cum dixerit «in profundum inferni, sive in excelsum supra». Et rabi Salomon declarat quod sive esset signum resurgendi eos, qui mortui fuerunt, aut faciendi solem stare in medio celi, quemadmodum fecit ipsi Iosue. Si ergo signum futurum erat de re tam excellenti, tamque mirabili, sicut dixit rabi Salomon, qualiter fuit subsequenter de re tam simplici, et modica, scilicet, quod una mulier iuvenis pareret unum filium, cum hoc quotidie naturaliter eveniat, et mulieres iuvenes concipiant et pariant?

Et si iudei dicerent miraculum fuisse in hoc quod propheta vaticinatus est quod illud quod esset paritura esset filius, vel masculus, Dico ad idem in hoc nullum fuisse miraculum, cum unus bonus medicus, et alius astrologus bonus, per signa naturalia, hoc sine dubio preosticari possunt.

Oportet igitur dicere quod hoc miraculum et signum tam excellens erat quod illa pareret virgine existente, et post partum virgine permanente. Et sic sequitur conclusio nostra sufficienter esse probata, scilicet, generationem et nativitatem Messie esse atque fuisse modo miraculoso.

Et hec quoad informacionem secunde interrogacionis dicta sufficiant.

---

(51) 4 Reg. 16,2.

(52) 4 Reg. 18,2.



## SESION XXIX

DIE VERO MARTIS, sexta iunii, prenomínatus magister Ieronimus, in presencia Sanctissimi domini Nostri Pape, in publico consistorio existentis, iudeos prefatos super tercia interrogacione taliter informavit, inquiring sub hiis verbis:

Tercia quidem interrogacio fuit:

An solum homo, aut simul Deus et homo, futurus erat Messias.

Ad quod vos, iudei, respondistis quod erit homo sancte vite, aliam naturam esse in eo divinam non credentes.

Propositi quidem mei est, prestante Deo, vobis difuse probare, qualiter super errore non modico sine dubio estis detenti, hoc cogitantes; et qualiter conclusio verissima est quod Messias verus Deus, et verus homo, ut tenet sancta fides orthodoxa, erat futurus. Et quidem hec conclusio satis deberet esse sufficienter probata per prophetias superius allegatas. Nam postquam plene probavimus et conclusimus generacionem Messie non debere provenire ab homine carnali, nisi a verbo divino et ex Spiritu Sancto, sequitur necessario in eo esse naturam divinam.

Verum, ad clariorem et evidenciosem corroboracionem dicte conclusionis, adhuc nonnullas prophetias, auctoritates et glosas rabinorum talmudistarum possumus superaddere, cum quibus iudei super errorem, quem pertinaciter sustinent contra idem, noticiam habeant pleniorum.

Et primo enim reperimus prophetam Isaiam cap. 52, loquendo de Messia, sic dixisse:

«Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde» (1).

Hec autem prophecia, secundum communem oppinionem omnium

---

(1) Is. 52,13.

hebraystarum antiquorum et modernorum, loquitur de Messia. Translatio enim caldaica dicit:

«Ecce prosperabitur servus meus Messias» (2).

Preterea Rabi Salomon prorumpit in hec verba (3):

«Nostrī rabini declarant atque intelligunt hanc prophetiam super Messia, quoniam ipsi dicunt quod Messias erat passionandus, et erat passurus, ut dicitur in capitulo sequenti: «Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit» (4).

Dicit ulterius rabi Salomon:

«Rabini nostri istum textum sic declarant: Exaltabitur plusquam Abraham, et elevabitur plusquam Moyses, et sublimis erit valde plusquam angeli» (5).

Certum enim quod, secundum opinionem iudeorum, duo solemniores quam fuerint actenus homines in universo fuerunt Abraham et Moyses. Abraham, quia erat verus Dei amicus, et quia habebat plenam et fidem veram in Deo. Et Moyses, quoniam habebat claram Dei noticiam, et influenciam prophetie, plusquam omnes humani ante adventum Christi. Et dicit auctoritas quod Messias omnes istos excedet. Ex quo videtur quod excellencius erit eius esse, quam nature humane. Et dato quod vero iudei dicatis, quod bene potest, non habendo naturam divinam, supradictos excedere, quid enim dicetis ad illud quod subiungitur «et sublimis erit valde plusquam angeli?» Si igitur sublimior est quam angelica natura, non potest esse nisi ipsemet Deus. Ex quo patet per hanc glosam rabinorum quod Messias non solum debuit esse homo, sed etiam Deus.

Probatum adhuc quod Messias sit ipse Deus, per quamdam auctoritatem, que est in Beresith Rabba, et in textu talmudico, ubi sic dicitur (6):

«Legunt magistri: decem reges regnarunt ab una parte mundi usque ad aliam. Primus fuit dominus Deus noster, hora qua creavit mundum. Secundus fuit Nembrot. Tercius Ioseph. Quartus Salomon. Quintus Nabuchodonosor. Sextus Darius rex persarum, qui regnavit in Babilonia. Septimus fuit Cyrus. Octavus fuit Alexander. Novenus fuit Cesar Augustus, imperator romanus. Decimus est rex Messias, de quo dixit psalmista: «Et dominabitur a mari usque ad mare» (7). Et Daniel etiam de eo dixit, cap. 2: «Lapis autem qui percusserat sta-

(2) Cf. *Pugio*, 861.

(3) Cf. *Pugio*, 535.

(4) Is. 53,4.

(5) Cf. *Tanhuma*, in Gen. 27,30.31.32: *Yalkut*, Remes, 473; *Ber. R. de Darshán*, par. 68, in Gen. 28,10 (ed. B. N. 70-71); *Pugio*, 535.

(6) *Beresit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 91, in Gen. 42,6 (ed. B. N. 92-95. *Pugio*, 397-398). Cf. *Pirqe Rabi Eliezer*, pereg 11 (B. N. ib. 134-137).

(7) Salm. 71,8.

tuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram» (8). Dixit infra in eodem capitulo: «In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus celi regnum, quod in eternum non dissipabitur» (9). Et cum hoc rege decimo, revertetur regnum ad primum Dominum; qui fuit prius rex est rex ultimus, quoniam sic inquit propheta Isaias, cap. 44: «Hec dicit Dominus, rex Israel et redemptor eius, Dominus exercituum: Ego primus, et ego novissimus» (10). Item ait Zacharias, cap. ultimo: «Et erit Dominus rex super omnem terram» (11).

Ecce qualiter dicit manifeste hec autoritas quod Messias, qui est novissimus illorum decem, ipsemet est Deus noster, qui est primus.

Item potest probari quod Messias est ipsemet Deus per verba Isaie cap. 8, ubi dixit:

«Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester; et ipse erit vobis in sanctificationem, et in lapidem offensionis, et in petram scandali duabus domibus Israel; in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem» (12).

Dicitur in libro de Sanhedrin super illa propheta:

«Non veniet filius David usque consumentur due domus paternaes Israelis, que sunt finis captivitatis Babilonice et princeps terre Israel, quoniam scriptum est «et ipse erit vobis, etc.» (13).

Et declarat Rabi Salomon: «Et erit eius salvator Israelis in sanctuarium, et in lapidem offensionis, et in rupem scandali, duabus domibus Israel» (14).

Videtur ergo, per eius verba, quod ille salvator Israel, quem declarant in Sanhedrin quod est Filius David, in cuius adventu due domus Israel corruent, illemet est de quo in principio prophete dicitur: Dominus exercituum. Ecce qualiter manifeste petet Messiam esse Deum.

Potest adhuc probari Messiam esse Deum per hoc nomen Salomon, quod est impositum in sacra Scriptura ad significandum primo communiter regem Salomonem, filium David. Item imponitur ad significandum Messiam, quod videtur per psalmum 71, qui secundum omnium oppinionem, tam catholicorum quam eciam ebreorum, loquitur supra actibus Messie, et intitulum a Salomone. Item hoc nomen imponitur eciam Deo, quoniam sub illo titulo ordinatur totus liber de Canticis Canticorum, in tantum quod inquit Talmut vestrum, quod omne nomen Salomon positum in libro de Canticis Canticorum, intelligitur de Deo. Et iuxta has significaciones Salomon dicitur in libro vocato Glosa

(8) Dan. 2,35.

(9) Dan. 2,44.

(10) Is. 44,6.

(11) Zach. 14,9.

(12) Is. 8,13.14. Cf. *Pugio*, 343.

(13) Sanh. 38 a. Cf. *Pugio*, 343.

(14) Cf. *Pugio*, 343.

moralis super Canticis Canticorum, super illo textu ubi dicitur, capitulo 3: «Egredimini et videte, filie Syon regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsacionis illius, et in die leticie cordis illius» (15).

Inquit rabi Hayman: Perscrutati sumus totam Scripturam, et non reperimus quod Betsabee faceret coronam Salomoni, filio eius. Ex quo mirandum est quid velit dicere illa corona, qua coronavit eum mater sua. Dicit rabi Iohanan: Peciit rabi Symeon a rabi Eleazar, filio rabi Iuḡef, et dixit ei: Audisti enim actenus a patre tuo que corona erat illa, quam imposuit Salomoni mater eius? Qui respondit: Ymo. —Atque iste: Et quid? Cui ille respondit: Ille Salomon est Deus, qui in principio cepit Israel, et vocavit eos filiam, quoniam sic inquit psalmista de eis: «Audi, filia» (16): Item dilexit eos amplius, et vocavit eos sororem, quoniam sic inquit in Canticis Canticorum, cap. 5: «Aperi michi, soror mea» (17). Item adhuc vocabit eos matrem, quoniam sic dicit Isaias, cap. 51: «Attendite ad me, populus meus, et tribus mea» (18), 'et' [E. (—)] mater mea, scriptum est (19). Surrexit tunc rabi Symeon, et osculatus est eum in capite, dicens ei: Si non venissem, nisi ut verbum hoc audirem, michi sufficeret» (20).

Optime autem manifeste claret, qualiter iste Salomon, in ista auctoritate nominatus, pro Deo sumatur, et quod 'illo' [E. ille] met dicitur de Messia, pro eo quia vocavit Ierusalem matrem; et intencio huius est, quoniam in illius genere voluit carnem suscipere; et illa est corona in textu nominata. Ex quo concluditur illum met esse Messiam.

Ulterius, in Glosa morali super psalterio vobis clare ostenditur hec eadem conclusio, unum textum declarando, quam dixit psalmista psalmo 35, ibi cum dicitur: «Quoniam apud te est fons vite, et in lumine tuo videbimus lumen» (21):

«Dicit rabi Iohanan: Simile est hoc quidam homini, in nocte tenebrosa itineranti, cum lumine unius candelee, que, vento flante, extinguitur, et ille reincendit eam, et ventus reextinguit sepe sepius ac sepiissime, usquequo inquit: tantum quantum debeo laborare in illuminatione huiusmodi candelee, liberius lumen solis volo expectare, quod a nemine extinguetur secure. Pari quidem forma populo accidit israelitico. Fue-

(15) Cant. Cant. 3,11.

(16) Salm. 44,11.

(17) Cant. Cant. 5,2.

(18) Is. 51,4.

(19) *Pugio*, 699: «...populus meus, et *leummi* plebs mea ad me intendite». «Non *ummi* plebs mea, sed *immi*, mater mea, fuit scriptum».—Y en la p. 851: «Attendite ad me populus meus, et *ummi* plebs mea *immi* mater mea fuit scriptum».

(20) *Shir ha-Shirim Rabbá*, 3,11. Cf. *Pugio*, p. 698-699; 851 (*Pugio* pone R. Hanina, en vez de R. Hayman).

(21) Salm. 35,10.



runt enim in Egipto diu subiecti: venientibus 'cum' [E. tum] Moysse et Aaron, fuerunt liberati. Demum in subiectione tempore citra reducti. Venientibus autem Barach et Debbora prophetisa, fuerunt liberati per eosdem. Et iterum fuerunt subiugati in Babilonia. Venientibus [E. + autem] Zorobabel, et Neemia, et Esdra, et liberati sunt. Et hoc videntibus, dixerunt: Valde tribulamur in hiis liberacionibus, quia cum sint in manu hominum carnalium, non sunt alicuius duracionis. Expectemus, igitur, Dei met salvacionem, quando illa erit perpetua. Et hoc est quod dixit psalmista, psalmo 117 (22): «Deus Dominus, et illuxit nobis» (23).

«Dixit rabi Hamma: «Moyses glorificabat Israel dicens Deuteronomii, cap. 33: «Beatus es tu, Israel. Quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino?» (24). Non enim dicit: «popule, quem salvabit Dominus»; sed «popule, qui salvaris in Domino». Dixit Deus: vos in hoc mundo salvi estis per manus hominum; tempore vero futuro ego met ero redemptor vester; amodo numquam eritis subiecti» (25).

Hucusque verba sunt istorum doctorum. Unde facio talem racionem:

Dato quod Messias esset tantum homo carnalis, absque hoc quod in eo esset aliqua natura divina, adhuc quod omnia [que] in redempcione erat facturus cum potestate divina faceret, quemadmodum Moyses, et Aaron, ceterique fecerunt redemptores non esset duratura ipsius ad eosdem; et dato quod aliqua esset duratura, esset solum secundum magis et minus, sed non in tantum quod una redempcio hominibus attribueretur carnalibus, alia vero non. Hic tamen videmus, oppositum, quoniam isti doctores attribuunt omnes redempciones preteritas hominibus carnalibus, non obstante quod ipsi met credant eas fieri divina virtute, et miraculis mediantibus per eum factis. Redempcionem vero Messie attribuunt Deo. De necessitate ergo concluditur Messiam esse ipsum met Deum.

Verum, et licet, contra vestram responsionem, esse in Messia naturam divinam sufficienter probaverimus, ad vos super hoc reddendum cerciores, et magis contentos, supra eadem conclusione verissima et catholica, volo vos amplius informare, et per dicta vestrorum rabinorum Messiam non solum Deum, sed Deum verum et hominem verum simul esse probare.

Habetur enim in quodam libro, Çifra vocato, ubi sic inquit doctor: «Quid voluit dicere Deus in lege Levitici, cap. 26: «Et ambulabo

(22) Salm. 117,27.

(23) *Midrash Tehil·lin*. in ps. 36,10. Cf. *Pugio*, 641-642.

(24) Deut. 33,29.

(25) *Midr. Vayikrá R.* in Lev. 17,3. Cf. *Pugio*, 643 (que pone R. Ammi, en vez de R. Hamma). La misma idea se expresa en *Bereshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 98, in Gen. 49,8 (ed. B. N. 102-103; *Pugio*, 643-644).

in medio vestri, et ero vobis ad Deum, et vos michi ad populum?» (26). Dicit doctor: Simile est hoc cuidam regi in virgulto suo, ad solaciandum cum eius ortolano, exeunti. Quem videns ortolanus abscondit se. Cui rex alloquitur sub hac forma: Ne timeas, ne abscondas te a me, quoniam similis tui sum. Ita tempore futuro Deus ambulabit inter iustos et solaciabitur cum eis, et iusti eum videntes timebunt. Quibus Deus dicit: Non oportet vos tremere seu timere propter me, quoniam similis vestri sum. Verumtamen, et si sum similis vestri, credetis quod timor meus non debet esse super vos, scitote quoniam Deus vester sum, vos autem populus meus» (27).

Ecce patet manifeste qualiter debebat esse homo carnalis et Deus.

Adhuc in Talmut in libro vocato Tahānith, in capitulo quod incipit bislosa peraquin, est quedam auctoritas magni doctoris rabi Eliezer, ex qua manifeste patet Deum debere incorporari et incarnari, et dicit sic (28):

«Dicit rabi Eliezer de nomine Rabi Halabu: Tempore venturo Dominus Deus noster faciet tripudium cum iustis in Paradiso, et ipse erit in medio eorum, et tunc quilibet ostendet cum digito, quoniam sic inquit Isaias, cap. 25: «Et dicent in die illa: Ecce Deus noster iste; expectavimus eum, et salvabit nos. Iste Dominus, sustinuimus eum, et exultavimus, et letabimur in salutari eius» (29).

Ecce patet manifeste, qualiter esset Deus tempore Messie incorporatus inter iustos, in tantum ut eum possent oculariter videre, et etiam eum cum digito monstrare. Et ideo replicuit propheta hoc vocabulum «iste». Hoc enim completum est cum Dominus Noster verus Messias ambulabat inter Apostolos, sicut homo verus, manducans cum eis atque bibens.

Ecce igitur manifeste probatum qualiter responsio per vos in hoc casu facta, et opinio quam in eo pertinaciter servatis, sunt valde erronee, atque non immerito reprobate.

Remanet igitur nostra conclusio verissima: Messiam, scilicet, esse Deum verum, et hominem carnalem verum. Et cum hoc finem impono huic interrogacioni.

(26) Lev. 26,12.

(27) *Sifra* (Behukotai, 3,1), in Lev. 26,12. Cf. *Pugio*, 732-733.

(28) Ta'anit, 31 a. Cf. *Pugio*, 733.

(29) Is. 25,9.

## SESSION XXX

DIE VERO MERCURII, quarta decima dicti mensis iunii, in presencia dicti S. Domini N. Pape, dictus magister Ieronimus constitutus, subsequenter proposuit dicens:

Quarta enim interrogacio fuit:

An eius adventus debuerit esse ad salvandas animas ad vitam spiritualem, aut solum corpora ad vitam temporalem.

Vos quidem iudei, ad salvandum dicitis populum israeliticum a corporum captivitate directe venire, ex qua pretensa liberacione, ut asseritis, sequetur quod populus poterit mosaycam legem, que ad vitam ducit eternam, inviolabiliter observare.

Ad quod dico: Quod, ut vos in veritate, a qua omne bonum, quod genus humanum incessanter atque continue expectatur, proculdubio dependet, plene, informemini, et vos ab isto errore durissimo, quem tenetis adhuc indiscrete, radicitus removeamini, duo, si diligenter attendatur, sunt necessaria: Primum siquidem, prefatum errorem, in predicta vestra responsione habitum, rationibus sufficientissimis revocare seu annullare. Secundum vero, verissimam oppinionem atque catholicam, que vestre de directo est opposita responsioni, tam prophetarum textibus quam auctenticis auctoritatibus, hic in conspectu omnium fundamentaliter probare.

Et quantum ad primum dico: Quod per vestram constat responsionem quod finis adventus Messie, directe et per se, est ad restaurandum corpora et illa portare ad terram, ubi abundant in bonis temporalibus, et quod, illis mediantibus, indirecte sequeretur quod, cum illorum bonorum temporalium abundancia, poterunt optime legem mosaycam observare. Et cum illo poterunt spiritualia bona et vitam acquirere eternam.

O indiscreti et imbecilles, quantum est hec oppinio extra omnem naturalem rationem et theologalem, propter multa:

Et primo, quoniam certum est, secundum omnium oppinionem communem, premium a Deo retributum multo maius esse quam meritum. Quod pluribus rationibus reperimus esse fundatum:

Primo, namque, quoniam omnis remuneratio pro quocumque generaliter alicui facta, maioris debet esse gracie quam servitium quod quisquis noscitur ab eo recepisse, cui est retributio fienda, esto quod hii duo, scilicet, impensor servitii, et remunerator eiusdem, in equali gradu existat. Verum, si servitium recipiens in maiori gradu existat seu preeminencia quam impensor, tunc oportet facere retributionem in multo pluri quam fuerit servitium sibi impensum, cum persona que recipit debet merito hic attendi, secundum cuius gradum, seu conditionem debet fieri retributio, ut refert Alexander, qui cum quidam pauper peteret ab eo eleemosynam mandavit sibi dari civitatem; et cum interrogaretur cur tam magnum donum sibi dari mandabat tam vili homini, respondit quod cum ipse respectum haberet ad dantem, et non ad recipientem, non minus donum erat ab eo tribuendum.

Dum dator igitur et remunerator sit ipse Deus, cuius misericordia et gracia est ita superabundans et excellens, quod nulla est comparatio ad meritum, nam unus Dei titulorum est, quod est multe misericordie; bene profecto nostis quod vestri doctores declarant, quod hoc vocabulum misericordia significat bonitatem multo plus quam regula precipit ordinaria. Et Deus virtute illa nobiscum utitur, ut inquit psalmista, psalmo 116:

«Quoniam confirmata est super nos misericordia eius» (1).

Item inquit psalmo 102:

«Quoniam secundum altitudinem celi ad terram, corroboravit misericordiam suam super timentes se» (2).

Ulterius dixit:

«Misericordia autem Domini ab eterno, et usque in eternum super timentes eum; et iusticia illius in filios filiorum, hii qui servant testamentum eius, et memores sunt madatorum eius ad faciendum ea» (3).

Sequitur igitur quod premium a Deo receptum, vel quod ab eo recipimus, est multo plus maiori gradu quam meritum.

Facto igitur hoc fundamento, qualiter patitur ratio quod de merita patriarche Abrahe, que fuerunt solemnissima, cum contram sectam patris eius propter Dei cognicionem personaliter veniendo, tum quia in

(1) Salm. 116,2.

(2) Salm. 102,11.

(3) Salm. 102,17.18.

ignem Hur caldeorum, propter fidei sustentacionem, se proici permisit, tum in predicando fidem Dei, et eam constanter et inconcusse observando, tum eciam quia filium, quem sibi Deus dederat in heredem, in etate centum annorum constituto, quem, postquam ipsum nutrierat, Dei precepto et voluntati eius cupiens obedire, deliberate ad immolandum perduxit. In tantum quod Deus eum vocavit suum amicum, dicens propter eum ad Isaac, filium eius, Genesis cap. 26:

«Eo quod obedierit Abraham voci mee, et precepta mea custodierit, et mandata, et cerimonias legis servaverit» (4).

Et hac quidem forma qua fuit Abraham valde perfectus in Dei servicio et in eius dileccione, fuerunt eius filius Isaac, et nepos eius Iacob, adeo quod inquit psalmista de eis, psalmo 104: «Et pertransierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum. Non reliquit hominem nocere eis; et corripuit pro eis reges. Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari» (5).

Considerata igitur tam excellenti dileccione, quam habuit Deus ad patriarchas propter eorum magna merita, considerato eciam premio de Deo, quod absque ulla comparacione debet esse in excellenciori gradu quam meritum, considerato insuper quod principalius et maius premium fuit semper pro tempore Messie promissum. Ex quibus quidem omnibus sequitur quod bonum pro tempore Messie promissum debebat esse quid magne valde estimacionis.

Vanissimum ergo esset dicere quod premium illud et tam excellens retribucio esset solum dare unam terrarum tocius universi in hereditatem; quoniam, et si nullum Deo servicium impendissent, aliquam terram habuissent; nulla fuit nacio mundi, et licet nequissima, et ydolatra, quin Deus aliquam terram ad inhabitandum eis dederit.

Unde oportet ergo necessario dicere quod terra illa promissa per prophetas in adventu Messie, significabat aliquid excellencius et solemnius quam sit terra materialis, presertim cum clare dixerit ac promiserit dare terram prefatam patriarchis, et nedum tribui vel generi suo, verum eciam ipsis met, quoniam sic inquit ad Isaach: «tibi enim et semini tuo, dabo has universas regiones» (6). Item dixit Iacob: «Terram, in qua dormis, dabo tibi et semini tuo» (7). Et non reperitur quod aliquis eorum aliquid terre illius possederit; vacua fuisset illa promissio et inutilis, et illud servicium quod ipsi idem Deo impenderant.

Ex quo sequitur dictam vestram oppinionem non esse veram, nec alicuius esse momenti.

(4) Gen. 26,5.

(5) Salm. 104,13-15.

(6) Gen. 26,3.

(7) Gen. 28,13.

Secunda ratio: Esto quod Messias ille veniat per modum quem vos ponitis, et populus de cunctis extremitatibus totius universi ad terram, promissionis congregetur, certum quidem est quod, tunc temporis, cursus mundi et natura eius sequetur quemadmodum et nunc, et ita erunt divites, pauperes, sani, egri, nasci et mori, sicut nunc; et prosperitas tota illius temporis nichil aliud erit quam liberos esse a captivitate. Quoniam sic inquit doctores talmudiste: Quod non est differentia huius temporis ad dies Messie, nisi subiugatio regnorum (8). Et hoc asserit rabi Moyses in fine libri vocati *Sofrim*, capitulo ultimo, ubi dicitur:

«Non cogites quod tempore Messie aliquid mutetur de cursu naturali, etc.»

Iuxta igitur istam opinionem, ponamus quod in itinere, aut sicut fuerint in terra illa, aut post tempus modicum, quo fuerint ibidem, aliqui eorum moriantur, qui cum illo erant, et ipsum sequebantur. Ubi est gloria et bonum istorum, quod propter expectare Messiam habuerunt? Vere nichil, quoniam isti numquam habuerunt tempus, nec locum ubi pausarent seu quiescerent, nec bona temporalia, mediantibus quibus, ut asseritis, habent acquirere spiritualia. Sequitur quod propter expectationem quam isti in adventu Messie, nec propter labores et captivitatem quam actenus eum expectantes sustinuerunt, nichil eis 'esse' [E. est] acquisitum.

Ergo, etc.

Tercia ratio: Naturale quidem est quod quanto plus homines abundant in bonis temporalibus, magis sunt dispositi ad peccandum; et presertim hec profecto proprietas reperitur pro semper in populo hebreorum. Et hoc patet tam per textum quam per experientiam. Per textum quidem, scriptum est Deuteronomii cap. 32:

«Incrassatus est dilectus et recalcitravit; incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo» (9).

Per experientiam, enim reperimus quod semper, quando populus habebat aliquam prosperitatem aut requiem, incontinenti ydolatrabat et Deum dimittebat, usquequo veniebat eis persecutio. Tunc cum laboribus in tribulationibus quas paciebantur, convertebantur ad penitentiam. Deinde, cum reverterentur ad eorum prosperitatem, iterum incontinenti contra Deum insurgabant.

Secundum hoc ergo, qualis ratio patitur, seu admittit quod talis populus sit in tempore Messie in temporali prosperitate in perpetuum positus, et quod bonis temporalibus mediantibus, legem Dei, per quam

(8) Cf. Shabbat, 63 a; Bērakot, 12 b; Sanh. 91 b; Pesahim, 68 a.

(9) Deut. 32,15.

habere debeant bonum spirituale, observent, cum huiusmodi fuerit oppositum perpetratum, et inconcusse amodo servatum?

Per omnes autem rationes prefatas, responsiones vestras nullum patet penitus habere locum. Quod igitur sic latissime probato, restat nunc probare qualiter adventus Messie erat principaliter ad animas salvandas a penis infernalibus, et eas reducere ad beatitudinem eternam.

Est tamen verum quod hec quarta interrogacio nequit ad plenum probari absque probacione quinte interrogacionis, que est: Quod peccatum patris Adde non fuerit remissum donec venerit Messias; et sexte etiam, que est: Quod Messias erat passurus mortem propter purgacionem peccati.

Ad dictarum igitur trium conclusionum plenior declarationem, convenit scire quod punicio principalis que ex peccato provenit Adde, fuit quia post eum omnes anime illorum qui nascebantur, tam peccatorum quam iustorum, in infernum descendebant; et hoc duravit usque quo venit Messias, qui liberavit et extraxit eos inde. Qualiter tamen hoc probabitur esse verum?

Dico quod hoc patet per diversos textus prophetarum et diversas auctoritates:

Et primo dicitur in Glosa morali super Ruth, super textu, capitulo ultimo, ubi inquit (10):

«Iste sunt generaciones Phares» (11).

Et in Beresith rabba Minori dicit doctor (12):

«Omnia loca ubi in Scriptura est hoc vocabulum «generaciones», quod est in hebreo Toldoth, sunt deffectuosa, et libri sunt deffectuosi, quoniam defficit eis o ultimum, duobus dumtaxat exceptis, et sunt iste due: «generaciones celi et terre» (13), Genessis cap. 2, et: «Iste sunt generaciones Phares» (14). Dicit rabi Barachias: Quod causa istius est? Quoniam, in principio mundi creacionis, Deus cuncta creavit valde bona et perfecta, et ideo hoc vocabulum «Toldoth celi et terre» est completum; et cum peccaret Addam fuerunt omnia maculata, et defectuosa, et numquam ad statum pristinum redierunt, usque quo venit Messias, qui est de genere Phares. In adventu Messie reducta seu restituta fuerunt in eorum perfeccione, et ideo hoc vocabulum est completum seu perfectum».

(10) *Ruth Rabbá*, par. 8, in Ruth, 4,19. Cf. *Pugio*, 287.

(11) *Ruth*, 4,18.

(12) *Beresith Rabbá*, par. 12, in Gen. 2,4. Cf. *Pugio*, 288 y 604.—Vide misma idea en *Beresith Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 12, in Gen. 2,4 (ed. B. N. 32-33).

(13) *Gen.* 2,4.

(14) *Ruth*, 4,18.

Item dicitur in Exodo magno, super textu: «ista sunt iudicia que pones coram eis» (15). Dicit sic:

«Tu invenies omnes generaciones Toldoth Scripture deffectuosas, exceptis duabus, que sunt iste, scilicet: «Iste sunt generaciones celi et terre, et: «Iste sunt generaciones Phares.» Et habent magnum misterium, et est hoc: Quoniam, propter quid «iste sunt generaciones celi et terre», et: «Iste sunt generaciones Phares.» Et habent magnum misterium aliquis angelus mortis, et ideo illud Toldoth est completum. Ex quo peccarunt Addam et Eva, sunt diminute omnes generaciones; et cum venit Phares, eo quod Messias descensurus erat ab eo, omnes generaciones redibunt ad suum statum, quoniam in diebus Messie, filii eius, Deus destruet, et evellet mortem de mundo, ut dixit Isaias cap. 25: «Destruxit mortem ad semper» (16). Et ideo illud Toldoth est completum (17). Ex ista quidem auctoritate potest quis extrahere seu elicere duas conclusiones:

Prima est: quod mors illa, quam textus nominat pro punitione peccati Adde, est mors anime, scilicet, privacio vite spiritualis. Et hoc patet per illud quod in auctoritate dicitur: Quod cum veniret filius Phares, qui est Messias, destrueretur vel delebitur mors de mundo, et quod redibit mundus ad primevam perfeccionem, in qua erat antequam Addam peccasset. Hoc autem de morte corporali nequit intelligi, cum illa, iuxta communem oppinionem, tam catholicorum quam hebreorum, non deletur seu destruitur per adventum Messie. Et adhuc quamplures rabini hebreorum tenent pro certa oppinione, peccatum Adde fuisse remissum cum Abraham recepit circumcisionem. Quod probant per textum positum Zacharie, cap. 9: «Eciam tu, per sanguinem pacti tui, emisti captivos tuos de puteo in quo non sunt aque» (18). Quidam vero intelligunt sibi fuisse remissum cum legem receperunt in Mote Synay, quoniam sic dicitur in Talmut:

«Quando serpens iunxit se Eve, eiecit eam in feditatem; tamen Israel, quia stetit in monte Synay, deleta est eius feditas; sed aliarum gencium, que non fuerunt ibi, non fuit deleta feditas.»

Ecce qualiter secundum omnium istorum oppinionem, qui credebant quod peccatum Adde esset deletum, ostenditur quod mors non erat deleta. Ex quo necessario sequitur quod mors comminata Adde non significat mortem materialem solum, sed adhuc spiritualem.

Et quia pro presenti ad manus venit hec interlocutoria seu incidens illius textus, quem ipsi applicant ad circumcisionem Abrahe, valde bonum est et utile, ut in eo aliquid loquamur, quamvis incidenter,

(15) Ex. 21,1.

(16) Is. 25,8.

(17) *Shemot Rabbá*, par. 30, in Ex. 21,1.

(18) Zach. 9,11.



et est istud: In dicto enim textu, nec in aliquo illius capituli, nulla fit mencio de Abraham; sed clare loquitur in factis Messie, quoniam sic incipit prophecia:

«Exulta satis, filia Syon, iubila, filia Ierusalem: ecce Rex tuus venit tibi iustus et salvator; iste pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asine. Et disperdam quadrigam ex Effraym, et equum de Ierusalem; et dissipabitur archus beli; et loquetur pacem gentibus, et potestas eius a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad terminos terre. Eciam tu in sanguine testamenti, etc.» (19).

Non est dubium, secundum commune dictum, hanc propheciam loqui de Messia. Oportet igitur quod, cum inquit: «Eciam tu in sanguine», etc., quod debeat intelligi de sanguine Messie in quo loquitur prophecia; ubi manifeste dicitur quod, propter meritum sanguinis, remittuntur seu liberantur captivi, vel redimuntur de puteo in quo non est aqua, scilicet, inferno (20).

Modo autem ad propositum redeundo, dico quod secunda conclusio, sequens ex dicta auctoritate, est quod cōictum peccatum Adde debet esse remissum filio Phares veniente, qui est Messias. Clare enim patet per hoc quod dicitur: Quod ex quo peccavit Addam omnia sunt diminuta et maculata, et postquam venit filius Phares, cuncta fuerunt reducta in primevam perfectionem.

Verumtamen iamque probavimus quod punicio dicti peccati erat omnes animas fore privatas gloria spirituali, seu eterna. Dicta igitur privatio tenuit prefatas animas, donec venit Messias.

Adhuc hec conclusio potest probari per auctoritatem in Glosa morali super psalterio scriptam, sic inquitente:

«Quid psalmista voluit dicere psalmo 48, cum dixit: «Quique terrigine, et filii hominum, simul in unum dives et pauper?» (21). «Quique terrigine» sunt filii Adde. «Et filii hominum» isti sunt filii Nohe et Abrahe. «Dives» quidem dicitur qui est dives in sciencia legis, «et pauper», qui est pauper in ea. «Simul in unum» descendunt ad infernum, eciam quod sint duces seu capita studiorum» (22).

Manifestum quippe est, per hanc auctoritatem, omnes homines tam iustos quam peccatores, descendere ad infernum.

Item dicitur in Talmut, in libro vocato Hagiga, capitulo quod incipit Homer baqodes:

«Dicit rabi Eleazar: Contra sapientes talmudistas non habet potestatem ignis inferni. Quod probatur de salamandra. Salamandra autem, quia ortus eius est in ignem, ignis non habet potestatem in ea. Sa-

(19) Zach. 9,9-11.

(20) Cf. *Pugio*, 865-866.

(21) Salm. 48,3.

(22) Midrash Tehil-lim, in ps. 49,3. Cf. *Pugio*, 607-608.

pientes quidem talmudiste, quia ipsi met sunt ignis, multo minus» (23).

Dico quod per hanc auctoritatem patet quod iste rabi Eleazar intelligebat quod sapientes qui ibant in infernum, et ambulabant per ignem, seu in igne velut salamandra, simul cum peccatoribus; sed hac quidem preeminencia gaudentes, quia peccatores penas ignis senciebant, ipsi autem minime. Et si non esset ita, magis proprie dixisset: sapientes talmudiste non ingrediuntur infernum. Et hoc quidem non est aliud quam dicere: talibus hominibus non imponuntur cathene nec compedes; tamen intelliguntur verba hec, quod sunt capti. Et sic est hic, non sencientes in carcere penam ignis, sed sunt in inferno.

Aliam similem huic auctoritatem habemus in Glosa morali super psalterio (24):

«Dicit rabi Yuda: Quid voluit dicere David cum dixit in psalmo 85: «Quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori?» (25). Dixit sic David: Domine, sententia fornicantium est, ut stent in profundo inferni, et inde me eruisti.»

Et dicit rabi Salomon quod hoc fuit cum dixit sibi Nathan: «Deus quoque transtulit peccatum tuum; non morieris» (26).

Videtur ex hoc quod pro rato habebat quod iret ad infernum, sed gracia erat quod staret in alciori loco. Scilicet, ad non sencendum penas.

Ecce quomodo firmum et clarum reputabant doctores talmudiste quod omnes sancti patres ad infernum descendebant, ut patet per supradictas auctoritates. Quoniam adhuc de Moyse, qui facie ad faciem cum Deo est locutus, fit mencio qualiter ad infernum descendit propter peccatum Adde. De hoc enim est auctoritas in Glosa morali super Ecclesiastes, super textu ubi dicitur:

«Iustus perit in iusticia sua» (27).

«Dicunt rabini quod hoc est dictum de Moyse, qui apparebat cuidam filio cuiusdam mulieris pregnantis, capte, et in carcerem posite, que peperit ibidem; et, postquam filius nutritus fuerat, mater obiit; post dies aliquot, rege per portam carceris transeunte, puer ille exiit ad fores clamans ac dicens: Domine mi Rex: hic natus sum, et nutritus; et propter cuius delictum sum hic detentus? Ad quem rex: Fili, propter peccatum matris tue» (28).

Ecce sufficientissime probatum per omnes prefatas rationes et auctoritates qualiter punicio, ex peccato Adde proveniens, sequitur omnes

(23) Hagiga, 27 a. Cf. *Pugio*, 609.

(24) *Midrash Tehil.*, in ps. 86,13. Cf. *Pugio*, 614 (pone R. Ioden).

(25) Salm. 85,13.

(26) 2 Reg. 12,13.

(27) Eccl. 7,16.

(28) *Qohelet Rabbá*, in Eccl. 7,14. Cf. *Pugio*, 619-620.

'qui de genere suo' [E. qui de igne] exierunt, quoniam omnes anime tocius generis humani in infernum descendebant.

Tamen probabimus adhuc, Deo duce, qualiter hoc erat duraturum usque ad Messie adventum, et quod, tempore eius adventus, ipse erat eas restauraturus, et inde redempturus, seu liberaturus easdem.

Hoc quidem patet per auctoritates sequentes:

Et primo dicitur in Beresith rabba de rabi Moyse Darsan:

«Dicit rabi Osua, filius Levi: Ego ivi cum Quipoth angelo usque ad portas inferni, et misi ad eum quod mensuraret infernum ab inicio usque ad finem, et non reperit horam qua posset facere, quoniam die illo intefecerant rabi Simeonem, filium Gamaelis. Deinde reversus est cum Quipoth et ivit mecum Messias, filius David, usquequo aplicuimus ad portas inferni, et cum viderunt detenti in inferno lumen Messie, gravisi sunt valde ante conspectum eius, et dixerunt: iste est qui nos debet extrahere de tenebris istis. Quoniam sic inquit Osee, cap. 13: «De manu inferni liberabo eos, de morte redimam eos» (29). Item dicit Isaias, cap. 35: «Redempti a Domino convertentur, et venient in Syon cum laude; et leticia sempiterna super capita eorum» (30). Ista vero Syon hic dicta, non est aliud quam paradisus, quoniam ad idem infernus septem habet nomina» (31).

Usque huc sunt verba doctoris.

Clare patet per hanc prehabitam auctoritatem, quod nostra conclusio corroboretur, scilicet: per adventum Messie qui in inferno erant redempturi vel deliberaturi.

Item, in eodem libro supra dicto, est alia auctoritas, que dicit et recitat hoc idem, sic dicens (32):

«Interroga doctorem: Quod lumen est illud, quod Daniel, 2 cap., nominavit, cum dixit: «Et lux cum eo est?» (33). Dicit rabi Abba: Ista est lux regis Messie. Docuit nos Daniel quod Deus respicit seu attendit ad regem Messiam, et in eius generatione clausit lumen illud pro eis, subtus sedem, alias cathedram, glorie eius. Dixit Sathan coram Deo: Domine mundi: Lux ista que occulta est subtus sedem glorie tue, ad quid est? Respondit ei Deus: Pro Messia, et eius generatione. Dixitque Sathan: Domine, presta michi licenciam ut temptem Messiam et eius generacionem. Respondit ei Deus: Non haberes potestatem in eum. Dixitque ei Sathan: Da michi licenciam, quoniam ego

(29) Os. 13,14.

(30) Is. 35,10.

(31) *Bēreshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 60, in Gen. 24,67 (ed. B. N. 64-65. *Pugio*, 605-606; 874).

(32) *Bēreshit Rabbá* de Moshé ha-Darshán, par. 2, in Gen. 1,3 (ed. B. N. 26-29. *Pugio*, 416-417; cf. 852).

(33) Dan. 2,22.

[E. + habeo] potestatem in eum. Respondit ei Deus: Si in hoc cogitas, ante facerem perdere Sathanam de mundo, quam una anima de generatione illius perdat. In continenti, Deus cepit inire pactum cum Messia. Dixitque ei: Messias, iustus meus, hii qui sunt clausi et capti, parati sunt cum peccatis suis ponere te in labore magno; oculi enim tui non videbunt lumen, aures quidem tue audient magnum repudium a gentibus mundi, nares tui olebunt fetores, os tuum saciabitur amaritudinibus, corpus tum frangetur duriciis. Si tua voluntas est ut omnia hec paciaris, bene quidem. Sin autem, noveris quod tollam eos de mundo. Respondit autem Messias: Domine mundi, cum hoc sum iocundus; volo supra me has portare passiones, cum condicione ut vivifices mortuos qui mortui sunt ab Addan primo usque modo; et non solum illos salvabis, verum etiam illos quos lupi devoraverunt et leones, et qui submersi sunt in mari, et in rivis, diebus meis salvabis. Et nedum etiam hos salvabis, verum etiam abortivos seu qui aborsi sunt; et nedum abortivos, verum etiam quos cogitasti creare, et qui in diebus meis non fuerunt creati, salvabis. Respondit Deus: Omnia ista tibi concedo. Tunc Messias omnes istas passiones leto animo, magnaue dilectione suscepit. Et hoc est quod dixit Isaias, cap. 53: «Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum» (34).

Ecce qualiter patet manifeste per auctoritates prefatas quod Messias passiones, penas, et dolores erat passurus, et cum ille passiones erant causa ad omnes animas liberandas, easque salvandas.

Verumtamen, restat probandum qualiter dictum peccatum Adde fuisset causa, ut Messias esset mortem passurus.

Dico quod hoc patet per quamdam auctoritatem notabilem, que est in Glosa morali super Ecclesiastes, cap. 7, super textu ubi dicitur:

«Consideremus opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit» (35).

«Dicit rabi Iehuda, filius rabi Timon: Tempore quo Deus creavit Addam, portavit eum per omnes arbores paradisi, dixitque ei: Vide opera mea, quam pulcra et laudabilia; et quidquid creavi, tui amore creavi: Pone in mente tua non peccare, ne sis causa destructionis mei mundi, quoniam si tu te confundis, non est homo qui reparare possit post te. Et nichillominus quod esses causa mortis illius iusti, de quo dicit Zacharias, cap. 9 (36): «Ecce rex tuus venit tibi, iustus et salvator ipse» (37).

(34) Is. 53,7.

(35) Eccu. 7,14.

(36) Zach. 9,9.

(37) *Midrash Qohelet Rabbá*, par. 7, in Eccl. 7,14. Cf. *Pugio*, 562; 619-620.

Et dicit rabi Salomon: «impossibile est de alio posse intelligi, seu dici dictam prophetiam, nisi de rege Messia» (38).

Ecce qualiter hec auctoritas evidenter dicit quod, propter peccatum Adde, Messias rex morti erat tradendus.

Ex omnibus hiis rationibus superius habitis, tam de textibus prophetiarum, quam de glosis et auctoritatibus, necessario concluditur quod principalis intentio adventus Messie erat ad salvandum animas, quod erat quarta interrogatio.

Item, quod eius adventus fuit remissio peccati primi parentis, quod erat quinta interrogatio.

Item, quod ipse erat mortem passurus per dictum peccatum purgandum, quod erat sexta interrogatio.

Et cum hiis satis sufficienter est mea intentio probata atque elicitata in prefatis tribus conclusionibus.

---

(38) Cf. *Pugio*, 562; 619-620.



## SESION XXXI

DIE VERO MERCURII, vigesima prima dicti mensis iunii, prefatus magister Ieronimus, in dicta informatione procedens, proposuit sub his verbis:

Postquam sufficienter superius concluderimus contra responsiones in sex interrogacionibus per vos michi factas, videre iam nunc oportet septimam, que est:

An aliam nationem, quam hos qui de genere Israel ducunt originem, debuerit salvare Messias.

Ad quam, iudei, vos respondistis dicentes:

Iudeus respondet quod credit quod principaliter populum israeliticum, qui fuerunt in captivitate, et alios, qui tempore Messie ad legem mosaycam convertentur, subsequenter, salvabit:

Dico quod hec responsio vestra, prima facie eam generaliter et grosso modo considerando, videtur multa veritate nitere, propter hoc quod inquit quod Messias salvabit populum Israeliticum et venientes ad eum ex aliis gentibus. Verum si diligenter et sigillatim consideratur, per modum quo ponitis, invenietur esse contra omnem veritatem, et adhuc contra vestras oppiniones. Et ad hoc plene intelligendum et probandum, convenit vos primo in oppinione verissima huius conclusionis, quam tenet sancta Mater Ecclesia, oportet ad plenum informare, et vos docere qualiter cum dictis prophetarum et auctoritatibus antiquorum rabinorum vestrorum ipsa concordat. Hoc sic facto, declarabitur qualiter tam oppinio vestra, quam responsio vestra, sunt de directo opposite veritati.

Conclusio quippe catholica est: Adventum Messie debere fuisse ad genus humanum universaliter salvandum, et eorum animas a potestate dyabolica, in qua propter peccatum primi parentis erant tradite, misericorditer restaurandum seu liberandum, prout in dicta informationis pro-

ximo habita per textus et auctoritates valde auctenticas rabinorum vestrorum latissime supra probavimus.

Ulterius voluntas Dei fuit, propter merita Abrahe patriarche, eligere ex suo genere populum electum, in quo esset nativitas illius hominis, per quem erat fienda salvatio predicta. Quiquidem populus fuit vocatus Israel. Et hac quidem consideracione, Des populum supra dictum sibi apropiavit, tam in liberando eos in tot et tantis miraculis a captivitate Egipti, in dando eis legem divinam, terram promissionis, suscitando eis prophetas tempore debito, qui annunciarunt et prenosticati sunt adventum Messie, eiusque actus, seu operaciones, quas facturus erat ipse; et non obstante quod maior pars populi que prophete annunciabant, dicerent nomine et respectu populi israelitici, cum toto hoc, ipsimet dicunt quod hoc nomen Israel non solum intelligitur pro genere illo particulari, sed etiam pro quocumque populo et gente ad Messie doctrinam veniente. Et hoc in verbis Isaie, cap. 44. est repertum, ubi dicitur:

«Iste dicet: Domini ego sum; et ille invocabit in nomine Iacob. Et hic scribet manu sua: Domino, et in nomine Israel assimilabitur» (1). Et dicitur super hoc textu in libro Mehelta, et in libro Avot de rabi Natan:

«Iste dicet: Domini ego sum», dicitur pro hiis qui sunt complete iusti. «Et ille invocabit in nomine Iacob», dicitur pro hiis qui sunt parvi filii peccatorum. «Et hic scribit manu sua: Domino», dicitur pro peccatoribus qui fecerunt penitenciam. «Et in nomine Israel assimilabitur» dicitur pro gentilibus, qui venerunt ad fidem Dei» (2).

Ed hoc modo declarat rabi Salomon (3).

Ulterius videmus quod certus populus de novo erat creandus, ad Dei servicium, in fine temporis, quemadmodum dixit psalmista, psalmo 101:

«Scribantur hec in generatione altera, et populus qui creabitur laudabit Dominum» (4).

Quiquidem populus 'erat' [E. esse debebat] de congregacione facta de Israeliticis cum gentilibus, quoniam alias non diceretur novus populus; in tantum quod videmus gentiles vocari Israel, quemadmodum et principales, et omnes simul qui sunt populus creatus christianos appellat, quod est nomen a Messia dirivatum, qui est Christus, et hoc est quod dixit Isaias, cap. 62:

«Et vocabit tibi nomen novum, quod os Domini nominabit» (5).

(1) Is. 44,5.

(2) Así R. Salomón y Avot de R. Natán, cf. *Pugio*, 458-459. La forma de *Mekiltá* in Ex. 22,21, difiere algo, cf. *Pugio*, 457-458.

(3) Cf. *Pugio*, 458-459; 544.

(4) Salm. 101,19.

(5) Is. 62,2.



Item dicitur in fine sui libri, capitulo penultimo:

«Et servos suos vocabit nomine alio» (6).

Ecce liquet manifeste qualiter omnes simul vocantur Israel, et omnes simul aliud nomen erant habituri novum, scilicet, a Deo nominatum et a Messia, quod est christianus a Christo.

Videmus preterea prophetas, una voce, prophetasse quod adventus Messie erat principaliter ad omnes gentes. Reperimus autem patriarcham Iacob dixisse Genesis, 49 cap.:

«Et ipse erit expectatio gentium» (7).

Item Isaie cap. 11 inquit:

«In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum suum gloriosum» (8).

Item dixit capitulo 2:

«Et fluent ad eum omnes gentes» (9).

Item cap. 42:

«Iudicium gentibus proferet» (10).

Item in eodem:

«Et legem eius insule expectabunt» (11).

Item Zacharie cap. 2:

«Et applicabuntur gentes multe ad Dominum in die illa, et erunt michi in populum» (12).

Item David, psalmo 71:

«Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei» (13).

Ecce igitur qualiter patet per hos propheticos textus omnes homines ad Messie doctrinam deberi converti, et quod Messias principaliter veniebat ut totum genus universaliter redimeret humanum.

Ad hoc etiam probandum sunt plures et valde notabiles auctoritates rabinorum talmudistarum. Habetur quidem in libro Beresith rabba rabi Moysi ha-Darsan, cap. 90°, que dicitur super textu Genesis '42' [E. cap. 42], ubi dicitur (14):

«Dixit quoque rex ad Ioseph: Ego sum pharaon» (15). «Dicit rabi Aha super illud vocabulum «ego»: Ex illo «ego» pharaonis, qui erat homo carnalis, possumus addiscere: «ego Dei vester». Quoniam pha-

(6) Is. 65,15.

(7) Gen. 49,10.

(8) Is. 11,10.

(9) Is. 2,2.

(10) Is. 42,1.

(11) Is. 42,4.

(12) Zach. 2,11.

(13) Salm. 71,11.

(14) *Ber. Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 90, in Gen. 41-44 (ed. B. N. 92-93. *Pugio*, 421-422; 828).

(15) Gen. 41,44.

raon, quia dixit ad Ioseph «ego sum pharaon», fuit dignus Ioseph ad habendum totum illud bonum, quando veniet ego Dei quod dixit Isaias, cap. 46: «Ego feci, et ego iteram; ego portabo et salvabo» (16), vult dicere quod habebimus multo magis bonum. Et credis quod redemptor habebit respectum ad aliquem? Certe non nisi omnem hominem credentem in eum in ore, vel in labiis, et in operibus suis, et in cordibus suis, salvabit et restaurabit eum, sicut scriptum est per per Ieremiam, cap. 23: «In diebus illis salvabitur Iuda» (17). In quantum dixit «Iuda 'salvabitur'» [E. intelliguntur] qui confitentur in eo, iuxta interpretationem hebraycam. Ad idem scribitur Isaie 45: «Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terre, quia michi curvabitur omne genu» (18). Et de eo dictum est: «Et dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terre» (19).

Hec ille.

Ecce sic patet manifeste per verba istius doctoris, in prefata auctoritate posita, cum tot copiosissimis propheciis per eum allegatis, adventum Messie principaliter esse ad salvandas omnes gentes.

Est etiam doctor quidam, qui intelligit quod adventus Messie erat principaliter propter gentes quam propter Israel. Et hoc est in quadam auctoritate, que est super Glosa morali super psalterio, ubi petit doctor:

«Que fuit intencio Isaie, cum dixit: «In die ille radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum suum gloriosum?» (20). Respondit rabi Hanina dicens quod ex hoc probatur quod non veniet rex Messias nisi ad dandum legem et mandata gentibus mundi» (21).

Adhuc dicit iudeus quod auctoritas dicit quod precepta erunt, sicut cabanelle, seu tabernacula, et palme, et tephilim (22). Ex quo videtur quod non dabit eis nisi legem quam iudei tenebant, quia convertentur ad eam. Dico hoc argumentum nichil valere, et quod in eius modo loquendi iam sibi prospexit doctor, qui non dixit quod eis daret eadem precepta, sed dixit mandata similia illis; et erat intencio illius quod in lege nova, quam daturus erat Messias gentilibus, ad idem essent precepta cerimonialia, similia hiis, que ipse nominat.

Ecce igitur manifeste qualiter probata est nostra conclusio.

Hoc quidem, Deo duce, probato sufficientissime, dico quod responsio vestra nequit habere locum, et nedum illam esse contra fidem

(16) Is. 46,4.

(17) Ier. 23,6.

(18) Is. 45,22.24.

(19) Is. 49,6.

(20) Is. 11,10.

(21) *Midr. Tehil-lim*, in ps. 21,2. Cf. *Pugio*, 889.

(22) Cf. *Midr. Tehil-lim*, in ps. 21,2. *Pugio*, 854.

orthodoxam, per prefatas rationes, verum eciam contra vestram oppinionem esse probatur.

Vos quidem, perfidi iudei, sepissime supra dixistis quod salvacio Messie, principaliter et per se, nichil aliud est quam deliberare vos a captivitate corporali ad libertatem.

Secundum igitur hanc definicionem quam salvatori Messie attribuitis, ponamus quod vester Messias veniret, ut creditis, et quod sequatur in vobis salvacio et in aliis gentibus, ut prophetatum est. Certum enim est quod magni reges tocius universi, qui sunt christiani, et imperator, qui est maior quam ipsi, et Papa, qui maior est omnibus, qui neminem cognoscit superiorem carnaliter, necessarium est quod salventur per eundem Messiam, et quod ad eum conventantur. Tunc ergo iam de libertate quam primitus possidebant, iam nunc, Messia adveniente, transibunt in subieccionem, se alteri submittentem. Mirandum est igitur qualiter partem habebunt salvacionis sue, cum posueritis salvacionem non nisi in corporibus esse, et quod absque Messia quilibet poterit animam suam salvare. Sequitur igitur ex hoc quod salvacio sit ad duo opposita: quibusdam enim erit liberacio a captivitate, aliis vero posicio seu in captivitatem missio. Maximum nempe inconueniens est, et nascitur ex hoc, scilicet, in credendo quod salvacio Messie est principaliter ad salvanda corpora, et eos a temporali captivitate liberandum. Sed illud inconueniens est impossibile. Ergo oppinio ex qua ipsum dependet est falsa; et per consequens, eius oppositum est verum, quod salvacio est ad animas, et non ad corpora. Ex quo, concludendo, dico: Quod conclusio vera est: Quod adventus Messie principaliter erat ad restaurandum animas humani generis a potestate dyaboli et penis inferni, et eas ponendo in viam salvacionis, eius doctrina mediante, et in hoc cuncte nationes universi equaliter participant, venire volentes ad eius cognicionem; et cum hac oppinione, omnes questiones et inconueniencia prefata de medio tolluntur, et collocantur proprie omnes prophecie et auctoritates.

Ex quo patet plene, ac sufficientissime, esse conclusum vestram responsionem fore contra omnem veritatem, et quod infra salvacionem Messie totum gentis humanum principaliter debeat comprehendere. Quod sufficit ad hanc septimam interrogacionem.



## SESION XXXII

DIE VERO LUNE, vigesima sexta iunii, prefatus magister Ieronimus, super octava interrogacione, proposuit sic dicens:

Octava quidem interrogacio vobis superius facta est:

An Messias legem seu doctrinam novam daturus erat.

Ad quam respondistis dicentes:

Iudeus credit Messiam non daturus legem novam, quoniam lex mosayca est perfecta atque perpetua. Sed doctrinabit nos, quemadmodum ceteri prophete fecerunt, et adhuc solemnus nos in ea informabit.

Dico hanc responsionem vestram contra omnem esse veritatem, et hoc in duobus: Uno siquidem, quia negatis doctrinam et legem catholicam, quam Messias erat daturus. Secundo, quia illi negacioni datis causam, que est, videlicet, attribuire legi mosayce perfectionem et perpetuitatem.

Ex quo mei propositi est, divina gracia prestante, totum vobis oppositum istorum duorum probare, scilicet: qualiter lex mosayca non erat perpetua neque perfecta. Item, qualiter lex Messie illam imperfectionem et imperpetuitatem erat impleturus.

Et hoc probabitur tam per prophetias quam per auctoritates vestrorum rabinorum auctenticas. Et ante omnia, ad huiusmodi duo probanda quamdam notabilem auctoritatem in libro vocato Glosa moralis super Ecclesiastes allegare curabo, ubi sic inquit (1):

«Petit doctor: Quid voluit dicere Salomon cum dixit Ecclesiastes. cap. 2: «Dixi ego in corde meo: Vadam et affluam deliciis, et fruam bonis; et vidi quoque quod hoc esset vanitas » (2). Respondet doc-

---

(1) *Qohelet Rabbá*, in Eccl. 2,1. Cf. *Pugio*, 778-779; 885.

(2) Eccl. 2,1.

tor: Istud «fruar bonis», dicitur pro bono legis. Arguitur contra eum: Ergo qualiter dixit: «Et vidi quoque quod hoc esset vanitas?» Debat igitur dicere quod hoc esset leticia. Sed dicit Ezechias doctor: tota lex quam adiscit homo in hoc mundo est vanitas respectu legis mundi futuri.» Et dicit rabi Rahamon quod hec est lex regis Messie.

Item dicitur in eodem libro super illo textu, 11 cap., ubi dicitur:

«Si annis multis vixerit homo, et in hiis omnibus letus erit, meminisse 'debit' [E. debet] temporis tenebrosi, et dierum multorum, alias malorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur preterita» (3). Dicit doctor «si annis multis vixerit homo, et in his omnibus letus erit», ista est leticia legis; «meminisse debet tenebrosi temporis»: Hii sunt dies malicie. Et id quod dicitur «et hoc est vanitas»: Ex hoc patet quod quecumque lex quam homo adiscit in hoc mundo tota est vanitas respectu legis Messie» (4).

Dico quod ex hac auctoritate patent manifeste duo: unum scilicet quod Messias erat daturus legem que esset lex finalis et conclusiva, et ideo vocatur leticia absque aliqua vanitate quoniam, ipsa mediante, acquiritur salvatio anime, quam vocavit Isaias in eodem met nomine, cum dixit cap. 35: «Et redempti a Domino convertentur, et venient in Syon cum laude, et leticia sempiterna super caput eorum» (5). Et illam met leticiam rabini eorum declarant dicentes quod est gloria anime, quoniam sic inquit rabi Osua, filius Levi: quod nichil aliud est hec Syon [E. + hic] nominata quam Paradisus (6).

Secundum vero quod ex hac patet auctoritate est quod alie leges, que sunt ante legem Messie, sunt imperfecte et mutabiles, et ideo vocat eas nomine vanitatis, quoniam ille non faciunt nisi acquirere bona temporalia. Hoc quidem in legibus humanis manifeste patet, in legibus humanis et naturalibus sub cuius regimine duobus mille annis fuit ductus universus orbis, et ideo eos vester doctor duos mille annos vanitatis appellavit, ut supra diximus in auctoritate prenominate. Et etiam legem mosaycam solum bona temporalia promississe reperimus, et in nullu eorum mencionem de anima fuisse factam. Iamque claret manifeste res mundanas vanitatem esse respectu spiritualium.

Per prefatam igitur auctoritatem constat evidentissime legem mosaycam non esse nec fuisse perfectam, usque quo venit lex Messie, qui venit ut eam adimpleret.

Certus enim sum quod, absque illa causa quam imperfectioni eius assignavi, plures sunt cause per doctores catholicos sigillatim designate,

(3) Eccl. 11,8.

(4) *Midr. Qohelet Rabbá*, in Eccl. 11,8. Cf. *Pugio*, 779-885.

(5) Is. 35,10.

(6) *Bereshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 60, in Gen. 24,67 (ed. B. N. 64-65. *Pugio*, 606).

super quibus a reverendis patribus in Sacra pagina magistris, hic presentibus, plene ac fundamentaliter poteritis informari.

Possumus insuper probare Messiam legem novam fuisse daturum per caldaycam translacionem, per Isaiam factam, et hoc patet in capitulo 12, ubi dicitur, tractando super salvacione:

«Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris» (7).

Translator vero Ionatan hanc aquam legem ipsam significare declaravit, concordans cum verbo in vestro Talmut pluries frequentato, ubi inquit: «Nichil aliud est aqua quam lex.» Sequens vestigia et regulam rabinorum antiquorum, et legem quam Messias erat daturus prenunciando seu prenosticando, hunc textum declaravit sic dicens: «Et recipiens legem novam cum leticia iustorum electorum» (8). Et quamvis nullam aliam probacionem haberetis, preter istam istius magistri tam auctentici tamque antiqui, ut reputaretis hanc conclusionem plene probatam, vobis deberet sufficere.

Verum, ad maiorem quidem probacionem huiusmodi conclusionis, diversas prophecias et auctoritates, tam Isaie, Ieremie, Psalterii, quam adhuc Canticorum, conabor allegare.

Dixit autem Isaias, cap. 2:

«Et erit in novissimis diebus preparatus mons in vertice montium, et elevabitur super omnes colles; et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Syon exhibit lex, et verbum Domini de Ierusalem» (9).

Et declarat Rabi Salomon:

«Quid vult dicere: «Elevabitur super colles?» Quoniam miraculum in eo, erit maius quam miraculum montis Synay, nec Carmelli, nec Taboris, quia de Syon exhibit lex omnibus gentibus» (10).

Ecce tam notabilem propheciam ad probandum et ostendendum nostram prefatam conclusionem, precipue cum verbis istis rabi Salomonis.

Uterius vellem scire a vobis: Esto quod Messias veniret hodie, ut vos ponitis, et populus contingerit congregari in Ierusalem et in Syon, qualiter illud esset maius miraculum quam illud Synay, ne Carmelli, nec Taboris? Et qualiter diceretur hoc quod sequitur, scilicet: «De Syon exhibit lex», cum lex mosayca iamque exierat multo tempore ante de Synay?

Ex quo de necessario sequitur hoc miraculum tam excellens fore intelligendum propter passionem Domini N. Iesuchristi et eiusdem re-

(7) Is. 12,3.

(8) Cf. *Pugio*, 889.

(9) Is. 2, 2.3.

(10) Cf. *Pugio*, 433.

surreccionem, et ipse reducet seu redimet seu liberabit animas iustorum ex inferno, et residuum magnorum miraculorum tunc temporis in Ierusalem factorum. Et lex quidem illa debet intelligi propter legem receptam in apostolis per Spiritum Sanctum in montem Syon.

Ista eadem conclusio est ad literam prophetata per Ieremiam, cap. 31, ubi dicitur:

«Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda fedus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris, in die qua comprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Egypti, pactum quod irritum fecerunt; et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Et hoc est pactum quod feriam cum domu Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt michi in populum; et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognoscite Dominum. Omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus; quia propiciabor iniquitatibus eorum et peccati eorum non ero memor amplius. Hec dicit Dominus» (11).

Ecce quam clare patet qualiter Deus aliquando pactum novum erat daturus, quod non erat simile pacto primo.

Et declarant rabini in libro *Mehelta*: «en Berith ella tora», quod idem est quod «pactum nichil aliud est quam lex» (12).

Item propheta met declarat dicens: «Et hoc erit pactum», etc. «Dabo legem meam in visceribus eorum», etc. Ostendit eis non modicam inter alias differentiam que erat inter hanc legem et veterem, quoniam prima per eosdem fragebatur, ut videmus tempore iudicum et regum, quoniam ab hora in horam de lege exhibant et ydolatrabant. Item temporibus illis, lex et cognicio Dei erat ignota genti communi, ut reperitur tempore regis Iosie, cum sacerdos magnus reperit librum legis in templo, quem ipse et alii sacerdotes, et rex Iosias, habuerunt pro re nova; in tantum quod rex scidit vestimenta sua, videns quod nichil servabant, nec sciebant de lege. Et simile huic reperimus fuisse tempore Esdre cum a captivitate babilonica fuerunt liberati. Quoniam omnia hec docent qualiter erant ignorantes in Dei cognicione, et in legis sciencia. Et in lege nova per Messiam data fuit hic totum oppositum, cum nunquam per observatores eius fuerit amodo derelicta, ut videmus Ieremiam hoc asserentem in prophecia, cum dixit:

«Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam» (13).

(11) Ier. 31,31-35.

(12) *Mekiltá*, in Ex. 12,3. Cf. *Pugio*, 779-884.

(13) Ier. 31,33.



Item quoniam observatores omnes legis Messie, tam parvi quam magni, sunt in cognitione Dei bene informati, et in omnibus articulis fidei, ut in hac met propheta habetur: «Omnes enim cognoscent me, a minimo usque ad maximum» (14). Ad oppositum illius quod in lege veteri esse solebat.

Ulterius, ad maiorem declaracionem et huiusmodi conclusionis corroboracionem, quedam potest adnuc allegari auctoritas, in Glosa morali habita super psalterio, dieta preterita superius allegata, que valde facit ad propositum nostre conclusionis, ubi sic inquit:

«Querit doctor: Que fuit intencio Isaie cum dixit, 11 cap.: «In die illa radix Iesse, que stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum?» (15). Respondet Rabi Hanina: Non venit rex Messias nisi ut det gentibus seculi legem, et precepta similia sicut cabanellas seu tabernacula, et palmam, et tephilim» (16).

Notum enim est quod intencio huius doctoris est quod Deus erat daturus legem novam gentibus, in quibus essent mandata cerimonialia sicut erant in veteri lege Moysi. Et facit mencionem de quibusdam cerimoniis antique legis, certe non ut eius intencio esset quod Messias erat daturus illas met cerimonias, quoniam certum est, quod causa propter quam ille fuerunt date tempore illo iam esset preterita in tempore Messie, et non erat de eo fienda mencio; sed solum est intencio doctoris id quod ante diximus.

Manifeste igitur patet, ex omnibus prefatis racionibus, qualiter Messias daturus erat legem novam; et volentibus se adherere racioni, circa hoc minime esset insistendum.

Verumtamen, ut sitis magis contenti, et, absque enigmate, clarum itueamini veritatem, volo vobis ostendere qualiter actenus fuerit prophetizatum quod tempore Messie Deus met ore proprio legem denuo erat daturus. Quod patet ex quadam auctoritate in libro vocato Glosa moralis super Cantis Canticorum, super textu qui est in capitulo 1. ubi dicitur:

«Osculetur me osculo oris sui» (17):

«Dicit rabi Iuda: Hora qua Israel audierunt ab ore Dei precepta prima legis, fuerunt radicata in cordibus eorum taliter quod non obliviscantur. Iverunt ad Moysem dicentes: Rabi, convenit ut sis mediator inter Deum et nos, ut scribitur Exodo, cap. 20: «Dixerunt Moysi: Loquere tu nobis. et audiemus; non loquatur Dominus nobis, ne forte

(14) Ier. 31,34.

(15) Is. 11,10.

(16) *Midrash Tehilim*, in ps. 21,2. Cf. *Pugio*, 854, 889.

(17) Cant. Cant. 1,1.

moriatur» (18). Ex tunc docuit eos Moyses legem, et quod adiscebant tradebant oblivioni. Dixerunt: Sicut Moyses est carnalis, transiens seu labilis, ita dat nobis doctrinam a nobis transeuntem et labilem. Regressi sunt ad Moysen dicentes: Rabi, utinam Deus iterum secundo nobis se ostendere dignaretur, ut oscularetur nos osculo oris sui, taliter ut doctrina eius in cordibus nostris refirmaretur seu radicaretur. Ad quos inquit Moyses: Hoc enim modo fieri non potest, sed fiet tempore Messie, quoniam sic scriptum est (19): «Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam» (20).

Ecce qualiter isti vestri doctores seu rabini antiqui per modum prehabitu declarant prophecias ad literam asserentes qualiter tempore futuro, scilicet, tempore Messie, Deus ore suo proprio daturus erat legem graciosam, legem leticie, legem perpetuam, legem eciam que acenus a gentibus minime oblivioni traderetur.

Certum enim est quod ad asserendum huiusmodi tam veram conclusionem habent probaciones Novi Testamenti, et ex verbis doctorum catholicorum valde antiquorum quas quotidie auditis et, Deo duce, audietis, ab ore multum venerabilis ac famosissimi patris et religiosi, dominique mei, singularissimi fratris Vincencii, ordinis Predicatorum, hic presentis; ab ore eciam quam plurium aliorum patrum et dominorum in arte predicandi et facultate theologie expertorum. Solum ego volui vos informare in hoc per auctoritates rabinorum vestrorum talmudistarum, faciens finem huic octave interrogacioni.

---

(18) Ex. 20,19.

(19) Ier. 31,33.

(20) *Shir ha-Shirim Rabbá*, in Cant. 1,2. Cf. *Pugio*, 885-886.

## SESION XXXIII

DIE AUTEM VENERIS, ultima iunii, in presencia prefatorum predictus magister Ieronimus constitutus, super nona interrogacione prefatos iudeos cupiens informare, proposuit dicens:

Nona quidem interrogacio fuit:

An post adventum Messie sacrificia quemadmodum prius solitum erat fieri, essent continuanda, an non. Ad quam vos, iudei, taliiter respondistis: Iudeus respondet quod credit quod postquam Messias venerit, sacrificia ut prius continuabuntur.

Ad plene igitur et fundamentaliter errorem in vestra responsione contentum publice demonstrandum, oppiniones quas rabini et doctores ebraici habuerunt in reddendis rationibus, propter quas Deus mandavit sacrificia fieri de animalibus in templo, convenit primum videre. In quo quidem tres oppiniones speciales indubitanter reperimus. Quarum prima est: Quod erat intencio, ad satisfaciendum constellationi et influence signorum et planetarum, cum propter eorum constellationem aliquociens erat mors in aliqua persona secutura. Disposuit igitur lex quod occideretur aliquod animal, bos, vel aries, sut aliquod simile, in eius satisfaccione; et illud sacrificando, mors illius qui tunc erat moriturus excusabatur. De qua enim oppinione sunt nonnulli, doctores, et precipue rabi Abraham 'Abenhazara' [E. Abenhazra], per quem clare patet, per diversa loca suorum librorum, quod omnia sacrificia cuiuslibet regionis et quocumque tempore, hunc haberent respectum, in tantum quod manifeste inquit quod certa sacrificia et certarum naturarum animalium conveniebant in regione una, et quedam in alia. Et hoc totum iuxta signum vel planetam in regione illa regnantem.

Hec enim oppinio est manifeste erronea et heretica, et sic eam omnes iudei iudicant, cum tollat servicium divinum, et attribuat signis

et planetis manifeste, et non sit alia maior ydolatria quam ista in universo.

Alia autem est opinio in qua intelligunt quod sacrificia, pro maiori parte, fiebant ad Deum in remuneracionem seu satisfaccionem alicuius punicionis peccati, propter quod merito esset dignus morte; loco cuius offerebatur illud animal, cum quo ipse liberabatur a morte; intelligentes quod mysterium agni, quem Deus in qualibet domo iudeorum occidi mandavit in Egipto, et signari seu liniri sanguine super porticum in liminaribus, esset pro huiusmodi causa; quoniam cum Deus transiret ut omnes primogenitos occideret, videns sanguinem super postem vel in porticu, 'recipiat' [E. recipiebat] illum loco sanguinis domini domus illius. Et non oportet dici de hoc quoniam, temporibus nostris, licet non sit templum, adhuc nunc assuescit iudeus in vespere diei indulgentiarum filium suum recipere, et supra caput suum unum pullum occidere, dicens cum magna devocione verba sequencia: «Iste pullus sit loco istius hominis, sanguis istius loco sanguinis istius, caput istius loco capitis istius, corpus istius loco corporis istius, membra istius loco membrorum istius.» Credentes quod cum hoc homo ille restauratur morte, dato quod propter aliquod peccatum esset dignus morte. Et huiusmodi opinionis sunt talmudiste. Verumtamen intelligit aliqua fieri sacrificia ad diabolum decipiendum, ut nemini noceret, quemadmodum dicunt doctores quod hircum, quem summus sacerdos mittebat die indulgentiarum in desertum (1), mandabat Deus dari dicens: «Date subornacionem dyabolo.»

Est enim alia opinio, que est habi Moysi de Egipto, quam scripsit in libro More, parte tertia, capitulo 32, inquires: Quod opera sacrificiorum non erant opera principaliter per se ad servicium Dei, sed solum Deus mandavit fieri ut populus disponderetur, quoniam divina intencio erat quod populus ille aliquando haberent proximitatem Dei, et consequenter gratiam Dei veram; et tunc non erant dispositi ad illud, in quantum mundus erat plenus diversis generibus ydolorum, quibus gentes adorabant ac serviebant per viam sacrificii animalium, et erat opinio tocius universi quod impossibile erat quemquam aliter Deo placere quam per viam sacrificiorum. Ideoque nature humane erat impossibile posse in cordibus eorum concipere aut Dei servicium verum exercere, usquequo modico ad modicum ad illud disponderentur. Et ideo precepit eis Deus illa eadem facere sacrificia, que gentes ydolis impendebant, ut sibi fierent et impenderentur. Non enim ut illa esset principalis intencio, nec modus verus ut populus Deo appropinquaret, sed solum modus dispositivus.

---

(1) Cf. Lev. 16.

Dictus quidem rabi Moyses hanc confirmat oppinionem pluribus auctoritatibus prophetarum:

Primo namque inquit Samuel, primo Regum, 15:

«Numquid voluntas est Deo in holocaustis, etc» (2).

Item Isaias cap. 1:

«Quid michi multitudo victimarum vestrarum? ait Dominus» (3).

Item Ieremias cap. 7:

«Non enim locutus sum patribus vestris, nec precepi eis, in die qua eduxi eos de terra Egipti, super verbo holocausti et victime» (4).

Usque huc sunt verba rabi Moysi (5).

Dictis autem tribus oppinionibus sic recitatis, quas hebrayci doctores servare conantur in sacrificiis, dico: quod sacrificia tempore Messie essent annullanda, tam per rationes super textus propheciarum, sive per auctoritates et vestrorum met [E. + doctorum] rabinorum antiquorum moralitatem, levissime potest probari.

Et primo talem formo rationem:

Si, tempore Messie, cause propter quas sacrificia fiebant sunt sublata, ergo ipsa sacrificia debent tolli.

Et probo quod sint cause sublata. Quoniam, tempore Messie, crudelitas influencie signorum et planetarum et omnis ydolatria auferetur de mundo, et replebitur mundus Dei cognitione, ipsum solum invocantes, quemadmodum fuit ex quo Christus venit et citra, quoniam sic dicitur Sophonie, 3 capitulo:

«Tunc reddam populis meis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno» (6).

Item Isaias, cap. 11, dixit, loquens de tempore Messie: «Quia repleta est terra sciencia Domini, sicut aqua maris operientis» (7).

Patet igitur ex hoc, non esse causam facere sacrificia signis et planetis, quoniam tempore Messie non adorabitur in ore gencium, nisi solus Deus; et sic secutum est, postquam venit verus Messias Dominus N. Iesus Christus usque modo quod omnes gentes universaliter Deum verum adorant, non obstante quod tam iudei quam sarraceni in factis Messie in aliquibus rebus legis nonnullos colant errores et observent. Verumtamen omnes, una voce proclamantes, credunt cuncta tam bona quam mala a Deo processisse.

Ex quibus concludendo dici potest, quod causa sacrificiorum iuxta

(2) 1 Reg. 15,22.

(3) Is. 1,11.

(4) Ier. 7,22.

(5) Cf. *Moré*, 3,22 y *Pugio*, 809-812.

(6) Soph. 3,9.

(7) Is. 11,9.

illam opinionem erroneam atque hereticam cessat tempore Messie. Igitur ipsa quoque merito debent cessare.

Secunda vero causa ad idem non habet locum tempore illo, quoniam bona principalia que Deus dat propter merita uniuscuiusque, tempore Messie sunt quantum ad animam et non quantum ad corpus, ut superius probavimus in quarta interrogacione. Sacrificium, igitur, quod esset ad restaurandum corpus, cessare debebat, et multo magis ad adulandum diabolium. Iamque probavimus satis in quinta interrogacione quod hora qua peccatum primi parentis fuit remissum in adventu Messie, tunc quidem concussa atque deleta fuit potestas diaboli contra genus humanum, scilicet, contra hos qui legem Messie essent observaturi.

Sequitur ergo quod iuxta hanc causam nullum locum obtinent sacrificia.

Iuxta terciam vero causam, quam ponit rabi Moyses, multo minus habent locum sacrificia, cum pro presenti, omnis ydolatia ab universo est abiecta, et cum venit Messias iam erat populus valde dispositus et valde constans in Dei credulitate et longe ab ydolatia, quemadmodum in templo segundo reperire valemus Anthiocum, ceterosque reges grecos et romanos qui suis conatibus laborarunt se ipsos fatigantes, ut populus ad ydolatiam duceretur; qui quidem constantes existentes, prius se necari quam ydolatia prestare consensum.

Bene igitur poterant cessare sacrificia que iuxta hanc opinionem apta erant ad eos disponendum.

Satis est igitur sufficienter probatum qualiter cause sacrificiorum tempore Messie cessarent, et per consequens ipsa debebant cessare.

Ad quod diligenter attendentes, perscrutamini auctoritates prophetiarum, vestrorumque doctorum talmudistarum. Reperietis quidem in libro vocato Glosa moralis Psalterii, super textu psalmi 55, ubi dicitur: «super me, Deus, vota tua, solvam laudes tibi» (8):

«Dixit Rabi Finaes, ex nomine rabi Levi: Tempore futuro omnes oraciones cessabunt, sed laus namquam cessabit; et omnia sacrificia cessabunt, et confessio numquam vacabit; quoniam sic est scriptum in libro Neemie, cap. 12: 'Et stabant due confessiones in domo Domini' (9). Una confessio erit loco sacrificiorum, et alia loco oracionis» (10).

Ecce igitur qualiter hec autoritas manifeste dicit, quod omnes oraciones antique, que, tempore templi, erant fundate super res temporales, in laudes Dei convertantur.

Item illud quod solebat esse sacrificia animalium ad exonerandum

(8) Salm. 55,12.

(9) 2 Esdr. 12,39.

(10) Midras Hehil-lim, in ps. 56,13. Cf. *Pugio*, 814-815.

et purgandum peccatum, quod quis committebat, hodie est conversum in confessione, cum qua remittitur peccatum commissum.

Ecce qualiter bene et optime confirmatur doctoris auctoritas ad presens tempus.

Non solum igitur prophete ac doctores sacrificia animalium debere cessare predixerunt, verum etiam quod, tempore Messie, unum fieret sacrificium valde devotum, purum, et mundum, manifeste monstrarunt; et adhuc, quod non esset in tempore priori; cum tempore antiquo, quoniam sacrificiis animalium utebantur, valde erat prohibitum facere sacrificium nisi in loco certissimo: habetur in Deuteronomio, cap. 12: «Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo, quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum» (11). Sed sacrificium futurum in quocumque loco mundi fieret, solum quod duobus gauderet privilegiis: unum quod esset valde mundum, non cum sanguine, nec sippo, nec alia immundicia, ut fiebat antiquitus. Secundum, quod omnis locus, quod quilibet locus universi est ad id faciendum dispositus.

Et si vultis auctoritatem ad litteram prophete, ad hoc totum sufficientem, in propheta Malachia reperietis infallibiliter, Malachie cap. 1, ubi dicitur:

«Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? Non est michi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum» (12).

Ecce qualiter prenunciavit hic propheta ad litteram hec tria, scilicet: Annullare, et sacrificia cassare, cum inquit quod clauderent ostia templi, et quod exinde non intedebat hostia, nec sacrificia, nec holocausta recipere de manu eorum.

Secundum, quod ad verum Dei sacrificium nedum una sola domus, verum etiam quicumque locus mundi esset aptus ad illud faciendum et celebrandum, quemadmodum videtis quod fit pro presenti per totum universum ab Oriente usque in Occidentem, ab Indiis, ubi est initium populacionis, usque ad finem Occidentis, qui est apud sanctum Iacobum de Gallecia, hoc sacrum sanctum sacrificium solemniter celebratur, at adhuc in omni loco sancto terre israelitice, et in Monte Synay, ubi data est lex, et in monte Carmelli, ubi Helyas habitabat, et in quocumque loco, quem sacerdos duxerit eligendum.

Tercium autem, cum dixit illud sacrificium non esse quid 'aut materiale immundum' [E. materiale aut immundum], sed quid mundum,

(11) Deut. 12,13.

(12) Malach. 1,10.11.

quid purum, quid spirituale. Declarare enim hoc mundum sacrificium et sanctum quod esse debebat sempiternum, quid esset, aut de quo, satis declaraverunt prophete, dicentes manifeste hoc esse sacrificium panis, in quo monstretur Messias verus Deus; et quod esset quid rotundum, et quemadmodum palme manus hominis; et quod tempore celebrationis monstraretur et elevaretur istum sacrificium supra caput sacerdotis, ita proprie sicut hodie fit in sacris altaribus Ecclesie.

Et videte auctoritatem ad omnia hec, quam psalmo 71, si bene attenditis, inveniatis scriptam. Qui quidem Psalmus secundum omnium doctorum et glosatorum hebreorum opinionem, de, et in actibus Messie indubitanter loquitur, ubi dicitur:

«Erit frustrum panis in terra in capite moncium» (13).

Super hunc autem textum diverse sunt translationes latine; et sic hoc, quoniam vocabulum istud, scilicet, «frustrum panis», diversimode valet intelligi.

In translatione autem Beati Ieronimi dicitur: «Erit firmamentum in terra in summis moncium» (14).

In alia autem translatione dicitur: «Erit placentula tritici in terra in summis moncium.»

In ebrayca vero, ad literam dicitur: «Erit frustrum tritici in terra» quasi dicat: erit Messias, de quo loquitur, frustrum panis. Et hoc enim vocabulum, scilicet, «frustrum», dicitur in ebrayco piçat, et dependet seu dirivatur ab isto, scilicet, paz yeda, quod idem est quod yr seu palma manus. Dicit ergo quod Messias erit frustrum panis, ad modum yr seu palme manus (15).

Et Ionathas in translatione caldaica, nobis clarius declaravit, sic inquiring: «Erit sacrificium panis in terra in capitibus moncium sinagoge» (16). Et capio pro capita moncium sacerdotes, quoniam sacerdotes, respectu populi, sunt sicut montes respectu terre, quoniam ipsi sunt quid alcius et eminentius ipsa terra.

Hoc etiam [E. + idem] sacrificium fuit prenosticatum seu prophetatum tempore Abrahe patriarche, iuxta opinionem Talmudistarum et rabinorum ebreorum, et per os David propheticè hoc confirmatum. Hoc enim reperitur in libro Beresith rabba de rabi Moyse, ubi sic dicitur, super textu Genesis, cap. 14:

«Et Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos summi Dei» (17).

«Dicit rabi Samuel, filius Naaman: Iste Melchisedech erat Sem,

(13) Salm. 71,16.

(14) Salm. 71,16.

(15) Cf. *Pugio*, 420; 837-838; 474; 773.

(16) Cf. *Pugio*, 838.

(17) Gen. 14,18.



filius Noe; et ille panis et vinum ostendebat quod Melchisedech docuerat Abraham actus sacrificii, qui erat, scilicet, panem et vinum sacrificare; et hoc est quod inquit psalmista: «Iuravit Dominus, et non penitebit eum: Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech» (18). Et quis est ipse? Ipse est rex Messias, de quo scriptum est: «Ecce rex tuus venit tibi iustus, et salvator ipse.» Zacharias 9 (19). Et quia dixit «proferens panem et vinum» concordat cum psalmista dicente (20): «Erit firmamentum in terra in summis moncium» (21).

Usque huc sunt verba doctoris littera ad litteram.

Qui enim cecus non est, potest clare videre qualiter iste doctor nostram, ita bene, at adhuc melius, quam quisque catholicus, asserit conclusionem. Et hoc quo ad nonam conclusionem.

---

(18) Salm. 109,4.

(19) Zach., 9,9.

(20) Salm. 71,16.

(21) *Bereshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 43, in Gen. 14,18 (ed. B. N. 54-57. *Pugio*, 840).



## SESION XXXIV

DIE LUNE VERO, tertia iulii, in presencia predictorum constitutus magister Ieronimus, super decima interrogacione, iudeos prefatos, sic inquires, informavit:

Decima enim interrogacio est:

An veteris legis ceremonialia, ut puta, ceremonialia et sacrificium, sacerdocium de tribu Levi et generis Aaron, post adventum Messie erant continuanda.

Respondet iudeus se credere quod post adventum continuabuntur.

Dico quod ista responsio est valde erronea, et hoc probari potest per diversas rabinorum auctoritates. Et immediate, ad id quod tangitur de rebus vetitis, dicitur in Beresith rabba de rabi Moysen el Darsan (1):

«Petit doctor: Quid venit nobis ad docendum Psalmista in Psalmo 145, cum ait: «Dominus solvit compeditos?» (2). Respondet: Omnia quadrupedia que fuerunt in isto mundo immunda, Deus dabit, seu munda reputabit tempore Messie, quemadmodum erant munda filiis Noe, iuxta Sripturam, ubi dicitur in Genesis cap. 9: «Et omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum, quasi olera», etc. (3). Quemadmodum herbe omnibus licenciantur, ita animalia selvatica, seu fera, et domestica, licenciabantur eis. Et ad idem, tempore Messie, licenciabitur omne quod prohibuit. Et si dixeris: Cur in hoc mundo prohibuit? ut videret quis observaret eius mandata, aut non. Non est forcior prohibicio quod muliere menstrua, et Deus licenciabit ea tempore Messie cum sic sit scriptum Zacharie cap. 13: «Et etiam

---

(1) *Bēreshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 89, in Gen. 41,1 (ed. B. N. 90-91. *Pugio*, 802-803).

(2) Salm. 145,7.

(3) Gen. 9,3.

prophetas, et spiritum immundicie transferam de terra» (4); et non est maior immundicia quam illa, quoniam sic dixit Levitici capitulo 18: «Et ad mulierem in menstruo immundicie sue non appropinquabis» (5).

Usque huc sunt verba doctoris, per que patet omnia ceremonialia prohibita debuisse licenciari tempore Messie; et maxime cum sint alia verba in Talmut que particulariter ostendunt qualiter quelibet species cibi debet licenciari. Receptit inter animalia domestica porcum, quoniam ad veritatem secundum medicinam sunt carnes robustiores et substancialiores quam omnia domestica, de quo inquit in Talmut: «Propter quid porcus vocatur hazir, quod idem est quod redibile? Quoniam Deus restituet ipsum ad Israel» (6).

Per selvatica recepit, causa exempli, quamdam bestiam apud hebreos vocatam Behemoth, de qua inquit in Talmut, quod est tam magna quod pascit [E. + in] die uno mille montes, et dicitur quod Deus custodit eam salsam pro iustis tempore Messie. Et ad significandum omnes naturas piscium, qui tunc licenciati erunt, recepit maiorem piscem qui est in mari, in hebreo vocatum leviatan; et dicunt quod ille piscis ad idem est salsus pro iustis tempore Messie, et dicitur sic in Talmut: «Paratus est Deus noster facere convivium iustis de carnibus leviatan.» In tantum quod non est iudeus qui venderet suam partem pro magno precio. Intencio tamen auctoritatis est quod Deus licenciabit iustis omnes naturas piscium.

Ecce probatum, qualiter in lege vetita seu prohibita ceremonialia debebant tempore Messie licenciari.

Iudeus tamen potest hic aliquo modo insurgere, unum faciens fortissimum argumentum, dicens:

Certum enim est, quod lex tota mosayca fuit per os Dei tradita Moysi, que quidem conclusio ab omnibus est aprobata. Secundum hoc igitur, qualiter christianus nec aliqua persona mundi, potest dicere quod Messias, aut quis alius, quidquam illius, quod Deus noster constituit, seu ordinavit, mutandi habeat potestatem? Et qualiter quidquam magnum aut parvum illius quod per os Dei fuit statutum et ordinatum aliquis valeat mutare?

Responsio ad hoc est valde manifesta per doctores talmudistas, quoniam scribunt, ad literam docentes, qualiter verba per Deum affirmata, per os angelicum aut prophete mutari possunt, revocari, aut diminui. Per os quidem angelicum, patet mox per quamdam auctoritatem in libro Glosa moralis super libro Numeri, super textu ubi

(4) Zach. 13,2.

(5) Lev. 18,19.

(6) *Vayikrá Rabbá*, 13,5.

inquit, Numeri 22, cum Balaam iret cum nunciis Balac, et exiit angelus obviam [E. + ei] itineranti, volens eum occidere. Cui Balaam ait: Si angelo via eius non placebat ipse retrocederet, inquiens: «Si malum est in oculis tuis, revertar michi» (7). «Dixit Balaam ad angelum: Numquam enim concessi quod irem cum hiis hominibus, usquequo Dominus Deus Noster michi dixerit quod irem cum eis, inquiens: «surge, vade cum eis» (8). Et tu vis revocare quod ipse dixit, et dicis quod revertar? Respondit ei angelus: Ne mireris, quoniam sic est consuetudo Dei, nam reperies ipsum dixisse ad Abraham quod immolaret filium suum, et angelus revocavit illud. Sic enim scriptum est Genesis 22: «Et vocavit angelus Domini, et dixit: Non extendas manum tuam» (9). Noveris quod consuetudo est, quod ipse dicit aliquid, et angelus revocat illud» (10).

Usque huc sunt verba doctoris.

Ex quibus sequitur, quod, ordinata per Deum, facit ipse per os angeli revocari; et nedum per os angeli, verum etiam per os prophete quod ipse met mandavit facit mutare, et sic illud debemus observare. Et hoc patet per quamdam auctoritatem que est in Talmut in libro Sanhedrim, in capitulo quod incipit: 'hellehune' [E. elluhen] hanne henaquin, [E. + id est], isti sunt suffocati, ubi dicitur sic:

«Dicit rabi Iohanan: In omnibus que dicit tibi propheta quod transgrediaris legem, debes facere, excepto in ydolatria, quod adhuc quod stare faceret miraculose solem in medio celi, quemadmodum fecit Iosue, non debes ei accedere, si mandat tibi ydolatrare» (11).

Ex ista auctoritate sequitur quod si aliquis propheta notabilis mandaret nobis aliqua mandata in lege mutari, quod illud minime debemus facere.

Et non solum hoc, verum etiam adhuc reperitur quod prophete antiqui ibant diminuendo cerimonialia mosayce legis, reportantes seu reducentes ea in valde pauca precepta moralia; et paulatim ea diminuunt usquequo finaliter dixerunt quod tota lex erat futura seu reducenda solum ad habendum fidem, quod in eodem textu talmudico in libro Maçot (12), in capitulo quod incipit: hellu hen halloquin, id est, isti sunt flagellati in Synay, sine dubio reperietis, ubi sic inquit:

«Dicit rabi Çanlay (13): Sexcenta tredecim mandata fuerunt data Moysi in Synay: trecenta sexaginta quinque mandata negativa, secundum dies anni; et ducenta quatuoraginta et octo affirmativa, secundum membra humani corporis. Deinde venit David et constituit undecim mandata in

(7) Num. 22,34.

(8) Num. 22,20.

(9) Gen. 22,12.

(10) *Midrash Bammidbar*, in Num. 22,34. Cf. *Pugio*, 807.

(11) Sanh. 90a. Cf. *Pugio*, 807.

(12) *Pugio*, 805 (Makkot).

(13) *Pugio*, 805: Simlai.

psalmo 14: «Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, et operatur iusticiam; qui loquitur veritatem in corde suo; qui non egit dolum in lingua sua; nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos. Ad nichilum deductus est in conspectu eius malignus; timentes autem Dominum glorificat. Qui iurat proximo suo, et non decipit. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit. Qui facit hec non movebitur in eternum» (14). Deinde venit Isaias et constituit ea in sex, sic inquires, capitulo 33: «Qui ambulat in iusticiis et loquitur veritatem. Qui proicit avariciam ex calumpnia et excutit manus suas ab omni munere. Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum. Iste in excelsis habitat» (15). Ulterius venit Micheas, et constituit seu reduxit ea in tria, Micheas, cap. 6: «Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo» (16). Post hec quidem venit iterum Isaias concludens ea in duobus, Isaias, cap. 56: «Hec dicit Dominus: Custodite iudicium, et facite iusticiam, quia iuxta est salus mea ut veniat, et iusticia mea ut reveletur» (17). Deinde venit Abacuch et constituit, seu conclusit ea solum in uno, Abacuch, 2 cap., inquires (18): «Iustus autem in sua fide vivit» (19).

Ex hac enim auctoritate manifeste patet qualiter omnes prophete videbant quod tempore Messie debebat deleri et tolli tota illa multitudo ceremonialium legis mandatorum, que in lege ponebantur antiqua ex certis causis, tam propter ydolatria et sacrificia animalium de medio tollendum, quam propter aliqua futura moralia, quemadmodum sunt maior pars ceremonialium, significandum. Et hoc prophete videntes, docuerunt nos in quibus principaliter erat remansura, ea artantes in tantum quod ultimus fuit Abacuch, qui fuit iuxta tempus Messie, et reduxit omnia mandata ad unum tantum, quod est fides, dicens: «Iustus autem in sua fide vivit» (20).

Et hic nobis edocuit qualiter omnia ceremonialia legis erant finaliter destruenda, seu abicienda, et erat veniendum ad unum quid, quod fides vulgariter nuncupatur; et in hoc fides catholica, que est doctrina per Messiam data, indubitabiliter ostendebatur.

Ecce ergo sufficienter satisfactum argumento iudei, scilicet, quod

(14) Salm. 14,1-5.

(15) Is. 33,15.16.

(16) Mich. 6,8.

(17) Is. 56,1.

(18) Habac. 2,4.

(19) Cf. *Pugio*, 805-806, donde trae íntegra esta autoridad.

(20) Habac. 2,4.

angelus aut propheta ordinatum a Deo potest revocare. Non est igitur admiratione dignum, si Messias habebat potestatem licenciandi in lege antiqua prohibita, et cerimonias mutandi. Quoniam, secundum omnium credenciam, propheta, et plusquam propheta, et plusquam angelus esse debebat. Quoniam sic declarant talmudiste super textum Isaie, cap. 52:

«Ecce intelligit servus meus et exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde» (21).

Et declarant ipsi: «Exaltabitur plusquam Abraham, et elevabitur plusquam Moyses, et sublimis erit valde plusquam angeli» (22).

Ergo si maior est Messias quam prophete et angeli, bene habet potestatem faciendi quod ipsi faciunt (23).

Hoc autem probato, nunc restat de sacerdocio tractare.

Notum est enim iudeum valde abhorrere audire quod alius quam de genere Aaron possit Deo servire. Et hoc quidem verum est quantum ad tempus veteris legis; sed post adventum Messie gracia sacerdocii fuit ampliata ad omnes Deo servire volentes et doctrinam Messie custodientes.

Super quo unam reperietis notabilem auctoritatem in libro Mequel-ta scriptam, ubi inquit (24):

«Dicit rabi Barachias: Scis pro quo dixit Iob 31: «Foris non mansit peregrinus?» (25). Quasi dicat quod parati sunt peregrini, tempore Messie, esse servitores Dei, eiusque sacerdotes, quoniam sic scripsit Isaías, cap. 14, ubi dicitur: «Adiungetur advena super eis, et congregabuntur super domum Iacob» (26). Et nichil aliud est hoc «congregari» quam sacerdocium, quia sic dixit in libro Samuelis: «Congregabis me ad unum de sacerdotibus, seu sacerdotiis» (27). Et hoc est quod peccit Aquilam, peregrinus, a rabinis dicens: Quid est quod dicit Scriptura, Deuteronomii cap. 10: «Amate peregrinum et date ei victum atque vestimentum?» (28). Quomodo hec sunt cuncta promissa, que Deus promissit ad legem venientibus, quod dabit nobis panem et pannum? Responderunt Rabini: Noveris quod Iacob, pater noster, nichil aliud peccit a Deo, ut scribitur Genesis cap. 28, nisi: «et dederit michi pa-

(21) Is. 52,13.

(22) *Bereshit Rabbá* de Darshán, par. 68, in Gen. 28,10 (ed. B. N. 70-71. *Pugio*, 769); *Tanhuma*, in Gen. 27,30.

(23) Cf. *Pugio*, 808.

(24) *Shemot Rabbá*, 12,43. Cf. *Pugio*, 459-460. La equivocación de Jerónimo se explica por la cita que hace el *Pugio*, 457-458, de la *Mekiltá*, in Ex. 22,21: habla de los gentiles y dice: «Advenae quoque vocantur ministri, sicut dictum est Is. 56, v. 6: Et filios alieni applicatos ad Deum ad ministrandum ei» (p. 458).

(25) Iob. 31,32.

(26) Is. 14,1.

(27) 1 Reg. 2,36.

(28) Deut. 10,18.19.

nem ad comedendum, et vestimentum ad induendum» (29). Et tu, qui venisti noviter ad nos, non sufficit tibi quod sis similis Iacob qui vocabatur primogenitus Dei? Verumtamen ne cogites quod Iacob finaliter panem et pannum solum peteret. Sed dicebat sic Iacob: Dominus promisit esse mecum, et quod elevabit ex me totum bonum universum; quando sciam quod hoc adimplebitur? Quando exierint ex me sacerdotes comedentes panem sacrificii Dei, et induant vestimenta sacerdotalia. Ad idem tibi, cum lex dixit: «Amate peregrinum, et date ei victum, atque vestimentum» (30), intendit quod ex vobis peregrinis, et ex illis qui ab aliis gentibus venitis ad credulitatem Dei, creabit sacerdotes qui comedent panem sacrificii Dei, et induent vestimenta sacerdotalia.»

Usque huc sunt verba doctoris.

Ex quibus manifeste patet nostram conclusionem multa nitescere veritate, vestramque responsionem contra omnem, ut probatum est, esse veritatem. Quod sufficit pro presenti quo ad decimam interrogationem.

---

(29) Gen. 28,20.

(30) Deut. 10,18.19.



## SESION XXXV

DIE AUTEM VENERIS, septima dicti mensis iulii, prefatus magister Ieronimus proposuit sub hiis verbis:

Undecima quidem interrogacio fuit, scilicet: Que est causa tam longe diurneque captivitatis, in qua vos iudei nunc positi estis?

Ad quam respondentes dixistis:

Respondet iudeus quod peccata.

Hec etenim per vos facta responsio, est valde cautelosa, cum sit valde universalis et generalis; in tantum quidem est generalitas eiusdem, quod potest comprehendi tamquam vera, et tamquam falsa. Propter quod? Cum enim dicitis quod propter peccata, si vestra intencio est, propter peccata commissa in adventu veri Messie, tum in eum non cognoscendo, 'tum' [E. cum] inobedienter et vituperose et contumeliose eum tractando, vestra responsio tunc, sine dubio, meram obtinet veritatem, me sine fallo reddens valde contentum. Sed si vestra est intencio, propter alias naturas et modos peccatorum, responsio vestra, ut falsissima, omni est opposita veritati.

Non enim dicere possumus, quod vestra intencio sit secundum primam significacionem, quod magistraliter docet infallibiliter experientia, quoniam, si sic esset, haberetis illius veram cognicionem, et vestris totalibus conaremini viribus ab illo purgari peccato; eciam quoniam vos met in dietis prehabitis confessi estis, dicentes ad literam sub hac forma: Dicit iudeus quod propter peccata que fuerunt in primo templo commissa, que fuerunt plura, valdeque horribilia, sumus in hac tam diurna captivitate. Hec autem fuerunt verba vestra principaliter intenta et ad literam superius oblata, quamvis aliter ordinata. Iuxta que oportet nunc ista intelligi, cum dicitis in responsione, quod captivitas est propter peccata, quod vult dicere quod propter illa peccata superius declarata. Et iuxta hanc declaracionem dico quod res-

pensio vestra, cum honore loquendo, est omni rationi opposita, pluribus rationibus:

Primo, quoniam per diversas auctoritates reperitur in illis septuaginta annis captivitatis babilonice totum malum quod propter dicta peccata vestri predecessores merebantur, vos ipsi ad plenum purgasse, ut per Daniele[m] patet, 9 cap. ubi dicitur:

«Cucurrit super nos melediccio et iuramentum quod scriptum est in lege Moysi» (1).

Item, in libro Paralipomenon, cap. ultimo, ita inquit:

«Captivavit reliquias ensis super Babilonia, et fuerunt sibi, et filii eius pro servis, usquequo regnavit regnum Persie, et usquequo terra celebraverit suas ebdomas omnibus diebus desolacionis, ad complementum septuaginta annorum» (2).

Videtur ex hoc quod pro tunc purgata esset omnis pena quam propter illud merebantur.

Item, quoniam per Ieremiam, cap. 29, reperimus eis promissam fuisse valde magnam prosperitatem et magnum bonum, cum completerentur septuaginta anni (3). Ex quo sequitur, quod tunc omnis purgacio preteriret.

Item, reperimus Moysen in decem utique preceptis, dixisse quoniam Deus est zelotes, visitans peccatum patris in filiis usque ad tertiam et quartam generacionem, et quod facit misericordiam mille generacionibus. Et cum post primi templi destruccionem quatuor et multo plures preterierunt generaciones, sequitur hanc captivitatem propter illa peccata non fuisse, maxime cum translacio caldayca et Talmut, super prefato textu, declarent quod visitacio illa, quam Deus facit de peccatis usque ad quartam generacionem, intelligitur cum filii et nepotes imitantur delicta et vicia patrum suorum, cum alias nullus puniatur nec condempnetur nisi pro suo proprio delicto, iuxta declarationem Ezechielis, cap. 18 (3 bis).

Ex quo oportet nos hic necessario dicere unum de duobus:

Aut vos iudei estis in presenti captivitate propter peccata commissa in primo templo, aut non.

Si propter illa, sequitur quod vos ipsi ad idem continuatis eadem, iuxta caldaycam translacionem et talmudicam declaracionem. Quoniam si sic non esset, veniret Deus contra illud quod per manum Ezechielis dixit; ac si ita est quod in eisdem criminibus perseveratis, adhuc sequitur quod etiam hodie ydolatriam, homicidium, et adulterium nequiter perpetratis, sicut perpetrarunt antiqui. Iuste enim et racionabiliter

(1) Dan. 9,11.

(2) 2 Paral. 36,20.21.

(3) Ier. 29,10.11.32.

(3 bis) Ex. 20,5.6; Ezech. 18,4.20.

terra vos tollerare minime deberet, sicut christianos, talia scelera committentes, minime tolleraret.

Hec quidem conclusio oritur ex eo quod creditis, et asseritis, quod in hac captivitate, propter peccata que facta sunt ante primi templi destructionem, adhuc permanetis de presenti.

Sanius igitur vobis succederet et melius ab illa erronea opinione retroire, scilicet, quod non sitis in hac captivitate propter illa peccata publice confitentes, quam alias.

Quoniam et non estis propter illa peccata in captivitate detenti, necessario convenit investigare, et facere iuxta rationem et textus propheticos, propter quod peccatum seu crimen in captivitate permanetis de presenti. Et, ut perfecte ad huiusmodi noticiam pervenire valeamus, talem premitto rationem:

Aut vos in hanc tam longam, diurnamque captivitatem, tam universalem, tamque fortissimam, propter punicionem peccati alicuius traditi estis, aut sine peccato.

Non potest dici quod sine peccato, cum veniremus contra sacram Dei Scripturam, precipue contra verba Moysi dicentis Deuteronomii cap. 32: «Dei perfecta sunt opera, et omnes vie eius iudicia; Deus fidelis at absque ulla iniquitate, iustus et rectus» (4). Item vos estis pluries confessi, plures eciam auctoritates allegantes ad probandum captivitatem et moram Messie propter vestra fuisse peccata.

Postquam igitur est propter peccatum vestrum: Aut propter peccatum aliquod in lege nominatum, aut propter aliud.

Non propter aliquod peccatum in lege nominatum, cum reperiamus in primo templo in omnibus gravioribus criminibus deliquisse in lege contentis, ut puta ydolatria, homicidio, adulterio, et eorum punicio nisi septuaginta annis minime duravisse.

Si autem propter peccatum in lege non contentum: Aut illud peccatum est aliquibus hominibus generis vestri [E. + aut] universaliter, 'aut' [E. (—)] in omnibus.

Non in singularibus hominibus, quoniam iniusticia fieret condempnando universos tam diuturno tempore propter peccata aliquorum singularium, cum oppositum huius reperiamus in lege, quoniam esto quod plures de universitate deliquissent, propter aliquorum merita singularium possunt restaurari omnes de universitate. Sic enim in sententia super Sodoma et Gomorra valet reperiri, quod si valde pauci iusti ibidem reperti fuissent, illi pauci quinque illas civitates meritis eorum restaurare valuissent.

Ex quibus cogimini necessario dicere hoc fuisse quoddam peccatum generale, in quo tota vestra communicat universitas.

(4) Deut. 32,4.

Et ad hoc bene intelligendum, quoddam medicine adducam exemplum. Propter diversos etenim regiminum errores, reperimus hominum corpora in varias egritudines incidere. Nonnulli enim egrotant febre sanguinea sinoqa appellata, et hoc ideo quia multum de carnibus comedunt, et multum vinum bibunt. Nonnulli quidem de terciana, propter esum fructuum et usum ferculorum callidorum. Nonnulli quidem quotidiana, propter esum multorum piscium, et usum ciborum frigidorum. Et sic de singulis. Verumtamen, cum contingit cunctos, tam sanguineos et collericos quam fleumaticos, senes et iuvenes, viros et feminas, in eorum morbo egrotare, quemadmodum tempore pestis, tunc non possumus dicere propter particulares errores contingere; sed illud alicui malo universalis oportet attribuere, sicut ex aeris corruptione, aut ex corruptis vaporibus a terra ascendentibus. In quo quidem aere omnes communicamus, illud mox et continue deglucientes; qui profecto est causa generandi in omnibus illis morbum pestilentialem, non obstante quod diversarum sint complexionum.

Ad propositum pari forma redeundo, videmus in singularibus iudeorum quod contingunt mala et labores particulares, quemadmodum in singulis hominibus contingit christianorum, de egritudinibus, necibus et pecuniarum amissionibus, et multa mala alia innumera, que contingunt et eveniunt singulis hominibus. Que quidem mala seu pene, ad illius singularis purgacionem merito attribuuntur. Verumtamen non solum hoc, sed adhuc aliam reperimus in iudeis punicionem cuiusdam laboris omnibus universalis; in quo quidem labore, tam iusti quam peccatores, tam viri quam femine, tam parvi quam magni, tam extranei quam privati, in illo sunt communicantes. Que quidem captivitas appellatur. Et non est tam magnus iudeus, et tam iustus, quod, dato quod bona cuncta meritoria in secta illa seu credulitate permanens faceret, quin adhuc sit in captivitate; et adhuc quod ieiuniis et verberibus corpus suum pro Dei servicio maceraret, in captivitate permanet.

Ex quo oportet dicere quod aliquod peccatum est universale in quo omnes, tam iusti quam peccatores, omni tempore, et omni regione, omnes universaliter communicant et contribuunt. Et tale peccatum similibus fulcitum proprietatibus, nichil aliud esse potest quam inobediencia, odium et contemptus, quod contra verum Messiam iudei, absque aliqua causa, habuerunt et commiserunt.

In quibus quidem inobediencia, odio, et contemptu a mille quadringentis annis citra, contra eum pertinaciter permanserunt, et adhuc perseverant incessanter. Quo si quidem durante, captivitatem cessare est impossibile.

Attendite igitur ad babilonicam captivitatem, quoniam cum peccata, que primo committebant, perpetrare cessarunt, immediate fuerunt

liberati, eorum peccata purgantes. Sed quia huiusmodi captivitatis peccatum, inter cetera, est occultum et ab eis incognitum, ideo ab eo minime convertuntur, et sic non immerito durat captivitas eorundem. Antiqui vero, egrotum imitantes qui maximam patitur infirmitatem, et hanc ignorans cogitat se fore sanum et ab egritudine liberatum, et cum illo, non est in aliquo obediens medicinis, in tantum quod nullatenus valet curari.

De hoc quidem notabilis est auctoritas in Talmut ubi dicitur:

«Querit doctor: Que diferencia est inter novissimos et primos? Respondetur: primi, quia fuit revelatum eius peccatum, fuit revelatus eius finis, [E. + sed ultimi quia non fuit revelatum eius peccatum non fuit revelatus eius finis]» (5).

Et intencio huius dicti est, quod illi de primo templo, quibus fuit manifestatum eorum peccatum per os prophetarum, recognoscentes illud, fecerunt penitentiam, et fuit eis remissum. Sed ultimi, qui eorum peccatum minime cognoverunt, nec per manum prophetarum nec per se [E. + met] ipsos, 'ideo' [E. ymo] sunt obfuscati et obtenebrati et ceci in cognicione illius, ideo eorum finis, nec redemptio, non est eis manifestatus nec certus.

Si vero diligenter attenditis, qualiter nichil aliud est ista captivitas, quam contemptus et odium quem vestri patres contra verum Messiam maliciose habuerunt potestis manifeste videre. In Talmut quidem magna reperitur altercacio super eo, scilicet, que est causa istius captivitatis. Super quo nulla causa certa reperitur. Attendentes numquam amodo mosaycam legem fuisse perfecte observatam, quemadmodum tempore secundi templi, quoniam quotidie se permittebant per prius occidi seu mori, quam aliquid legis permetterent transgredi; et numquam amodo fuerunt in Israel tot iusti, quemadmodum tempore secundi templi. Bene etenim nostis quid de ingenti constancia quam in Dei servicium Machabei habuisse fertur, et qualiter illo tempore fuerunt illi decem doctores magni, qui ex precepto legis fuerunt martirizati. Item de illa sancta muliere, filios septem habente, que omnes, unus post alium, per manum Adriani, quia ydolis nullatenus consenserunt, martirium devotissime susceperunt.

Preterea vir ille sanctus, Hunni Amaagal nominatus, qui magna Dei familiaritate precellebat; nam quam cito ad Deum oraciones fundebat, celi cataracte aperiebantur, et pluebat abundanter super terram. Ubi enim est rabi Çadoch, de quo fertur in Talmut quod quedam matrona eum cogeat ut cum ea commisceretur; qui, hoc videns, in caminum ignis ardentis maluit se proicere quam scelus tantum perpetrare. Cum vero inde extraheretur, fuit interrogatus cur illud fecerat.

(5) J. Yoma, c. Šib<sup>e</sup>at yamim. Cf. *Pugio*, 897-898.

Respondit: Quoniam qui hoc scelus perpetrat, cadit in locum similem. Ubi adhuc est rabi Hanina filius de Doça de quo fertur quod quotidie vox de celo fiebat dicens quod tota mundi machina meritis eius sustentabatur; et ipse nichil aliud expendebat de mundo nisi unum quartale seu mensuram parvam garrofarum, omni ebdomada.

Et de similibus hominibus erant quam plurimi, quia tunc, ante adventum Domini Nostri, erant in Ierusalem Hyheli antiquus, qui erat de genere David, avus Gamalielis, qui fuit magister sancti Pauli. De quo fertur in Talmut quod habebat octoginta discipulos, quorum triginta erant ita digni sicut Moyses ad prophetandum; et alii triginta erant ita digni sicut Iosue, ad hoc quod Deus ad preces cuiuslibet eorum solem in medio celi sistere faceret; viginti vero residui erant sufficientes, quorum minor erat rabi Iohannan filius de Zacay, de quo etiam dicitur quod non dimisit secretum aliquod in lege divina, nec in omnibus ceterisque scienciis, quod ipse ignoraret seu nesciret.

Et de hiis et similibus sunt infinite istorie et magne in libris hebraicis. Quod quidem docet eos fuisse magnos legis mosayce observatores, et homines bone vite.

Propter quod in Talmut magna quedam questio movetur: postquam igitur hii qui tunc temporis fuerunt et erant homines tam excellentis vite, que fuit causa eorum destructionis et captivitatis? Et postquam diucius est super hoc altercatum responderetur: Nichil aliud fuisse in causa nisi odium gratis, quod idem est quod odium sine causa et merito. Et sic finit seu concluditur omnium opinio (6).

Et postquam adhuc hodie fundantur rabini iudei, nichil aliud respondebunt fuisse seu esse in causam, sed declarant aliter dicentes: Quod illud odium gratis nichil aliud est nisi malivolencia unius contra alium, seu vicisim.

Ecce nunc qualiter tangunt veritatem loquentes, quemadmodum ceci rem palpantes, et eam non videntes.

Simile enim odium quod ipsi dicunt, non est hodie unius ad alterum inter eos, ymo est totum oppositum; quoniam non est quidem nacio in mundo que plus pietatis, plus misericordie vicisim gerant inter se quam sint iudei, tam in se visitando in infirmitatibus eorum, et in subveniendo sibi invicem in eorum necessitatibus, et in cavendo revelare secreta unius alteri, quam in extrahendo seu liberando unus alium a periculo, adeo quod si unus iudeus reperitur criminosus in posse christianorum, ipsum restaurabunt, vel liberabunt omnes de aliama in maiori estimacione seu quantitate, quam ipse reus ponderaret pecuniis.

(6) Cf. *Pugio*, 895-898, con las citas del Yoma Babli y Jerushalmí.

Homines igitur hoc modo communicantes in invicem, de malivolencia seu odio minime sunt accusandi, nec ideo tam crudeliter, tamque diuturne puniendi, quemadmodum est hec captivitas.

Oportet igitur non immerito concludere hoc odium seu malivolenciam irrationabilem, quod prefati iudei destructioni templi et captivitati appropriant causam, esse contemptum et odium quod contra verum Messiam, tempore predictorum doctorum, habuerunt; in quo quidem crimine adhuc pertinaciter perseverant (7). Et ad hoc verificandum sunt plures prophecie et auctoritates rabinorum:

Et primo videamus propheciam Amos, cap. 2, sic inquentem: «Hec dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israel, et super quartum non convertar eum, pro eo quod vendiderunt argento iustum, et pauperem pro calceamentis» (8).

Ecce igitur qualiter hic propheta docet ad literam hanc captivitatem propter crimen istud sic commissum fuisse.

Nostis quippe, et est valde notorium in omnibus Scripturis, quod captivitas Babilonie fuit propter tria peccata, scilicet, ydolatrie, homicidii et adulterii. Que, cum punitione predictae captivitatis, ut supra probavimus, fuere purgata. Sed hoc quartum, quod erat, scilicet, vendere iustum et pauperem, qui erat rex Messias, quem eisdem nominibus appellavit propheta Zacharias dicens cap. 9: «Exulta satis, filia Syon; iubila, filia Ierusalem: ecce rex tuus veniet tibi iustus, et salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam, et super filium asine» (9). Tale enim crimen numquam debuit remitti.

Iudei autem respondent hanc vendicionem propter filios Iacob fuisse dictam, cum vendiderunt fratrem suum Ioseph. Et quantum hec oppinio sit irrationabilis, rogo attendite diligenter; quoniam post vendicionem Ioseph fecit Deus cunctas gracias populi, scilicet, eos in Egipto multiplicare, et deinde eos cum tot miraculis liberare, et deinceps divinam eis legem dare, cunctaque bona mirabilia, que post hec fuerunt secuta, nulla tamen super hoc peccato facta mencione. Qualiter ergo, elapsis tot centenis generacionum, temporibus novissimis, fieret tam grandis atque mencio frequens? quam enim culpam in illo crimine novissimi mererentur seu moderni?

Ex quibus profecto glosa hec nullius penitus est fundamenti, nec alicuius rationis. Verum est enim hoc peccatum, quod antiqui commiserunt, esse irreparabile, in quo adhuc moderni perseverant.

Item prophetam Zachariam, cap. 12, dolorem et gemitum, qui propter mortem Messie erat secuturus [E. + in hoc populo] et in omni

(7) Cf. *Pugio*, 902.

(8) Am. 2, 6.

(9) Zach. 9, 9.

genere suo, cum non sit maior gemitus 'nec' [E. neque] dolor quam captivitas, reperitur prophetasse sic inquietem:

«Et effundam super domum David et super habitatores Ierusalem spiritum gratie et precum; et aspicient ad me in quem confixerunt; et plangent eum planctum quasi unigenitum, et dolebit super eum; et dolebit terra; familie et familie domus seorsum, et mulieres eorum seorsum» (10).

Manifeste igitur patet hunc gemitum, huncque planctum loqui de morte Messie. Hoc quidem patet ad literam in libro *Çuca*, cap. ultimo, ubi sic dicitur:

«Quesivit doctor: Hic gemitus, super quo est? Respondet: Oppiniones sunt de rabi Docta et doctorum, quia unus dicit: Hic planctus [E. + est] propter Messiam, filium de Ioseph, qui fuit occisus. Alii vero hoc fuisse dictum propter dyabolum, qui fuit occisus, etc. Et quilibet illorum arguit dicens: Racionem habet ut plangat propter mortem Messie, filii Ioseph; sed qualiter habet racionem ut plangat quia occisus est diabolus? quoniam super illo gaudium et leticia fieri deberent. Et respondet quod hoc sequitur iuxta oppinionem rabi Iehude Barbi Elay, qui sic aiebat: Quod tempore Messie Deus duceret dyabolum, et occideret eum coram iustis et peccatoribus. Iustis quidem videbitur in figura unius montaneæ excelsæ, peccatoribus vero videbitur tamquam unus capillus vel pilus. Tunc autem omnes plangent; iusti dicentes: heu miseri, qualiter potuimus pugnare cum tam excelsa montanea sicut ista? Mali seu peccatores quidem plorabunt, dicentes: Qualiter non habuimus potestatem unum pilum frangendi tam tenuem, ut est iste?» (11).

Hucusque sunt verba doctoris et auctoritatis, in qua vobis ostenditur, secundum quacumque harum oppinionum, prophetiam loqui de passione Messie; quoniam superius probavimus quod cum rex Messias recepit mortem et passionem, ut genus redimeret humanum, eadem hora fuisset ablata potestas diaboli contra genus humanum; taliter quod uterque doctor obtinet veritatem, tam ille qui dicit planctum fuisse propter mortem Messie, filii Ioseph, quam ille qui dicit hoc fuisse cum annullata fuit potestas diaboli. Et conclusio sequens ex hoc est, propter mortem Messie fuisse planctum et gemitum in omni genere iudeorum, et hoc est illa captivitas.

Ad probandum etiam hanc eandem conclusionem est quedam auctoritas rabi Moysi de Egipto, in libro *Soffrim* cap 11, ubi sic inquit ad literam:

«Ad idem Iesus Nazarenus cogitavit se esse Messiam, et fuit mor-

(10) Zach. 12,10.12.

(11) Sukka, 51 b-52 a Cf. *Pugio*, 411, 855.



tuus per manum iudicum; et hec fuit causa ut destrueretur Israel ense, et eorum reliquie spargerentur, et humiliarentur.»

Nunc enim quero, cum hoc malum seu captivitas, quod in Israel sequitur propter Iesum Nazarenum, fuerit tempore sue vite, an post eius mortem. Certum quidem est non fuisse in vita sua, cum post mortem eius quadraginta annis templum duravit; et post mortem eius nullum reperimus actum qui posset esse causa punicionis captivitatis.

Punicio igitur captivitatis de necessitate fuit post mortem eius. Si autem iudeus argueret: Si ergo illa fuit in causa, cur destructio templi non fuit in continenti, cum ad causam in continenti debeat sequi eius effectus?

Respondetur: Quod iam alias probavimus supra, per plures talmudicas auctoritates, quod quadraginta annis ante destructionem templi omnia miracula, omnisque templi sanctitas, cessaverunt, et fuit ablata potestas Sanhedrim, qui erant iudices in Ierusalem, cum, ex quo mors illa fuit perpetrata, numquam amodo iudicarunt iudicia criminalia. Non est igitur necessario alia maior destructio quam ista.

Ex omnibus rationibus ac auctoritatibus supra dictis evidenter sequitur hanc captivitatem propter mortem tempore illo in Messiam perpetratam indubitanter fuisse causamque duracionis eiusdem propter perseveracionem in odio prefato, inobediencia, et crimine, esse ac pari forma fuisse.

Et hoc quantum ad undecimam interrogacionem.



## SESSION XXXVI

DIE VERO MERCURII, duodecima dicti mensis iulii, prefatus magister Ieronimus proposuit dicens:

Duodecima et ultima interrogacio est:

An illam eandem terram quam primo cum ab egipciaca captivitate, et secundo cum a babilonica fuerunt iudei liberati, possederunt, illam eandem, cum vester Messias venerit, estis iterum possessuri, an aliam.

Ad quod respondistis sic dicentes:

Iudeus respondet quod credit quod illam eandem terram possidebunt.

Et licet cuicumque omnia superius habita diligenter consideranti, quod hec interrogacio esset superflua prima facie videretur, cum pluries probaverimus quod promissiones ad tempus Messie, supra populatione videlicet Ierusalem, et edificacione templi, et montis Syon prosperitate, quoniam hoc totum debet intelligi spiritualiter, et probaverimus qualiter doctores et rabini met talmudiste, gloriam paradisi terram appellant, in tantum quod dicunt in cap. ultimo libri de Sanhedrim quod cum Isaias dixit 60 cap. sui libri: «Populus autem tuus omnes iusti; in perpetuum hereditabunt terram» (1), quod per hanc terram intelligitur gloria paradisi (2). Item induximus plures ac diversas auctoritates per quas clare ostenditur quod illa civitas Ierusalem ad tempus Messie promissa, non de terrestri Ierusalem, sed de celesti erat intelligendum; et inter ceteras auctoritates, quamdam notabilem induximus auctoritatem, que est in libro de Beresith rabba, in parassa 99, cuius textus sic inquit (3):

(1) Is. 60,21.

(2) Cf. Sanh. 98 a.

(3) *Bereshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 68, in Gen. 28,17 (ed. B. N. 74-77. Pugio, 385-386).

«Die qua propinquavit mors Moysi, duxit eum Deus ad celos, et ostendit ei premium eius, et omnia futura. Stetit virtus pietatis coram Moysse. Cui ait: Moyses, numerabo tibi nova bona, quibus gaudeas: Volve faciem tuam versus sedem pietatis, et respice quid videbis. Et volvit eius faciem Moyses, et vidit Deum quod edificabat Sanctuarium manu sua propria, ex lapidibus preciosis; et inter lapidem et lapidem erat gloria divina, et Messias, filius David, intus sedens in gloria Dei. Et Aaron, frater Moysi, stabat in terra inductus. Dixitque tunc Aaron ad Moysen: Moyses, ne accedas huc circa gloriam Dei, quoniam nullus est qui huc intret donec gustaverit gustum mortis. Tunc quidem proiecit se Moyses in faciem suam dicens Deo: Domine seculi, da michi licenciam ingrediendi, et loquendi cum Messia antequam moriar. Cui Deus: Ingredere. Tunc enim Deus ostendit ei nomen eius magnum, ut non ureretur flamma divinitatis eius. Cum autem eum vidissent Messias et Aaron, intellexerunt quod Deus docuerat eum nomen eius magnum, et dixerunt ei: Benedictus qui venit in nomine Domini. Peccit Moyses a Messia, filio David, dixitque ei: Deus dixit michi se edificaturum templum super terram pro Israel, et nunc video quod edificat templum manibus suis in celo. Respondit Messias ad Moysen: Moyses, pater tuus Iacob vidit templum quod edificaretur super terram, viditque templum quod Deus erat edificaturus propriis manibus in celo; et scivit et intellexit quod templum quod edificaret Deus suis manibus in celo ex lapidibus preciosis, et de gloria divinitatis, quod illud esset templum duraturum ad Israel in perpetuum, et per omnia secula seculorum; hoc est autem quod locutus est Iacob illa nocte, qua vidit visionem, accumbens super lapidem; et vidit Ierusalem in terra edificatam, et Ierusalem in celo edificatam; et cum Iacob pater tuus vidisset unam Ierusalem in terra, et aliam in celo, dixit Iacob: Hec de terra nichil est. Et ideo inquit Genesis cap. 28: «Et expavit, et dixit: quam terribilis est locus iste; non est hic aliud nisi domus Dei» (4). Illa est duratura ad Israel in perpetuum, scilicet, domus illa quam Deus edificabit suis manibus in celo. Cum hec audisset Moyses ex ore Messie, filii David, gavisus est, dicens: «Letatus sum in his que dicta sunt michi: in domum domini ibimus. Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis Ierusalem. Ierusalem que edificatur ut civitas, cuius participacio eius in idipsum» (5).

Patet igitur manifeste ex hac auctoritate qualiter est Ierusalem et templum materiale, et qualiter illud quod est durable in eternum est spirituale. Si ergo in Scriptura sacra hoc nomen Ierusalem duplicem reperimus habere significacionem, unam, videlicet, pro illa civitate in qua regnarunt in terra David et Salomon et ceteri reges Iuda, aliam,

(4) Gen. 28,17.

(5) Salm. 121,1-3.

scilicet, pro beatitudine et gloria celesti pro iustis preordinata, significatum autem primum est verificatum tempore duorum mille annorum legis mosayce, de necessario habemus dicere quod significatum secundum debet intelligi de tempore Messie, in quo erant omnia promissa, omniaque bona per prophetas prophetata adimplenda. Et premaxime, cum prefata auctoritas dixit vobis ad literam, quod domus durabilis ad Israel in perpetuum minime erat terrena, sed illa quam Deus suis manibus edificaverat.

Si autem civitas Ierusalem, tempore Messie expectata, non intelligitur de hac terrestri civitate, minus terra promissa et illo tempore expectata debet proprie de terra illa intelligi.

Et vos quidem iudei habetis apud vos claram auctoritatem vestrorum rabinorum, ubi dicitur quod tempore Messie non erant possessuri ulterius terram illam. Hoc quidem ad literam in duobus locis reperietis. Uno si quidem in Talmut, in quodam libro Yevamot, cap. Heharel. Alio vero in fine libri Ceder Holam, ubi est textus Deuteronomii, cap. 30. «Et inducet te Dominus Deus tuus ad terram, quam possederunt patres tui, et possidebis eam» (6).

«Querit doctor: Possit ne esse quod populus haberet terciam possessionem in terra tempore futuro? Respondetur: Non.

Probatur ideo: cum dicit «eam possederunt patres tui, et possidebis eam», nominavit eam bis possessionem, ut ostenderet quod possessionem primam et secundam populus haberet in terra illa, sed non possessionem terciam» (7).

Possessio vero prima fuit cum terra fuit conquistata, cum fuerunt de Egipto liberati, et illa possessio duravit usque ad captivitatem babilonicam. Secunda possessio fuit quando fuerunt liberati de captivitate babilonica, quam durante secundo templo possederunt usquequo Titus eiecit eosdem, et inciderunt in hanc captivitatem; et tunc incepit tempus Messie. Et asserunt adhuc isti doctores quod tempore illo tercio eam amplius non possidebunt. Quod quidem, ut isti astruunt, esset tempus Messie.

Satis igitur concluditur, atque per vestros met doctores plene probatur oppositum totius vestre responsionis. Ex quibus sequitur responsionem vestram nullius esse valoris. Quod sufficit ad hanc duodecimam et ultimam interrogacionem. Hic etiam finitur replicacio quam contra particulam quartam vestre responsionis eram factururus. Quam quidem responsionem in quatuor partes diviseram, et contra quamlibet earum satis vos in verissima opinione atque catholica plene ad votum informavi.

Ex quibus omnibus prelibatis, elicitor vobis plene probatum fuisse

(6) Deut. 30,5.

(7) Cf. *Pugio*, 447-448.

Messiam ultra mille quadringentos annos iam venisse; et adhuc satisfacisse, tollisse et annullasse ceteras omnes condiciones et dubia per vos contra dictam conclusionem cavilose et pertinaciter facta.

Insuper vobis particulariter declaravimus condiciones quas dictus Messias erat habiturus, iuxta verba prophetarum et sacram Scripturam.

Ex quibus quidem conclusionibus sequitur necessario opinionem principalem fore catholicam atque verissimam, scilicet: Dominum nostrum Iesum Christum fuisse ac esse Messiam verissimum.

## SESION XXXVII

DIE VERO MERCURII, secunda mensis Augusti, iudei obtulerunt cedulam sequentem:

Iudeus vero ex adverso proposuit sub forma sequenti dicens:

Iudeus autem, loquendo semper cum humiliori et magis debita, qua potest et scit, reverencia Beatissimi Patris eiusque Sacri Collegii, et cum honore honorabilis magistri Ieronimi, et cum protestacionibus per dictum iudeum in prelibatis cedulis superius habitis:

Primo: In prima particula, ubi prefatus magister Ieronimus dicit: Quia allegavi vobis prophecias, etc., per quas, etc., conclusum est necessario Messiam venisse, etc.

Respondet iudeus: Quod credit se sufficienter respondisse, et declarasse taliter prophecias supradictas, quod, secundum eius intentum, non potest concludi venisse Messiam. Et quidquid allegaverit dictus iudeus, allegavit per textus claros propheciarum, et illas glosavit iuxta intencionem rabinorum, in hiis in quibus locuntur, et ubi non locuntur dicti rabini, dixit eius intencionem, quam ostendit esse veram per prophecias et circumstantias earundem.

Preterea, ad id quod dicit prefatus magister Ieronimus quod tenuimus duas vias per quas possemus fugere, etc. Respondet iudeus, quod veritas est quod plura, et pro maiori parte, verba et auctoritates talmudicas, per dictum magistrum Ieronimum dicta, sunt sermocionalia; quibus nullam tenetur fidem iudeus adhibere, presertim ea intelligendo literaliter. Et, non obstante quod hec responsio sufficeret, tamen, ad maiorem contentacionem, questionibus per dictum magistrum Ieronimum factis satis sufficienter satisfacimus in cedulis superius habitis.

Item prefatus magister Ieronimus inquit: Quenam ratio sufficit dicere quod verba Dei, que sunt spiritualia, etc.

Respondet iudeus quod illud quod ipse dicit, est hoc, scilicet: quod

verba Dei debent exponi secundum sensum literalem, quantum possibilitas assentit; et alias, in aliquibus auctoritatibus, ultra sensum literalem, potest dari sensus figurativus. Tamen semper debet inspicere quod ille non revocet sensum literalem, quoniam super literali debet fieri fundamentum, quoniam ille est unus apud omnium intencionem, et est certus, et de illo nemo valet excusari. Sed sensus allegoricus seu figurativus est variabilis et incertus; et qui faceret contra eum potest se excusare, alium modum figure allegando cum eius intencione consonantem. Verumtamen verbis doctorum, in quantum tangerent declaracionem preceptorum legis, tenetur fidem prestare literaliter. In tantum quantum locuntur sermonaliter, non tenetur eis fidem prestare literaliter.

Item dicit dictus magister Ieronimus: Fuit notorium in hac platea, etc.

Respondet iudeus quod verba hiis similia predixerat alias magister Ieronimus, super quo iudeus adheret responsioni per dictum iudeum super eo facte.

Item ad auctoritatem superius allegatam de Benthamalion, respondet iudeus quod secundum quod videtur per istoriam, ubi est dicta fabula, nichil de Talmut iudeis fuit prohibitum, cum tunc nondum fuisset ordinatum; sed fuit eis dumtaxat prohibita circumcisio et sabbatum, et cavere se a muliere menstrua. Que quidem mandata sunt in lege mosayca expressata, et cum assensu Domini Dei Nostri fuit punitus imperator, quia introivit in filiam eius spiritus malignus, ut tolleretur ab eis dicta prohibicio, et sic fuit ab eis ablata, et reversi sunt ad observandum dicta mandata, ut expressa sunt in dicta lege mosayca.

Huic simile reperimus in sacra Scriptura, quod boni deliberabantur a potestate malorum mediantibus malignis spiritibus, ut inquit textus: «Misit in eos iram indignacionis sue, indignacionem, et iram, et tribulacionem, immissiones per angelos malos.» Psalmus 77 (1).

Ulterius, ad illud quod dicit prefatus magister Ieronimus: Et iudeus sustinet et observat illam legem iuxta declaraciones, etc. Respondet iudeus: Quod dicte declaraciones de Rabina et Rabasse sunt vere, quas iudeus servare tenetur, tum quia ipsi eas habebant pro tradicionibus a Moyse descendentibus, tum quia expresse mandatum habemus in lege Deuteronomii, cap. 17. ubi dicitur: «Et docuerint te iuxta legem eius, sequeris sentenciam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad sinistram» (2).

Item ad id quod inquit prefatus magister Ieronimus, scilicet: Dico quod hoc dicitis contra veritatem, cum multo plus tunc temporis lex mosayca fuerit observata, etc.

(1) Salm. 77,49.

(2) Deut. 17,11.



Respondet iudeus quod eius intencio est dicere, quod boni, qui legis observatores appellabantur, ita observabant quemadmodum nos hodie. Alii autem, qui non observabant eam, obligabantur tunc temporis eam observare, adhuc secundum intencionem christianorum, et ideo prophete et ceteri boni eos castigant quotidie, quia ea non observant.

Item in secunda particula, ubi prefatus magister Ieronimus dicit: Ex quo videtur quod ambulatis varii, etc.

Respondet iudeus quod ipse semper dixit quod Messias habebat plures et diversas condiciones, ut patet in probacione omnium cedularum suarum; ex quibus solum numeravit tres illas, quoniam tunc non erat locus huic disputationi assignatus super illis; sed quando fuit de ista disputatione ordinatum, numeravit omnes condiciones que ad eius memoriam occurrebant, et sic quantum in hoc iudeus non videtur variabilis.

Dicit ulterius prefatus magister Ieronimus: et si diligenter attenditis, reperietis illas prophecias fuisse adimpletas tempore secundi templi.

Respondet iudeus quod illa propheta, sive promissio, est generalis ad quodcumque tempus in quo Israel maneret in captivitate, et illa non possumus dicere esse adimpleta in templo secundo propter diversas rationes:

Primo, quoniam in illa propheta patet qualiter Israel debebat dispergi in multis gentibus, et post, de ipsis congregari, ut patet per textum Deuteronomii, 30 cap.: «Reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua, ac miserebitur tui, et rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit» (3). Et in templo secundo non fuerunt reducti nisi de terra Babilonie.

Secundo, quoniam in dicta propheta dicitur: «Introducet te in terram, quam possederunt patres tui, et obtinebis eam» (4).

Ex quo patet quod adhuc eam habebant possidere et obtinere ut rem propriam. Et hoc non fuit in templo secundo, quoniam semper erant subiecti regibus grecorum et imperatoribus romanis.

Tercio, quoniam dicitur in dicta propheta: «Et benedicens tibi, maioris numeri te esse faciet quam fuerunt patres tui» (5). Et hoc etiam non fuit in templo secundo, quoniam non fuerunt de maiori numero, nec habuerunt bonum nec benediccionem, postquam subiciebantur alienigenis.

Item dicit prefatus magister Ieronimus: Et hoc totum fuit completum et confirmatum cum venit Messias, etc.

(3) Deut. 30,3.

(4) Deut. 30,5.

(5) Deut. 30,5.

Respondet iudeus quod adventus Iesu Christi intendit iudeus quod non fuit gloria domus, qui ymo, fuit destructio eiusdem; ymo, etiam dictus magister Ieronimus dixit: tempore passionis perdita fuerunt certa miracula que fiebant in eadem, et infra quadraginta annos fuit finaliter consumpta, seu destructa. Ita quod videtur quod iste textus «maior erit honor istius domus», etc., minime potest de Iesu Christo declarari, presertim cum subsequenter dicat textus: «Et in hoc loco dabo pacem, dicit Deus Sabbaoth» (6); et post Christum numquam fuit pax in Ierusalem, ymo guerre terribiles, et finalis destructio. Et intencio textus, secundum glosatores hebraycos, est hec: Quoniam edificantes domum erant valde desolati propter paupertatem cum qua edificabatur domus, ideo propheta eos consolabatur dicens: «Et veniet desideratus, alias desiderium, cunctis gentibus.» Et sumitur hic pro argento, auro et iocalibus, ut patet ex textu sequenti: «Meum est argentum, et meum est aurum.» Hoc enim dicit propter Alexandrum, qui venit illuc et fecit magnam oblacionem de auro et argento, fecitque magnum honorem templo et sacerdoti maiori; et ad idem dicitur propter hoc, quoniam gentiles venientes ad guerram, tempore Machabeorum, qui fuerunt devicti, dimiserunt ibidem quam plures opes.

Preterea, textus qui dicit «magna est gloria domus istius novissime» (7), etc., dicit hoc propter edificacionem quam fecit Herodes in templo, quod fuit solemnius quam illud Salomonis. Et illud quod dicit «domum ultimam», non quod non debebat esse alia ulterior post eam, sed vocatur domus ultima respectu prime. Sic enim reperimus Genesis cap. 33, ubi dicitur: «Et posuit utramque ancillam, et liberos earum, in principio; Lyam vero, et filios eius, in secundo loco; Rachel autem et Ioseph in novissimo» (8). Videtur ex hoc quod vocabat Lyam et filios eius ultimos quamvis haberent alios post istos; et hoc modo reperiuntur nonnulli alii in Biblia. Non obstante quod in hoc textu fiat alia glosa, scilicet, quod hoc vocabulum *ultima* refertur ad gloriam, et vult dicere quod gloria ultima istius domus erit maior quam gloria prima ipsius met. Et hoc quoniam incepta fuit edificari cum magna paupertate, et deinde Herodes reedificavit satis magnifice et subito. Et secundum hanc glosam, quam hebraycum sustinet ad idem cum alia translacione, debebat sic esse: «magna erit gloria domus istius novissima plusquam prima».

Item prefatus magister Ieronimus sic inquit: Ezechiel, cap. 28, clare intendit 'quod' [E. pro] illa met reduccione...

Respondet iudeus quod non potest intelligi de illa, quoniam dicit

(6) Ag. 2,10.

(7) Ag. 2,10.

(8) Gen. 33,2.

«de populis in quibus dispersi sunt». Item: «et habitabunt in ea securi» (9). Ad idem inquit: «Cum fecero iusticiam in omnibus qui adversantur eis per circuitum» (10). Et hec omnia minime sunt repta in templo secundo.

Item dicit prefatus magister Ieronimus super secunda condicione: Dico quod verum dicitis quod in adventu, etc., facta fuerunt, etc.

Respondet iudeus quod textus qui sunt in Isaia cap. 11, et in Micheas, cap. 7, quos iudeus allegavit ad probandum quod in reductione per eum expectata debent fieri miracula (11), non possunt intelligi de miraculis que christianus Iesu Christo attribuit. Et hoc ideo quoniam quidam textus inquit in eodem capitulo: «Et levabit signum in nationes, et congregabit omnes profugos Israel, et dispersos Iuda colliget a quator plagis terre» (12). Et deinde specificantur miracula que facturus erat, quorum unum est divisio maris; et perinde regressuri erant omnes dispersi ex Israel (13).

Itaque ex hoc videtur quod miracula ista, que fienda erant, debent esse propter reductionem captivitatis; et ea que christianus Iesu Christo attribuit, non fuerunt propter reductionem captivitatis, quoniam cum erat in Ierusalem et faciebat miracula, ut dicit christianus, erant pacifici in Ierusalem, et securi erant in terra, et non profugi nec dispersi in quatuor partibus mundi.

Item miraculum speciale, scilicet, de divisione maris, post Moysem fuisse factum minime reperimus, nec eciam christianus attribuit Iesu Christo.

Preterea super quarta condicione, ubi inquit prefatus magister Ieronimus: Quoniam si propter illam intelligeretur staret male, quoniam recepit singulariter illam cerimoniam.

Respondet iudeus quod questio quam fecit prefatus magister Ieronimus non habet locum, quoniam de quacumque cerimonia quam Dominus Deus noster eis facere, seu adimplere mandaret, posset fieri questio quam dictus magister Ieronimus facit. Non obstante quod nonnulli doctorum nostrorum antiqui aiunt quod ratio quare hanc particularem cerimoniam recepit, est quoniam guerra illa quam reffert Zacharias in illa prophecia debet esse in tempore festivitatis cabanellarum.

Preterea figura quam fecit dictus magister Ieronimus ad cerimoniam cabanellarum potest esse vera, et non impugnat eam iudeus. Tamen cerimonia materialis debet manere firma, ut faciat commemorationem principaliter de sensu literali cui fuit expressa ratio assigna-

(9) Ez. 28,25.

(10) Ez. 28;26

(11) Mich. 7,15.

(12) Is. 11,12.

(13) Is. 11,15.16.

ta in lege, ut patet in Levitico, cap. 24: Ut sciant vestre generaciones quod feci cabanellas seu tabernacula esse, etc., «omnis qui est de genere Israel manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel» (14). Et secundario potest significare intencionem quam dixit prefatus magister Ieronimus, scilicet, hunc mundum reputare quasi tabernaculum; et spiritualiter secundum intencionem Christianorum, quod postquam venit Iesus Christus, qui divinam gloriam promittebat, debebat multo plus observari dicta cerimonia, ad excitandum hominem ut acquireret habitationem illius domus perpetue, et non curaret de hoc seculo transitorio.

Et videtur quod non potest intelligi allegorice seu figurative prophecia Zacharie, cap. ultimo, quoniam multa ibidem numerantur particularia materialia, videlicet, de modo belli, que numquam amodo fuerunt; specialiter promittitur gentibus decem cerimoniam non servantibus punicio materialis, scilicet, privacio pluvie. Et Egipto, qui non habet pluviam in terra sua, promittit mortalitatem.

Preterea, ad illud quod inquit magister Ieronimus in quinta condicione, ubi dicitur: Quoniam eius regnum et credencia est hodie per universum mundum dispersa, seu diffusa.

Respondet iudeus quod secundum eius intencionem regnum dicti Iesu Christi, nec eius fides, minime est diffusa, cum eam non observent nisi dumtaxat christiani; peregrinaciones vero que, ut ipse dicit, per universum sint, solum christiani illas faciunt, et nulle alie mundi naciones.

Preterea, ad id quod dicit prefatus magister Ieronimus: Hoc bellum debet intelligi per bellum dyabolicum, etc.

Respondet iudeus quod bellum dyaboli seu dyabolicum, et temptacio eiusdem, patet per experienciam quod adhuc hodie est inter gentes, quoniam plura bella et intenciones perverse sunt adhuc hodie inter homines seculi, unius contra alium, et similiter ad peccandum contra Deum. Nec dictum bellum potest recipi propter ydolatriam, quoniam oblacio ydolatrie ad literam solet dici per prophetam, et non cum exemplo, precipue quod in nullo consonat cum re significata. Quoniam nulla est comparacio belli et ensis, nec lancee ad ydolatriam.

Item Isaias dicit: «Non levabit gens contra gentem gladium» (15). Et si esset secundum intencionem magistri Ieronimi, non debebat dicere nisi: «non levabit gens gladium», postquam erat eius intencio quod nullus ydolatraret.

Et ad idem dicitur in Michea, cap. 4: «Non sumet gens adversus

(14) Lev. 23,24,25.

(15) Is. 2,4.

gentem gladium, et non discent ultra 'bellingare' [E. belligerare], et sedebit vir subtus vineam suam, et subtus ficum suum, et non erit qui deterreat, quia os Domini exercituum locutum est» (16).

Hoc enim non potest dici ut auferatur ydolatria, ideo debet necessario intelligi de temporali tranquillitate. Et hoc qui dicitur «et sedebit vir subtus vineam suam», et hiis similia, sunt dicta super tempore Salomonis, et sumuntur ibi materialiter pro tranquillitate temporali.

Uterius, ad id quod dictus magister Ieronimus inquit: Valde impossibile esset, etc.

Respondet iudeus quod non reputat ipse pro impossibili, quoniam sicut unum regnum potest per unum regem in pace conservari, ad idem per Messiam universus orbis in pace conservabitur. Hoc enim est quod Micheas dixit, cap. 4: «Et iudicabit inter populos multos» (17). Et omnes erunt ei obedientes. Et proportio que est de rege ad regnum, erit de Messia ad totum mundum.

Item, ad id quod dicit magister Ieronimus in sexta condicione, super facto de Gog et Magog, loquendo cum eius honore, non videtur locum habere, quoniam secundum prophetias de Ezechiel, cap. 39, et Zacharias, cap. ultimo, videtur quod Israel tempore Gog et Magog habent esse in terra Israel populati intra Ierusalem, et cum eis debet fieri bellum.

Item, in tercia particula inquit prefatus magister Ieronimus: Certum est quod prophetie mostrand operationes seu actus Messie, etc.

Respondet iudeus suam rationem fore bonam et veram; et quod prophete prophetizarunt iuxta ea que futura erant de facto, dicentes operationes quas ipse erat facturus, scilicet, populum Israel congregare et templum edificare; et non curarunt id de Ezechia prophetizare, cum non sequatur de facto, licet sit possibile apud Deum.

Preterea, ad id quod dicit prefatus magister Ieronimus: Si diligenter verba mea intellexissetis, etc.

Respondet iudeus quod ipse intellexit valde bene dicta sua, tam prima, quam replicationes; et responsionem iudei fore sufficientem, quoniam factum tabernaculi multum fuit figuratum, ymo fuit necessarium ad faciendum divinum officium, seu servicium in deserto; et postquam fuit templum, rationabile erat quod cessaret tabernaculum, quia in templo fiebant illa, que fiebant in tabernaculo, et valde rationabile erat quod in presencia maioris, cessaret officium minoris. Sed Ierusalem infima et templum, per eum esse de Ierusalem walta, est gloria quam omnes desiderare debent, et Ierusalem inferior et templum

(16) Mich. 4,3,4.

(17) Mich. 4,3.

erat domus oracionis, et sacrificia quam, mediante illo, acquirit homo gloriam. Concessum est, igitur, per christianos et iudeos per totum universum quod civitas illa, et illa domus, est magis disposita ad acquirendum eternam gloriam, quam aliqua alia; et postquam illa est via et medium ad gloriam, maior ratio erat quod permaneret in eius essentia tunc temporis, cum quis posset consequi gloriam, quam ante.

Inquit adhuc prefatus magister Ieronimus: Dico quod si bene intellexistis verba mea, etc.

Respondet iudeus quod ipse non negat quod conversi ad gentem israeliticam vocentur Israel; tamen, non antequam convertantur. Hic, igitur, ubi dicitur, «et recipiet vos», non potest dici nisi pro Israel, propter quod nostra responsio est sufficiens. Textus vero translatus dicit «populus qui creabitur» (17 bis). Salvo honore translatoris, hebraicus quidem non dicit nisi «populus qui fuit creatus»: et hoc dicit propter nos Israel; et quidam nostrorum glosatorum declarant eum pro tempore futuro. Et eius intencio est: Quoniam tunc liberabitur populus a captivitate, et congregabuntur in una terra seu patria; et ideo bene dicit «populus de novo creatus».

Preterea, ad id quod dicit magister Ieronimus quod Moyses habebat prophetiam mediante cherubim et Archa, respondet iudeus quod prophete non indigebant de necessitate Archa ad habendum prophetiam, cum plures prophete prophetizabant extra Ierusalem, absque Archa. Et adhuc Moyses prophetizabat antequam fieret Archa. Sed erat Archa ad hoc quia in ea erant tabule decem preceptorum legis, et ibi descendebat influencia divina ad disponendum populum ad Dei servicium. Et hoc dicit quoniam non esset opus tempore Messie, cum non indigebant illa dispositione ut obtinerent illam divinam influentiam.

Declaracio autem quam dictus magister Ieronimus facit super textu, ubi dicitur: «Non erit ultra dicta Archa», etc., ubi inquit quod illud dicebatur quia lex mosayca non erat duratura tempore Messie. Non habet locum, quoniam decem precepta que erant in tabulis posita in Archa, et pro semper duratura, et numquam erant revocanda, adhuc secundum oppinionem christianam. Sacrificia eciam erit possibile quod erunt necessaria, propter aliqua nostra secreta occulta, et propter aliquos errores qui incogitanter insurgent.

Preterea, ad illud quod dicit magister Ieronimus super verbo de Maçquet Naçir quod declarat 'textus' [E. textum] super templo primo et templo secundo, respondet iudeus quod rabi Salomon et alii glosatores declarant textum per modum quo iudeus proposuit; et doctores nostri talmudiste, in Maçquet Naçir faciunt aliam glosam, que

est heq: quia erant nonnulli in Israel dicentes quod ordinatum erat propter prescenciam divinam quod debebant esse tria templa, et ideo credebant quod adhuc quod facerent bona opera, templum primum debebat destrui; et ideo dicebat Ieremias: Corrigite vias vestras et opera vestra, et faciam vos requiescere in hoc ioco; non fideiubeatis de verbis similis dicendo templum Dei, templum Dei, templum Dei ipsi (18), quoniam si opera bona facerent primum templum semper duraret.

Item ad id quod dicit magister Ieronimus, quod oppinio est doctorum talmudistarum quod decem tribus numquam sunt reversuri.

Iudeus respondet quod sunt nonnulli dicentes illud idem; tamen oppinio illa est impugnata, quoniam alii dicunt quod sunt reversuri. Et illa est nostra oppinio, quia sic conclusum est in Sanhedrim; non obstante ipsius intencio, ubi dicitur quod non debent converti, est quod tribus Iuda reverterentur omnes, ut inquit Ieremias: «et recipite unum de civitate», etc., quasi dicat quod si non esset nisi solum unus ex una civitate, ille solus converteretur; sed decem tribus numquam convertentur complete. Et oportet quidem sic declarare, quia Ezechiel, cap. 48, clare dicit quod omnes tribus redibunt seu convertentur et habebunt hereditatem in terra.

Preterea, ad auctoritates de Beresith Rabba (19) quas dictus magister Ieronimus allegavit, respondet iudeus quod numquam negavit esse Ierusalem altam, excepto quod intelligit quod Ierusalem inferior est causa acquirendi Ierusalem superiorem, et ideo expectant iudei Mesiam regem, ut edificet Ierusalem inferiorem ut, illa mediante, melius possint gloriam divinam attingere, que vocatur Ierusalem superior. Non obstante quod nunc existentes in captivitate sunt digni premio maiori, cum serviant Deo in angustia et fortuna; et plus valet, et magis est regraciandum, modicum servitium quod quis facit in captivitate existens, quam multum in prosperitate. Verumtamen, cum toto hoc, expectamus ab hac fortuna captivitatis liberari, cum potestate Deo serviendi, et servicio completo et cum gaudio, non autem modo quo ei servimus de presenti, cum non possumus ei servire, dato quod velimus. Et hec est causa qua expectamus a captivitate liberari, solum ut possimus Deo complete servire.

Ulterius inquit iudeus quod aliqua sunt contenta in cedula dicti magistri Ieronimi, ad que dictus iudeus non respondet, cum in sua cedula superiori est ad ea sufficienter responsum.

(18) Ier. 7,4.

(19) Ber. R. de Darshán, par. 68, in Gen. 28,17 (ed. B. N. 74-77).

DICTUS VERO magister Ieronimus, non obstante quod manifeste videat rationes per eum contra iudeos factas fore valde sufficientes, et super omnibus conclusionibus verissimis, actus seu operationes Messie tangentibus, se piene informasse iudeos per easdem, et adhuc viderit responsionem per iudeos contra dictas rationes factam fore debilem et in nullo tangentem proprie veritatem, cum toto hoc ad eorum voluntatibus plene satisfaciendum, ut ea per que sunt informati, lucidiora et absque ulla dubitatione eisdem videantur et clarescant, voluit tollere ac removere dubia et questiones que in responsione sunt eorundem, dicens:

Primo, ad id quod dicit iudeus in primo puncto sue prefate responsionis, quod non concluderim necessario Messiam adhuc venisse, dicendo sic: Respondet iudeus quod ipse intelligit sufficienter [E. + se] respondisse et dictas prophetias declarasse taliter quod secundum eius intencionem, etc. Dico quod valde est admiracione dignum qualiter in tam honorabili et excellenti platea seu consistorio sic loquimini, 'quo modo' [E. quomodolibet] ad votum nullam in processu consideracionem ponentes particularem super hiis que fuerunt prelibata de facto seu materia preiacenti. Nostis quippe ad plenum qualiter, tam per prophetias, quam ex auctoritatibus vestrorum doctorum seu rabinorum, meas induxerim indagaciones per quas conclusi iam venisse Messiam.

Deinde respondistis glosantes illas per quasdam glosas aliquorum rabinorum modernorum, et plus per glosas propriis capitibus vestris factas, ut a prefata vos conclusione defenderetis.

Deinceps replicui vestras glosas per sufficientes rationes, et per prophetias et auctoritates optimas iuste annullando, adeo quod finaliter respondistis dicentes quod satis habueratis deliberacionem super meis replicacionibus, et quod nichil ultra quid dicere sciebatis, quin ymo, superius per vos iam dictis adherebatis. Hec autem fuit vestra finalis et ultima responsio, ter in hoc sacro consistorio publice explicata. Quod patet largissime per scripturam manus vestre.

Postquam igitur omnia ista preterierunt, modo quo dictum est deponentes arma, vos ultra non posse reperire rationes pro parte vestra confitentes, nunc quomodo potestis adhuc dicere quod creditis et intelligitis sufficienter respondisse, cum post revocationem et vestre ultime responsionis annullacionem, confessi fueritis nichil ultra quid dicere sciebatis. Ex quo oportet dicere hoc ex vestra pertinaci duricia, rationi minime subordinata, sine dubio resultare. Ex quo oritur vestra tot et tantorum irrationabilium diffusa allegacio, sicut quotidie allegatis in vestris responsionibus. Quemadmodum est quod dicitur in punc-



to 2º, ubi negatis auctoritates vestrorum met rabinorum talmudistarum, cum non venit vobis ad propositum oppinionum vestrarum erronearum, dicitis eas nullius penitus esse valoris, quia sunt sermocionales seu verbotenus solum dicte.

Ecce quam irrationabile dictum est hoc quod pertinaciter asseritis. Nam hoc dicentes, vobis metipsis tripliciter repugnatis:

Et primo, in Scripturarum vestrarum, que quotidie apud vos in scolis vestris leguntur, et per vos metipsos recitantur seu predicantur, turpissima negacione.

Secundo, cum in sexto puncto huiusmodi responsionis asseritis confidentes quod quilibet iudeus omnibus declaracionibus de Rabina et Rabasse, qui Talmut composuerunt, obligetur ad fidem prestandum et eas inconcusse servandum. Ecce igitur hic duas contradictorias sentencias: Unam scilicet quod quidquid dixerunt Rabina et Rabasse est verum, et est eis credendum; aliam autem quod aliquid quod ipsi dixerunt, non credendum.

Tercio: super titulo quem dictis auctoritatibus imponitis dicentes quod illa sunt dicta sermocionaliter seu verbotenus, ideo eis fides prestari non debet, sub eodem met titulo allegastis quod totum Talmut intitulatur, scilicet, quod quidquid in eo est, dicitur sermocionaliter seu verbotenus, ut per illam patet auctoritatem, que est in libro de Sabbaoth, cap. ellu hen halloquin, quod idem est quod «hii qui sunt flagellati», ubi super quadam sententia unius conclusionis, que inter duos doctores vertebatur lata, doctor arguit sic inquiring:

«Quis ascendit in celum et descendit (20), et scivit quod sic erat? Responderunt: Et qualiter alie sentencie que late sunt in Talmut: Quis ascendit in celum scire quod sic erant, nisi solum qui sermocinamus textus Scripture?» Et ita est hic ad idem.

Ex 'quo' [E. hoc] igitur patet quod totum Talmut vocetur sermones facti super textibus; ex quo sequitur quod quemadmodum conceditis quoad aliquas sentencias, quod sic debetis concedere reliquas, postquam, ut vos dicitis, omnes nominantur sermones.

Ex hoc adhuc vicio et pertinacia sequitur illud quod in tercio puncto asseruistis, scilicet, quod verba divina non habent sensus allegoricos et anagogicos, et verba rabinorum glosatorum sic; quod quidem nullum penitus habet locum, propter rationes superius habitas.

Ex quo vicio sequitur quod illud quod iterum 'negastis' [E. negatis] in hac publica platea, seu consistorio, concessistis, scilicet Messiam illo tempore fuisse natum; omnia nempe ista irrationabilia et dissona, ex vestra proterva pertinacia sine dubio resultare videntur, modum investigantes quo a via veritatis subterfugere valeatis. Et nedum hoc, sed

(20) Cf. Prov. 30,4.

adhuc vos in peccatum sequitur incidere ariolandi, ut per verba Samuelis prophete supra probatum est in prehabita replicatione. Ad quod etiam nichil respondere curastis. Oportet igitur vos super eo respondere. aut confiteri vos augures et ydolatras.

In puncto preterea quo vestre responsionis pedem figitis, in eo quod allegavi de Benthamalion diabolo, dicentes illud non esse in Talmut, quoniam tempore quo hoc reperitur fuisse Talmut nondum erat compilatum, et quod singulariter super tribus cerimoniais istis fuerit facta ordinatio. Verumtamen argumentum vestrum nichil valet, et quamvis Talmut nondum fuerit compilatum, Messias tamen Iesus Christus iam venerat, et ceremonialia legis mosayce iam cessabant; et cum rabini temporis illius, propter eorum rebellionem, volebant adhuc eas sustinere contra Dei voluntatem, minime potuerunt obtinere nisi cum adiutorio diaboli, Benthamalion nomine. Sic quod unus eorum flere cepit supra modum dicens: «Heu me, nam ancillis patrum nostrorum exhibant angeli revelantes, ut earum expedirent negocia, nobis autem exeunt demones.»

Item, in sexto puncto ubi dicitur: Respondet iudeus quod dicte declarationes de Rabina, etc. Valde mirandum est, nam illa que vobis succedunt ad votum reputatis auctentica, quod autem scripserunt Rabina et Rabasse que vobis non succedunt ad votum dicitis quod non dabitis fidem. Scire namque vellem ubi est scriptum in Talmut: huic est prestanda fides, huic autem non. Ymo per textum Deuteronomii, 17, per vos allegatum, iniungitur sub precepto quod cuicumque dicto eorum, dato quod sit irrationabile, debetis omnem fidem sibi prestare, cum ad literam dicatur: «sequeris sententiam eorum, nec declinaberis ad dexteram, nec ad sinistram» (21).

Super quo quidem textu, dicunt doctores vestri quod lex dedit tantam auctoritatem rabinis talmudistis, quod, dato quod ipsi vobis dicant dexteram esse sinistram et sinistram dexteram, eorum dicto tenemini credere (22). Et ideo ex hoc sequitur quod, dato quod verba eorum sint contra aliquas vulgares oppiniones, quas vos de facto servatis, quod ea minime debetis negare, ymo eis plenam fidem adhibere.

Uterius, in septimo puncto respondetis contra illud quod vobis probaveram, quod in illis mille quadringentis annis qui preterierunt a die quo lex data fuit usque ad adventum Christi, lex per omnes iudeos plene observata non fuerit, ut in vestra asseritis responsione, nunc vero dicitis: Iudeus respondet quod intencio eius est dicere quod boni qui legis observatores vocabantur, sic observabant quemadmodum et nos ho-

(21) Deut. 17,11.

(22) Midrash *Debarim Rabbá*, in Deut. 17,11. Cf. *Pugio*, 807.

die observamus. Alii vero qui eam non observabant tenebantur eam observare, etc.

O quantum verba vestra de directo obviant veritati, dicentes quod propter observacionem legis per unum prophetam factam quolibet tempore, sicut Helyas, suo tempore, et Eliseus in suo, et cunctus tamen populus legem transgrederentur, et quod dicatis legem observamus. Nam ex hoc sequeretur quod observancia unius aut duorum, omnium observancia diceretur; Deus, ergo, iniuste procedebat cum, propter peccata, populum puniri permittebat, cum uno dumtaxat propheta legem servante, omnes dicantur servasse atque servare.

Dixistis insuper quod observare idem sit ac si diceret quod tenebatur observare. Et ex hac quidem oppinione innumera sequerentur inconveniencia; quoniam iuxta hanc vestram oppinionem, adhuc quod quis quantumcumque scelera perpetraret, minime legis transgressor diceretur, igitur tenetur observare eandem. Item, unus religiosus suo est obediens ordini, quia tenetur esse obediens. Sequeretur adhuc ex hac vestra oppinione vos iam de facto esse in Ierusalem, cum secundum vestram spem ibi debeatis habitare et esse, ergo iam ibi moramini. Omnia hec sunt opposita veritati et rationi. Ex quo sequitur primam questionem meam fore veram, scilicet, quod lex mosayca tempore antiquo numquam amodo per vos fuerit observata, sed semper valde negata et infrieta seu concussa.

Preterea, contra secundam particulam informacionis mee dixistis novem puncta tangencia.

In primo quidem puncto respondet iudeus quod ipse semper dixit quod Messias habebat plures ac diversas condiciones, etc.

Dico quod bene potest quis manifeste videre quod inceditis varii; quoniam, postquam plures sunt condiciones et diverse, non deberetis eas sub numero certo comprehendere. Et postquam sub numero ponetis dicentes uno tempore: tres condiciones sunt; alio vero: sex; satis est variacio manifesta.

Item, in secundo puncto creditis revocare illud quod ego dicebam, quod promissa Moysi in libro Deuteronomii, sunt completa templi secundi tempore. Et ad hoc tres formatis rationes:

Prima est quoniam in illa prophecia videtur quod Israel debebant spargi in plures gentes, etc.

Contra hoc dico sic accidisse, quoniam cum venissent ad templum secundum edificandum, ex pluribus nacionibus seu diversis gentibus fuerunt inibi congregati, nedum de Babilonia, verum eciam de Media, et Persia, et Siria, et de Egipto. Et hoc manifeste claret per Esdram, I cap., ubi sic inquit:

«Hec dicit Cyrus, rex Persarum: Omnia regna terre dedit michi

Deus celi, et ipse precepit michi ut edificarem ei domum in Ierusalem, que est in Iudea. Quis est in vobis de universo populo eius? Sit Deus illius cum eo, et ascendat in Ierusalem, que est in Iudea, et edificet domum Dei Israel» (23).

Manifeste quidem patet ex hoc quod in partes diversas erant sparsi.

Ad secundum vero argumentum, dicitis quod erant terram possessori, et quod illam secundam eis restitutam non possederunt, cum subiugarentur regi Grecie et romanibus imperatoribus.

Dico quod non est sic, ymo tunc temporis cum ingenti potencia eos ipsam possedissee, ut patet per istoriam Machabeorum, qui valde ipsos grecos conculcarunt, presertim Iudas Machabeus. Et plures fuerunt pacta inter eos inita cum romanis et treuge. Verum, dato quod, pro tempore aliquo, nonnulla tributa, parias, seu alia dona obtulissent imperio, sicut relique mundi naciones; tamen, hoc non obstante, non stat quin ipsi essent reges et domini sue terre, quoniam unus miles aut quivis alius dominus fidem regi, aut homagium, aut certum tributum prestans, non sequitur 'quod' [E. quia] hoc solverit, quod non sit dominus et rerum suarum possessor. Sequitur igitur ipsos terram possedissee, et rationem vestram fore nullam.

Tercium nempe argumentum, quod facitis, dicitis quod multiplicari debuissent, quod in secundo templo minime reperitur fuisse.

Dico quod ymo fuit: respicite librum Iosephi, ubi reperietis quod solum in conquesta civitatis Ierusalem, quam Titus fecit, mortui sunt in strage illa mille millium et ducenti mille. qui sunt in duplo plures quam hii qui exierunt de Egipto. Item reperietis quod in templo secundo, voluit rex numerare quot gentes fuerant ad pascha celebrandum in Ierusalem, et precepit habere ex quolibet agno paschali unum renem, et sumarunt unum millionem et tot mille renes; et agnus unus paschalis parabatur pro decem personis et ultra (24). Ecce ergo si erat multitudo gencium. Ex quo vestre raciones sunt in hoc casu totaliter nulle.

Preterea, in tercio puncto dicitis: respondet iudeus quod adventus Christi non intendit iudeus quod fuerit gloria domus, etc.

In hoc quidem puncto vos quidem sine dubio excessistis, credentes vestram erroneam fundare opinionem dicitis quod paulo post adventum fuit destructio domus, et quod post illud domus minime recipiebat gloriam, ymo ipsius oppositum. Oportet vos informari quod in adventu Domini Nostri Messie duo quidem concurrunt, scilicet: totius generis humani salvatio et ipsius animarum redemptio, que fuit maior gloria et maius bonum quod fieri poterat in universo, et domo illa durante, erat summa gloria et honor domui, quoniam Malachias pro-

(23) 1 Esdr. 1,2,3.

(24) Cf. *Pugio*, 324-325.

pheta predixerat quod Messias erat venturus, domo manente in eius esse seu forma, Malachias, cap. 3, ubi dicitur: «et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos queritis, etc.» (25). Secundum vero in adventu Messie concurrens fuit contemptus, rebellio et inobediencia seu odium quod pharisei, et maior pars ebreorum, contra eum conceperunt; et hoc fuit causa destructionis templi, et stragis eorum in gladio, et ut residuum introirent captivitatem. Sequitur igitur quod, non obstante quod ipsi condempnarentur, et propter eorum crimen dampnarentur, quod propterea domus recipiat gloriam in eius adventu.

Ulterius, vultis corrigere seu emendare textus cum quibusdam frustris seu glosis minime eis concordantibus, dicentes quod gloria domus secunde dicitur propter Alexandrum, qui venit ibidem et obtulit magna auri munera et argenti in templo, et magnum honorem impendit sacerdoti, etc.

O quam hee glorse debiles sunt et vane. Quoniam hec gloria domui illi promissa debet intelligi de temporalibus, aut debet intelligi propter magnum valorem hominum nobilium, aut debet intelligi de magnis divitiis, aut de magna pace et concordia, aut de edificiis notabilibus, et rebus sanctis et preciosis. De hiis quidem omnibus gloriosius et honorabilius reperitur fuisse templum primum quam secundum. Si vero de hominibus, quot vita et sanctitate prepolentes, quot prophete excellentes, quot reges strenui et magnifici erant in primo templo plures quam in secundo.

Ad id vero quod dicitis de Alexandro, certum quidem est maiorem fuisse Salomonem, qui universum mundum sua devicit sapiencia et nobilitate. Maior enim gloria erat domui, habendo talem regem proprium, quam Alexandrum qui solum fecit per inde transitum.

Si vero gloria domus sunt divicie, plures fuerunt absque comparatione tempore Salomonis, de quo refert istoria quod argentum erat in Ierusalem suo tempore tamquam lapides viarum.

Si vero de pace, populus non stetit in Ierusalem ita pacificus, quemadmodum tempore Salomonis, ut inquit textus, Tercio Regum, cap. 4: «Habitabat Israel et Iuda absque timore ullo, unusquisque sub vite sua et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis» (26). Cui non fuit similis in domo secunda.

Si autem de edificiis notabilibus, et rebus sanctis et preciosis, nemini dubium est, domum primam multum copiosam et abundantem fuisse in predictis, domum vero secundam defectuosam, cum omnia preciosa et sanciora, que in templo erant, defecerunt in domo secunda, ut scriptum est in Talmut in libro Yoma, ubi dicitur quod in quinque

(25) Malach. 3,1.

(26) 3 Reg. 4,25.

fuit templum secundum defectuosum respectu primi, que fuerunt: Archa Testamenti, et pectorale Aaron vocatum Urim et Tummim, ubi demonstrabantur res occulte, et ignis celi, et divinitas, et Spiritus Sanctus. Et hec quinque erant magis sancta que in templo essent.

Sequitur ergo quod in nullo predictorum fuit templum secundum gloriosius quam primum, quoniam verba prophete intelligi debent de gloria adventus Messie, et miraculorum excellencium que facta fuerunt in dicto templo manu eius, que excedebant cuncta mirabilia primi templi. Que vos iudei negare minime potestis, quia in pluribus locis vestri Talmut reperitur homines quosdam mortuos fuisse, et discipulos Iesu Nazareni venientes, et nomen eius nominantes, in continenti curabantur et sanabantur.

Item, in quarto puncto, ubi dicitur super prophecia Ezechielis, cap. 28: Iudeus respondet quod non potest intelligi de illa reduccione, etc.

Dico quod cum responsione superius habita est plene satisfactum ad hoc argumentum, scilicet, quod in illa reduccione de diversis nationibus fuerunt congregati et terram secure et pacifice possederunt; et quod fuit sancta vindicta in hiis qui malum perpetrarant, seu commiserant, ut patet per crudelissimam destructionem factam in Babilonia per manum Darii, regis Medorum, et Cyri regis Persie, qui accipientes pueros Babilonie proiciebant ad parietem, ut fertur largissime in libro Iosephi; et tunc completum est illud Psalmiste dicentis, psalmo 136, qui incipit: «Super flumina Babilonis», referendo vindictam magnam quam Deus faceret in Babilonia propter malum quod fecerat in Ierusalem, dixit [E. + sic]: «Filia Babilonis misera! beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram» (27).

Per manum etiam dicti Cyri fuit facta magna vindicta in aliis pluribus gentibus, qui malum commiserant in Ierusalem.

Ecce in hoc satisfactum qualiter prefate prophecie Ezechielis complete fuerunt in 'destructione' [E. reduccione] secundi templi, contra vestram opinionem.

Ulterius enim dixistis in quinto puncto quod plura et multa miracula erant fienda, que nondum facta sunt nec fuerunt, precipue illud quod Isaias dixit cap. 11: «Et desolabit Dominus linguam maris Egipiti, et levabit manum suam supra flumine in fortitudine spiritus sui», etcetera (28).

Hoc quidem totum fuit tempore illo, sed accidit vobis ut malo vicino, qui videt lucrum vicini sui, et non videt eius expensas. Vos

(27) Salm. 136, 8.9.

(28) Is. 11,15.

quidem iudei bene videtis vel reperitis miracula que fienda erant in adventu Messie, sed non consideratis que facta sunt. Attendite igitur que scribit Isaias cap. 42: «Et adducam cecos in viam quam nesciunt, et in semitis quas ignoraverunt» (29).

Et alibi dixit: «Surdi, audite; et ceci, intuemini ad videndum» (30). Et alibi, quod contritus saliret ut cervus, et lingua muti cantaret (31).

Hec omnia facta sunt, et completa valde publice per manum eius et suorum discipulorum.

Et quod allegatis super textu illo, scilicet, «desolabit Dominus», etc. (32), ita fuit quemadmodum inquit textus, sed propter parvam noticiam quam in istoriis habetis deficiunt vobis multa, seu plura iam preterita. In istoriis quidem reperitur, ut scribit magister Nicolaus de Lyra, quod, cum rex Alexander Magnus conflictum faceret seu conquistaret, et volens transfretare in Egiptum, fecit dividi flumen illud, nomine Nilum, in septem partes, ut agmina, 'seu' [E. et] acies eius, seu familie sue, possent levius transire aut transmeare. Et illud idem, cum se ad partes babilonicas proximaret, caute ordinavit, qualiter multitudo gentium, quam secum ferebat, posset leviter ad vadum flumen magnum Eufrates nomine, transmeare; et flumen Egipti, quod propheta linguam maris Egipti nuncupavit, et hoc, quia intrat mare egipcianum. Hoc enim fuit ad hoc dispositum, quod iudei existentes in terris Asuri, qui non poterant venire ad terram in principio edificacionis templi, leviter haberent modum ut redirent in Ierusalem; quod valde consonat cum textu, ubi dicitur: «Et calcabitur residuum populi sui, quod remanebit de Assur» (33). Et dixit quod restabit vel remanebit, in respectu quorundam aliorum qui venerant in Ierusalem cum Zorobabel, et quibusdam aliis.

Preterea, in sexto puncto dicitur: Quod questio quam dictus magister Ieronimus facit, non habet locum; de quacumque cerimonia quam Dominus Deus noster eis mandaret facere, poterat fieri huiusmodi questio, etc.

Dico quod ratio ista non procedit, quia postquam propheta recepturus erat aliquam cerimonia, ut exemplum et speculum ad quaslibet alias, iustum erat et rationabile recipere meliorem, et a qua omnia bona que habuerat Israel dependeret, ut puta, pascha 'que' [E. quod] facit relacionem de exitu Israel de Egipto. Et postquam non recepit nisi cerimonia debiliorem, et minus significativam, mea questio habet magnum locum valde, et ei oportet satisfieri propter declaracionem

(29) Is. 42,12.

(30) Is. 42,18.

(31) Is. 35,6.

(32) Is. 11,15.

(33) Is. 11,16.

per me factam, scilicet, quod intencio prophecie illius fuerit quod cerimonia et doctrina gentibus datura venturis ad fidem Messie, erit quod non ponant spem neque fundamentum in rebus temporalibus, nec reputent magis hunc mundum quam tabernaculum unum, seu unam cabanellam, et quod ponant eorum fundamentum in rebus animam et celeste regnum tangentibus, sicut expressatum est totum hoc valde difusius in doctrina evangelica.

Ad illud vero quod dicitis quod nunc magis deberent observari cerimonie, ut homo excitaretur, etc.

Dico quod non; quoniam ante adventum Messie erat tempus assignatum ad exercitandum seu executandum omnia que data erant in figura. Post adventum vero [E. + eius] omnia secreta legis debebant esse declarata, quemadmodum sunt hodie, taliter ut gentes adherentes eis, uti nucleo seu medula, et dimittere cortices debebant, ut facit pro presenti nostra fides orthodoxa.

Preferea, in septimo puncto, ubi dicitur: Respondet iudeus quod secundum eius intencionem regnum Iesu Christi et eius fides non est per totum universum, etc.

Dico quod si veritatem vultis confiteri, satis probatum extitit vobis, et valde adhuc est manifestum, qualiter regnum eius, et potestas eius, hodie sunt per universum orbem multipliciter difusa. Primo namque, a principio Orientis populati usque ad finem Occidentis, et inter cunctis mediis regionibus, cum maxima excellencia, sanctitate, et devocione assumitur, consecratur, et celebratur sanctum nomen eius; quoniam adhuc in universa Europa ubi christiani predominantur, et in magna parte regionis illius ad mare 'Affrice, et Asie' [Asie et Africe], ubi est presbiter Iohannes de Indiis [E. + ubi sunt christicole] ac nigulo nominati. 'Non' [E. nonne] est hoc maior pars populatus.

Ad id vero quod dicitis peregrinationes solum fieri per christianos, fateor. Verumtamen sunt per universas mundi regiones, et inter gentes laudantes et approbantes quod christiani faciunt. Certum enim est quod sarraceni confitentur atque credunt Iesum Christum fore verum Messiam de Spiritu Dei conceptum, seu genitum, et filium esse virginis, et sedere in celo, in gradu alciore quam aliquis prophetarum. Et insuper eis per Machometum est iniunctum evangelia Domini N. Iesu C. ad unguem servari.

Secundum hoc igitur satis bene verificatur prophecia que de ipso dicitur quod potestas eius a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Qualiter autem non vultis animadvertere diligenter quod cuncti doctores vestri, seu rabini attribuunt Salomoni ipsum monarcham fuisse, et in textu Tercio Regum, ubi determinate dicitur quod eius po-



testas erat de Tipça usque ad Gaza? (34). Ex quo patet manifeste argumentum vestrum fore nullum.

Item, in octavo puncto vestre responsionis dicitis: Respondet iudeus quod guerra dyaboli et eius temptatio, ut experientia docet, est adhuc pro presenti inter gentes, etc.

Ad hoc dico quod ante adventum Messie universum genus humanum traditum erat diabolice potestati, sive peccarent, sive non. Deinde fuit totum oppositum. Et hoc idem vestri rabini confitentur, ut patet per auctoritatem superius allegatam super illo: «Iste sunt generaciones Phares» (35). Ubi dicunt ad literam quod cum veniret Messias, filius Phares, tolleretur potestas diaboli ab humano generi. Et certum quidem est quod, durante eius potestate, mundus erat plenus ydolatria; quo revocato, ydolatria cessavit, ut de facto videmus sic fuisse secutum post Messie adventum, quod universus orbis cognitioni Dei est deditus; et sic non potest esse maior pars ista in toto orbe terrarum. Ex quo declaratio per me facta multa veritate nitescit, et argumenta vestra viis suis tendunt ut nulla.

Ad id vero quod dixi quod alias esset impossibile, et vobis arguentibus et dicentibus: Respondet iudeus quod non reputat impossibile, quoniam sicut regnum unum potest conservari in pace, etc.

Dico quod non est simile, quoniam unum regnum, in tempore modico est possibile pacificari; sed totus universus, et pro semper, est valde impossibile; et lex quidem nullum ponit impossibile.

In nono vero et ultimo puncto, dicitis arguentes contra illud quod declaravi de societate, dicentes quod non habet locum, quoniam secundum prophetias infra dictum tempus Israel debet habitare in patria sua, et in Ierusalem, etc.

Dico quod ita est hodie quod, postquam populus congregatus est ad fidem Messie, nominatur Israel, ut supra laicius probavimus, et sic est per vos concessum, sequitur quod omnis patria, quam christiani possident pro presenti vocetur terra Israel, et sancta ac catholica Ecclesia ab eis possessa est Ierusalem. Et contra illud venturus est suo tempore nequissimus ille Gog et Magog, Antichristus vulgariter nuncupatus (36).

(34) 3 Reg. 4,24.

(35) Ruth. 4,18.

(36) Cf. *Pugio*, 453.



## SESSION XXXVIII

DIE AUTEM VENERIS, quarta Augusti, prefatus magister Ieronimus adhuc proposuit sic dicens:

Item, contra terciam particulam respondistis sex puncta:

Primum est iterum perfidiare 'iterum' [E. (—)] contra argumentum per me factum super Ezechiam; et licet conemini respondere, in nullo tamen meis satisfacitis argumentis. Nam Talmut dicit ad litteram quod Deus volebat facere Ezechiam Messiam, etc. Certum enim est quod, si Deus volebat hoc facere, quod erat possibile, nisi quia turbatum est propter rationem ibi positam. Ponamus ergo quod turbatio illa non fuisset, et esset exequendum. Sequeretur unum e duobus: aut quod prophete prenunciarent falsum, aut quod edificium Ierusalem vel templi non possit materialiter intelligi, etc.

Ad quod nichil respondere curastis. Convenit igitur vos respondere eidem, aut super prefata conclusione fateamini vos esse devictos.

Secundus vero punctus, est iterum perfidiare quod ministerium tabernaculi non significabat ea que secuta sunt in templo, dicentes: factum tabernaculi, etc.

Dico: valde dissonum esse iterum velle perfidiare super eo quod clare constat. Ego enim non dixi ministerium tabernaculi necessarium non fuisse per se in deserto; ymo erat bene necessarium; sed cum toto hoc, erat speculum et figura ministerii templi futuri, cum firmi essent in terra; taliter quod duo ostenduntur: Unum videlicet per se in deserto. Secundo propter significacionem futuri seu venturi. Et huiusmodi porporcione erant que in antiqua lege ministrata, cum hiis que per ea significantur ad tempus Messie. Et hoc est valde manifestum. Et 'si' [E. sic] in mea informacione largissime posui, in hac quidem conclusione plures feci allegaciones et rationes necessarias, ad quas

minime respondistis. Et ideo, aut tenemini respondere, aut estis in prehabita conclusione confessi.

Adhuc in tercio puncto dicitis: Iudeus respondet: quod ipse non negat quod conversi ad gentem israeliticam vocentur Israel, tamen non ante quam convertantur.

Dico quod cum verbis istis michi minime obviatis, cum hoc modo supra dixerim, quod omnes conversi ad fidem Messie filii Israel vocarentur; et propheta loquens universaliter cum toto illo populo qui creandus erat, inquit: «et accipiam vos», alias «et sumam vos»; taliter quod tam ex verbis meis quam ex vestris, manifeste sequitur christianos vocari Israel, postquam sunt sub lege Messie.

Impugnacionem enim quam facitis super illo «populus qui creabitur, etc.», dicentes: Salvo honore translatoris, quoniam ebraycum non dicit nisi «populus, qui fuit creatus». Dico quod, loquendo cum honore, falsum est. Ymo beatus Ieronimus transtulit veritatem; quoniam hoc vocabulum «mura», non est verbum preteriti temporis, ymo est quoddam adiectivum, significans passionem, sicut in hebrayco *barui*. Et si vultis videre quod significet passionem, applicetis cum eo quodcumque tempus: possumus dicere fuit creatus hodie, est creatus hodie. Et Beatus Ieronimus, tamquam intelligens intencionem prophete, recepit in eius translacione veram significacionem, et dixit «creabitur». Hoc quidem consonat cum textu ubi dicitur: «Scribantur hec in generatione altera, et populus qui creabitur, laudabit Dominum» (1). Quoniam aliter non esset consonans «collaudabit», quod est futuri temporis.

Attendite igitur, rogo, ad quantum perfidia vestra se extendit. Nostis enim bene quod, dato quod prefatum vocabulum «creatus» tempus preteritum significaret, omnes prophete omnia futura cum verbis preteritis appellat, atento quod omnia, presenciam et futura, sint ita certa in conspectu Altissimi ac si essent iam preterita. Quod in huiusmodi loco non oportet nos dicere.

Ad illud vero quod in hoc puncto restat, si bene et diligenter attenditis quidquid superius est dictum, sufficienter est satisfactum per verba prime replicacionis.

In quarto nempe puncto adhuc dicitis: Respondet iudeus, quod rabi Salomon et ceteri glosatores, declarant dictum textum quemadmodum iudeus proposuit, etc.

Dico quod valde est mirandum qualiter iudicio rationis nec alicui veritatem continenti, minime vultis adherere, nec condescendere. Scio profecto sine dubio, quod rabi Salomon et vestri rabini moderni, videntes quod spes Messie differebatur, quemadmodum ipsi putabant eum expectare, habuerunt angulos querere, et glosas irrationabiles et

(1) Salm. 101,19.

textui dissonas investigare, et nichil aliud facit dictus rabi Salomon ceterique moderni, quam id quod vos hodie facitis, glosas perquirentes nullam efficaciam habentes. Primo namque dixistis quod illud templum, dictum ter (2), significabat tria que in templo erant. Nunc vero alias noviter conamini texere glosas. Sed quid valeant hoc postquam vobis ostendo auctoritatem auctenticam, a rabinis antiquioribus, et magis auctenticis, qui fuere de studio de Samay, qui fuerunt ante adventum Domini Nostri Iesu Christi, specialiter traditam, qui prefatum textum declarant hoc modo, quo in conspectu omnium hic astancium declaravi. Que quidem declaracio est valde consona omni prophecie, et vos illam omitentes toto tempore vite vestre alias glosas et invenciones capitosas, que in nullo textu penitus adherent, nec cum aliquo quod ulterius sequitur, piscantes perambulatis.

In. 5° autem puncto dicitis: Respondet iudeus quod sunt nonnulli qui sic dicunt, etc. Dico quod summa textus principalis super eodem dicit quod ego dico, et dato quod aliqui doctores de opinione sint opposita, satis sufficit principaliores rabinorum vestrorum quemadmodum ego dixi dixisse, et hoc idem asseruisse.

In sexto vero puncto et ultimo dicitis: Respondet iudeus quod ipse numquam negavit non esse supernam Ierusalem, etc., et ideo expectant regem Messiam ut edificet Ierusalem infimam, qua mediante melius possit pertingere gloriam, etc.

Non modica est hoc admiratione dignum, qualiter vultis destruere et negare verba sole clariora. Vos etenim pluries recolo proposuisse quod Messias, quem expectatis, est edificaturus templum materiale, et in Ierusalem regnaturus quandoquidem regnum et templum est in perpetuum duraturum. Nunc vero ad litteram videtis hanc auctoritatem totum oppositum vobis dicere, sub hiis verbis (3):

«Respondit Messias Moysi: Pater tuus Iacob vidit templum quod edificaretur in terra, et vidit templum quod edificaret suis propriis manibus in celo. Et scivit atque intellexit quod templum quod Deus edificaret suis propriis manibus in celo ex lapidibus preciosis et ex gloria divinitatis, illud esset templum duraturum ad Israel in perpetuum et in secula seculorum, usque ad finem seculorum. Hoc enim est quod locutus est Iacob nocte illa, qua vidit visionem, dormiens supra lapidem, et vidit Ierusalem in terra edificatam, et Ierusalem edificatam in celo. Et cum Iacob, pater tuus, videret unam Ierusalem in terra et aliam in celo, dixitque Iacob: Ista que est in terra nichil est: illa est que est duratura ad Israel in perpetuum, scilicet, illa domus quam edifica-

(2) Ier. 7,4.

(3) *Bēreshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 68, in Gen. 28,17 (ed. B. N. 74-79).

turus est Deus propriis manibus suis in celo, non autem hec que est super terram. Cum autem hec audisset Moyses ab ore Messie, filio David, gavisus est, et ait: «Letatus sum in his que dicta sunt michi: in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem. Ierusalem que edificatur ut civitas, cuius participacio eius in idipsum» (4).

Attendite rogo qualiter verba huius auctoritatis clare et directe veniunt contra opinionem vestram; quequidem auctoritas ostendit ad litteram qualiter illa Ierusalem et illud templum, expectatum ad tempus Messie, sit celeste, non autem terrestre. Vere qui hoc negat nichil aliud vult facere quam gentem obfuscare.

Non obstante prefata auctoritate, allegavi etiam vobis in mea prelibata replicacione quam plures auctoritates et quam plures rationes, ex quibus sequitur necessario quod maior pars eorum, que fuerunt pro tempore Messie promissa, poni spiritualiter, ut sancta mater ponit Ecclesia; non autem materialiter omnia esse intelligenda, ut vos ipsi ponitis. Ad quas quidem rationes nichil omnino tetigistis in vestra dicta responsione. Ex quo oportet unum esse de duobus: aut dictis rationibus respondere, aut tamquam confessi et convicti non immerito censi. Non enim sufficit vestra responsio, in qua ponitis quod cum verbis cedule superius habite sufficienter extitit a vobis responsum, cum verba prefata fuerint ad plenum superius revocata.

---

(4) Salm. 121, 1-3.

## SESSION XXXIX

DIE VERO MERCURII, nona Augusti, iudei obtulerunt cedulam tenoris sequentis:

Iudeus quoque cum illa humiliori qua potest et scit debita reverencia beatissimi Patris, sui que sacri Collegii, cum honore etiam honorabilis magistri Ieronimi, deliberacione habita in tanto tempore quantum dictus iudeus sibi peccit super prefata replicacione per dictum magistrum Ieronimum facta, respondet quod ipse non reputat sibi fuisse conclusum, ymo suis adheret responsionibus per eum superius factis.

Super tribus vero particulis per dictum magistrum Ieronimum replicatis, respondet quod ipse se non iudicat esse conclusum super eisdem, dicens quod pro presenti non occurrit sibi alia responsio, propter eius insufficienciam, et eius debile scire. Hic finem imponit suo responderi, seu eius responsioni, intendens cum hiis que respondit se sufficientissime respondisse, et satisfacisse omnibus per prefatum magistrum Ieronimum contra eum replicatis; et non intendit super hoc amplius dicere, tamquam is qui ad presens quid ultra dicat ignoret.

Verumtamen, in eadem instancia, respondit iudeus contra quartam particulam, sic inquit: Item ad quartam particulam, in prologo, dicit magister Ieronimus: Ex quo compellimur seu oportet dicere quod istud nescire seu ignorare meram significet negativam.

Respondet iudeus quod negacio per illum terminum «non» significata, quam posuit in eius responsione prime interrogacionis, refertur ad suum scire; quod quidem nescire est propter ignoranciam; et est quippe ignorancia in re quam non tenetur scire, quoniam non obstante quod adventus Messie sit articulus, tamen locus ubi est nasciturus non est articulus.

Item ad id quod dicit prefatus magister Ieronimus: Primo quod textus prophecie, etc.

Respondet iudeus quod intencio textus cum inquit «ex te michi egredietur» (1), non est eo quod ibi sit de necessitate nasciturus, sed quia Messias debet egredi ex David, qui natus est in Bethleem. Et hoc declarant verba sequencia dicencia: «et egressus eius ante dies seculi» (2), quod idem est: non quod Messias esset ibidem nasciturus tempore futuro, sed quod tempore elapso inde exierat, scilicet, quod David inde exiit ex quo erat Messias egressurus. Preterea rabi Salomon aliter declarat, scilicet: quod textus ubi dicitur: «et tu Bethleem», loquitur cum David; et vocat eum Bethleem quia iam erat inde, in simili quemadmodum reperitur III<sup>o</sup> Regum, capitulo 2<sup>o</sup>, ubi sic inquit: «Habyathar sacerdoti dixit rex: Vade Anatot ad agrum tuum» (3). Vocavitque eum Anatot quoniam erat de Anatot. Et ideo dicit ulterius rabi Salomon, super illud: «parvus ad essendum in millibus Iuda»; propter maculam Ruth Moabite que est in te.

Ex quo videtur loqui cum David, quoniam locus Bethleem nec recipiebat maculam neque labem propter Ruth Moabitam et ideo «ex te michi egredietur» ad idem refertur ad David, et non ad locum. Et hec est intencio rabi Salomonis. Has autem duas glosas reperimus in glossatoribus nostris, et translacio Ionathe sequitur primam.

Uterius vero, ad auctoritates quas allegat, unam scilicet de Ierusalem (4), aliam enim de Beresith Rabba antiqua (5), nichil concludit contra nos, quoniam in aliqua earum non continetur in quo loco erat nasciturus Messias, sed quod puerum illum, qui natus erat, presumebat esse Messiam, qui ibi erat. Et ideo nulla auctoritatum supradictarum querit ubi natus est; sed in una dicitur ubi est, et in alia unde est. Et sic est in libris nostris, et sic scripsit prefatus magister Ieronimus in quaterno quod nobis obtulit a principio.

Dictus vero magister Ieronimus diligenter attendens responsionem tam vanam tamque fallibilem, quam iudei contra replicacionem, et probationes eiusdem, super prima interrogacione, per eum factas, sic ait:

Primo, ad illud de prologo, declaratis quod verbum illud quod dixistis in vestra responsione, que fuit: Iudeus respondit quod ignorat locum quemquam pro nativitate Messie assignatum. Et in secunda respondetis: Respondet iudeus quod ignorat ipsum nasciturum miraculose.

(1) Mich. 5,2.

(2) Mich. 5,2.

(3) 3 Reg. 2,26.

(4) J. Berakot, 5 a.

(5) *Bereshit Rabbá* de ha-Darshán, par. 73, in Gen. 30,38 (ed. B. N. 78-81).



Excusatis vos modo, declarantes et dicentes quod illud nescire idem est quod ignorare.

Dico quod esto quod ita sit, iam propter hoc dicta ignorantia minime vos excusat, ymo accusat et vos condempnat, et causam prestat et occasionem omni dampno quod patimini et passi estis, et probat qualiter adventus Messie sit unus de principalioribus articulis legis mosayce. Dictus vero Messias erat per signa, a prophetis eidem proposita, cognoscendus, tam de tempore adventus eius, et super loco ubi nasciturus erat et super genere suo, et super miraculis que in nativitate eiusdem secutura erant, quam etiam super modo vite et mortis sue, et post illum, etc., ut diffusius et sigillatim patet in propheciis. Necessarium est igitur omnibus qui dicunt se legem mosaycam observare veram habere noticiam de omnibus prefatis condicionibus; aliter sequeretur, in aliquo prefatas condiciones ignorante, unum de duobus malis pessimis: aut illum qui non esset pro Messia recipere, aut contumeliose illum abrenunciare et contempnere qui verus est Messias et indubitatus. In que quidem duo mala seu crimina pessima, propter causam dicte ignorantie per vos allegate et concesse, pertinaciter incidistis.

Eciam dicitis: Respondet iudeus quod intencio textus cum dicit: «ex te michi egredietur» (6), non est ut inde seu ibi de necessitate sit nasciturus, etc.

Pessimum et iniquum enim est ex certa sciencia hominem ad negandum veritatem deliberate venire, cum illud sit causa sufficiens ducendi eum in quamplures varios manifestos errores, quemadmodum accidit vobis in tam variis glosis quas cogimini facere in hac propheta. Vultis namque a via subterfugere veritatis; textus et enim manifeste dicit quod propheta dicebat:

«Et tu Bethleem Effrata parvus ad essendum in millibus Iuda, ex te michi egredietur dux Israel et egressus eius fuit ante dies seculi» (7).

Clare autem hec verba dicunt quod propheta, in suo modo loquendi, dirigebatur ad civitatem Bethleem, sicut vidimus quod in capitulo precedenti loquebatur ad idem cum civitate Syon dicens: «Et tu, turris nebulosa, filia Syon, etc» (8), que loquebatur cum Ierusalem et Syon; et postquam narravit eis modum regnandi ipsius Messie, conversus est ut loqueretur cum Bethleem, que erat una parvula civitas respectu Ierusalem, et inquit ei: «Et tu, Bethleem Effrata, et quamvis sis parva respectu aliarum civitatum terre Iude, noveris quod ex te egredietur qui erit dux in Israel, id est, prefatus rex Messias. Protestor tamen quod iste egressus futurus erat secundum humanitatem; nam, secun-

(6) Mich. 5,2.

(7) Mich. 5,2.

(8) Mich. 4,8.

dum divinitatem, non erat oriundus de Bethleem, cum esset quid antiquum ante mundi creacionem.»

Et hec quidem glosa est tam vera et tam clara sicut sol. Et turbatis vos met ipsos in texendo glosas quas nec veritas patitur, neque textus. Primo quidem dicitis quod loquebatur cum civitate Bethleem; tamen cum dicebat «ex te egredietur dux Israel» quod non dicebat ut ipse Messias esset in Bethleem nasciturus, sed dicebat quod David, qui erat antecessor Messie, natus fuerat ibidem. Et est admiracione dignum, quare caperet plus locum ubi natus esset David, quam locum ubi natus esset Abraham aut ceteri patriarche, aut ubi natus est Iudas aut Phares aut Salomon, quoniam omnes fuerunt antecessores Messie. Item dicit ulterius: «Et nativitas eius est a tempore antiquo a diebus seculi» (9). Qualiter enim verum esset quod nativitas David esset ante dies seculi?

Facitis adhuc aliam glosam magis vanam ista, dicentes quod cum dicitur: «Et tu, Bethleem», quod loquebatur propheta cum David; et quia erat de Bethleem vocabat nomen eius Bethleem, ducentes ad huiusmodi probacionem verba dicta a Salomone ipsi Abyathar. Et verba autem illa nec in hebreo, nec in latino, non intelliguntur per modum quo ponitis, quoniam rex Salomon non vocabat Abyathar Anatot, ymo dicebat ei quod iret in villam de Anatot ad eius agrum, quoniam sic inquit textus: «Abyatar quoque dixit rex: vade in Anatot, ad agrum tuum», etc. (10). Et peius est quoniam vultis genium oculos ofuscare dicentes quod rabi Salomon sic declarat; ymo est totum oppositum, cum verba eius sint: «et tu, Bethleem Effrata, ex quo egressus est David». Secundum verba igitur ista videtur quod non loqueretur cum David; quoniam si cum eo locutus fuisset, dixisset quidem rabi Salomon: «et tu, Bethleem Effrata, id est David». Item dicit adhuc: «ex te michi egredietur Messias, filius David»; et si cum eo loqueretur deberet dicere: Messias, filius tuus. Item, quod non haberet aliquatenus locum illud quod dicitur: «et egressus eius ante dies seculi», precipue quia ipse idem rabi Salomon dicit quod istud «ante dies seculi» refertur ad illud quod dixit psalmista, psalmo 71: «ante solem permanet nomen eius» (11). Ecce qualiter nativitas David fuit in Bethleem, ante solis creacionem.

(9) Mich. 5,2.

(10) 3 Reg. 2,26.

(11) Salm. 71,17.

## [CODICE VATICANO]

Ulterius dicitis aliam cecitatem, scilicet, dicere quod translacio caldayca Ionathe est huiusmodi oppinionis. Dico quod non est verum, ymo est totum oppositum, quoniam verba Ionathe dicunt ad literam sub hiis verbis: «Tu, Bethleem, ex te coram me exiet Messias, filius David, et nomen eius nominatur in antiquo dierum seculi». Et hoc bene sequitur cum quadam auctoritate vestrorum doctorum in Talmud sic dicencium: quod nomen Messie fuit creatum antequam mundus crearetur (12). Que auctoritas concordat optime cum verbis prophete et cum veritate. Ex quo omnes iste glose per vos facte sunt trufe et subterfugia a veritate.

Ulterius allegatis nonnullas auctoritates, a quibus putatis recedere seu subterfugere, dicentes quod in auctoritatibus non dicit clare ad literam quod natus est in Bethleem. Nonne satis manifeste et clare dicitur cum exprimitur quod, die quo natus est, Messias fuerit revelatus per quamdam vocem de celo Helie factam, que dicebat: Nunc est natus Messias. Et interrogavit, tunc temporis, ipse: Ubi est? Et ei responsum est: in Bethleem Iude. Et incontinenti ivit illuc ipse, et reperit matrem cum filio eius, adhuc sanguine cruentatum, seu involutum, etc. Hoc autem dicendo, nonne clarum est ibidem fuisse natum? Nullatenus enim presumendum esset quod alibi natus esset, et ibidem eum traxisset, cum hoc esset contra rem publicam et manifestam per ymaginarias ficciones venire atque perversas, que non habent colorem neque saporem. Satis igitur est conclusum et probatum qualiter nativitas Messie fuerit in civitate Bethleem.

---

(12) Cf. Pesahim, 54 a; Nedarim, 39 b.



## SESION XL

DIE AUTEM VENERIS, undecima augusti, iudei obtulerunt scripturam sequentem:

In 2<sup>a</sup> vero interrogacione, ubi vult probare Messiam nasciturum esse miraculose, et primo probat ex parte agentis sic dicens: Et de hoc reperitis seu habetis auctoritatem in duobus locis, uno scilicet in Beresith Rabba (1), et rabi Moyses el Darsan sic ait: «Apposuit michi Deus semen aliud», etc. (2). Dicit iudeus quod intencio auctoritatis est quod Adam, cum Seth esset natus, vidit quod posteritas Cayni habebat perire in oñiluvio, et quod sustentacio humani generis debebat esse ex Seth; adhuc eoiam vidit quod ex Seth egressurus erat Messias, qui erat melior creatura que esset in humana natura; et quia vidit quod ibi erat aliqua macula immiscenda, scilicet, quod non debebat esse de generacione licita secundum legem, sive propter maculam filiarum Loth, sive propter maculam Thamar et Iude, sive propter maculam Ruth moabite, et Nahaman admonite, quia non erat de genere Israel, voluit textus hoc significare, et dixit «semen aliud», quasi dicat quod erat extraneum secundum regulam legis. Et ideo inquit ponitur auctoritatis super illud, scilicet, «semen aliud»: illud semen quod ex alio loco [E. + dirivatur, quod est Rex Messias; et hec verba *ex alio loco*] reperimus quod Talmud ea recepit pro generacione illicita, quia dicunt doctores in Beresith Rabba (3) super textu, ubi dicitur: «Concepit et peperit Sara Abrae filium» (4): dat intelligi quod non est furatus sibi semen aliunde.

Hoc est quantum ad illam auctoritatem super semen aliud.

In alia vero auctoritate (5) que est super illud: «et vivificemus de patre nostro semen, seu semen patris nostri» (6), videtur quod di-

(1) *Beresith Rabbá* de Moshé ha-Darshán, par. 23, in Gen. 4,25 (ed. B. N. 46-47).

(2) Gen. 4,25.

(3) *Beresith Rabbá*, par. 54, in Gen. 21,2.

(4) Gen. 21,203.

(5) *Beresith Rabbá*, par. 51, in Gen. 19,32.

(6) Gen. 19,32.34.

cens auctoritatis format argumentum similitudinis huius vocabuli «semen», quod est in hoc textu, ad aliud vocabulum, quod est in alio textu; et ideo dicitur quod ratio in qua non dicitur filius, sed semen, est propter semen venturum aliunde; et refert illud ad semen quod scriptum est super Seth. Et dicitur «aliud» tangendo maculam illicitae generacionis, ut supra diximus. Et ideo dicunt nostri rabini in Beresith Rabba magna, super illud: «vivificemus de patre nostro semen»:

«Hic est Messias, qui venit de visceribus David ex Ruth, et Ro-boam ex Naama amonita; et Messias venit ex filiis filiorum eorum. Et hoc est quod dicebat Sofar ad Iob (7): postquam tu scis secreta, seu noscis secreta Dei, quia scriptum est de te immaculatus et rectus, et deinde venerunt super te labores, conqueris de Deo super inquisitionibus divinis. Vis habere sapientiam? si esset coram te aliquis qui cubisset cum nuru sua, tu eum censes igni tradendum, aut alium hominem qui cubisset cum filia sua, tu iudicares eum fore lapidandum. Hec autem duo iudicia venerunt coram Deo Loth cum filiabus suis, et Iudas cum nuru sua; et Deus excitavit ex uno et alio reges in hoc mundo et redemptorem futurum; hic autem est Messias» (8).

Ad iō autem quod prefatus magister Ieronimus allegat de Medras Tehillim, super textu ubi inquit: «Dominus dixit ad me: filius meus es tu» (9). Respondet iudeus quod in libris non dicitur: dixit Deus de Messia, sed: «Dixit Deus: Ego creabo eum creaturam novam» (10). Et non loquitur de Messia solum, nisi de generatione Messie; ubi intelligitur Messias cum hiis qui concordant in tempore suo. Et sive referatur solum Messie, sive Messie et aliis qui essent suo tempore, intentio est quod tantam mutacionem habebunt in prosperitate, quod erunt tamquam nove creature. Et simile huic dicitur in Beresith Rabba super Abraham, cui dixit: «Faciam te in gentem magnam» (11). Non dixit: «dabo tibi», et: «ponam te»; sed dixit: «faciam te»; quasi dicat: Ego creabo tibi creaturam novam. Et bene potest eis dicere: «filius meus es tu». Sicut dixit textus Exodi capitulo 4: «filius meus primogenitus est' [E. es] Israel» (12), et ego hodie genui te sicut fortis qui hodie gigunt te obliviscar [?], Deuteronomio XXXII.

Item dicit dictus magister Ieronimus quod ostenditur eius adventus fuisse modo miraculoso per verba Danielis prophete, etc.

Respondet iudeus quod ipse non negat quod adventus Messie non

(7) Cf. Iob. 11,3.

(8) *Beresith Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 51, in Gen. 19,34 (ed. B. N. 62-63. *Pugio*, 714-715).

(9) Salm. 2,7.

(10) Cf. *Midrash Tehilim*, in ps. 2,7 y *Pugio* 355 y Ier. 31,22.

(11) Gen. 12,2.

(12) Ex. 4,22.

sit cum miraculis, ymo sic concedit; tamen ignorat quod eius nativitas sit miraculosa; et potest esse quod hec sit intencio ipsius quando dicitur: «cum nubibus celi, etc.» (13). Adhuc eciam ostendit magnum premium quod habebit. Et id quod dicit «tamquam filius hominis» (14), ponit ibi illam similitudinem *simile tamquam*, quia in visione prophete apparebat quasi homo, adhuc quod realiter in conspectu eius non esset aliquis homo; et hanc regulam servat Daniel in suis visionibus, dicens VII<sup>o</sup> capitulo, quod prima erat quasi leo (15). Item ibidem vidit alium animal secundum simile urso (16).

Ulterius, ad auctoritatem quam allegat prefatus magister Ieronimus de rabi Symeon, filio de Laquis, sic dicens: Et de hoc habetis auctoritatem in Beresith Rabba (17) et in Beresith Zota (18), etc.

Respondet iudeus quod propter dicere «et spiritus Dei, iste est spiritus Messie», non sequitur ipsum esse Deum, nec esse genitum per viam miraculosam; quoniam ad idem dicitur in Beresith Rabba, super eodem met textu: «Iste est spiritus Ade primus.» Et Ade spiritus ita erat spiritus humanus sicut cuiuslibet alterius hominis. Sed spiritus humanus attribuitur Domino nostro in quantum non est quid materiale, et ideo reperimus in diversis textibus esse attributum Domino nostro. Dicitur Exodo, capitulo XXX<sup>o</sup>: «imprebo eum spiritu Dei» (19). Item Ezechiele, capitulo XXXVI<sup>o</sup>: «meum spiritum dabo inter vos» (20). Et quamvis attribuantur Domino nostro, non est intencio textus per aliquam viam miraculosam.

Item textus ubi dicitur: «Osculamini filium» (21), quem allegat prefatus magister Ieronimus sic inquit: Item ostenditur esse filius Dei per textum psalmiste, etc.; et deinde concluditur; et attento quod sit Dei filius, est Deus verus, etc.

Respondet iudeus: Propter attribuere Messie hoc vocabulum «filius Dei», non sequitur ex eo quod sit vere filius; ymo verbum illud, scilicet, «filius meus es tu» (22), dicitur propter diligi a Deo, sicut dicitur Exodo, capitulo IV<sup>o</sup>: «filius meus primogenitus Israel» (23). Item

(13) Dan. 7,13.

(14) Dan. 7,13.

(15) Dan. 7,4.

(16) Dan. 7,5.

(17) *Beresith Rabbá* de ha-Darshán, par. 2, in Gen. 1,2 (ed. B. N. 24-25. *Pugio*, 545).

(18) *Beresith Rabbá*, par. 2, in Gen. 1,2; y par. 8, in Gen. 1,26. Cf. *Pugio*, 545.

(19) Ex. 31,3.

(20) Ez. 36,27.

(21) Salm. 2,12.

(22) Salm. 2,7.

(23) Ex. 4,23.

Deuteronomii, capitulo XIV<sup>o</sup>: «Filius vos Domini Dei nostri» (24). Et illud quod dicit quia est filius Dei est Deus, ymo est oppositum, quoniam esse filium Dei non est Deus, quoniam pater et filius sunt relativa, et relativa sunt opposita. Et illud quod dicit psalmista, psalmo II<sup>o</sup>: «Beati omnes qui confidunt in eo» (25), et quod irascetur et quod exarscet ira eius, totum convertitur ad Deum, de quo dicit textus: «Servite Domino in timore» (26); et dicit monendo quod obediant Messie, quia si non facerent, irasceretur Deus contra eos.

Item dicit magister Ieronimus: et ad confirmationem huiusmodi habemus quamdam notabilem auctoritatem in libro Medras Tehillim (27), etc.

Respondet iudeus quod prefata auctoritas tenoris est sequentis: «quod incendetur modicum furor eius, ad modum unius regis qui irascitur cum civibus alicuius civitatis; iverunt hii, qui erant in civitate, ut rogarent filium regis ut eius patrem pro eis intercederet, ivitque filius et rogavit patrem suum; postquam vero rex preces filii sui receperat, hii de civitate venientibus ad regraciandum sibi, dixit rex: michi gracias agitis? ite potius ad filium meum quia nisi propter eum, iamque civitas fuisset tradita destructioni. Sic gentes universi volunt Deo gracias agere, cum sit scriptum sic: «omnes gentes plaudite manibus» (28); dicetque eis Deus: michi gracias agitis? ite, potius eas facite populo Israel, quia nisi propter eos non duraret una hora: psallite gentes populo eius». Et magister Ieronimus non invenit in suis codicibus nisi medietatem huius auctoritatis (29). Et ideo credit inde probare eius intentum; sed, visa tota auctoritate, nichil potest inde probare, ymo videtur quod illam ponentes auctoritatem recipiebant «osculamini filium», propter Israel.

Preterea dictus magister Ieronimus allegat illum sermonem: «orfani sumus sine patre» (30), sic inquit: Item aparet manifeste Messiam non habere patrem carnalem per quamdam notabilem auctoritatem, etc. (31).

Respondet iudeus hanc auctoritatem esse in libris suis tenore sequenti:

(24) Deut. 14,1.

(25) Salm. 2,13.

(26) Salm. 2,11.

(27) *Midrash Tehillim*, in ps. 2,12. Cf. *Pugio*, 888.

(28) Salm. 46,1.

(29) Tampeo el *Pugio*, 888, trae esta añadidura de los judíos (desde «sic gentes universi» hasta el final).

(30) Lam. 5,3.

(31) *Bēreshit Rabbá* de ha-Darshán, par. 84, in Gen. 37,22 (ed. B. N. 84-85. *Pugio*, 759).



«Orfani sumus sine patre» (32). Dicit rabi Levi: Dixit Deus ad Israel: orfani sumus sine patre; propter vestram vitam ego excitabo vobis quemdam redemptorem *in maday* qui carebit patre et matre, quia sic est scriptum. Illa erat Ester, filia sui patruī, que carebat patre et matre; et si velis dicere quod erat satoquia, quod idem est quod, filius expositus, non potes dicere, quoniam cum fuisset pregnans mater eius, obiit pater eius, et cum nata fuit obiit mater eius».

Et nullus textus quem prefatus magister Ieronimus allegat est in libris nostris repertus, et, viso tenore prefate auctoritatis, non probat dictus magister Ieronimus intentum eius.

Item allegat prefatus magister Ieronimus illum sermonem, scilicet: «videbam coram me vitem», sic dicens: Preterea dicitur in eodem libro (33) super textu Genesis, etc.

Respondet iudeus quod prefata auctoritas in suis libris est tenoris sequentis:

«Israel simulantur viti quia sic est scriptum: «Vitis de Egipto sementis» (34). Hanc vitem homo plantat et producit flores; et flores producant ramos et rami producant palmites, et sequitur quod vitis implet vineam. Sic ad modum, Israel fuit una planta cum sic scriptum sit: «Et ego plantavi te palmitem totum semen veritatis» (35): veni et videbis, unus fuit Abraham, et ecce hic planta cum sic scriptum sit: «surge, ambula super terram» (36); producat duos flores, hii sunt Isach et Iacob; et flores produxerunt ramos, hii sunt 12 tribus; et rami produxerunt palmites, hii sunt 70 anime que descendunt in Egipto (37); et palmites produxerunt ramusculos. hii sunt sexcenti mille pedones (37 bis). Sicut in planta quam a principio firmant supra lapides et crescit; deinde firmant eam supra ligna et super arundines, sic Israel in principio firmavit plantam super lapides, cum sic scriptum sit: facies tibi archam ligneam (38). Deinde firmavit eam super arundines quoniam sic est scriptum: sex arundines procedentes ex latere suo (39). Reperitur ager plenus vite: ita sunt Israel, sunt etenim pauci inferius planta, quoniam sic scriptum est: «nos pauci omnium populorum» (39 bis); sed superius sunt multi in floribus: sic scriptum est: «Dominus Deus vester multi-

(32) Lam. 5,3.

(33) *Bereshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 88, in Gen. 40,9 (ed. B. N. 88-89. *Pugio*, 538).

(34) Salm. 79,9.

(35) Ier. 2,21.

(36) Gen. 13,17.

(37) Ex. 1,5.

(37 bis) Ex. 12,37.

(38) Ex. 24,10.

(39) Ex. 25,32; 37,18.

(39 bis) Deut. 7,7.

plicavit vos» (40). Plantam inferius: iste est Abraam; et superius: iste est rex Messias; quia sic scriptum est: «ascendit sportelator coram eis» (40 bis).

Sic quod ex hoc videtur quod comparavit populum Israel viti, quia inceperunt ex pauco, et hoc est similis plante inferiori vitis, et attribuitur Abrae; comparatur adhuc Israel viti in planta superiori, nam sicut vitis magnos ramos producit versus partem superiorem ita Israel multiplicabuntur in magno numero tempore Messie, et hec est planta superior que attribuitur Messie. Sed non est in auctoritate planta superior et inferior Messie attributa, non obstante quod possit attribui planta inferior Abrae, in quantum Dei cognicionem habuerit ex se ipso, et ab eius dispositione; scđ Messias habebit cognicionem Dei per doctrinam legis et eius predecessorum, et hoc est superius, et adhuc propter bonam dispositionem suimet, et hoc est inferius.

Preterea dicit prefatus magister Ieronimus: Hoc manifeste patet per Ieremiam capitulo 31: «convertere, virgo Israel» (41).

Respondet iudeus quod intencio illorum textuum est hec: quod propheta castigabat Israel, vocans eos filiam et virginem, sicut reperi-mus in quamplurimis locis, ubi dicitur filia mei populi, filia Syon, virgo filia Iude; et dicebat quod quamvis non sit consuetudo quod mulier perquirat hominem, sed per contrarium, tamen, cum toto hoc, ipsa, que similibatur seu comparabatur mulieri, debebat perquirere Dominum Deum nostrum, qui erat tamquam vir, quia Dominus noster creaverat hanc novitatem quod femina investigaret et perquireret virum; quasi dicat quod conversio ad Deum et desiderium reversionis ad eum debebat procedere ab Israel; et hoc est textus Osee, ubi dicitur capitulo III° «Post hec revertentur filii Israel, et querent Dominum Deum suum, et David regem suum» (42). Et hoc est quod inquit textus: «quia creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum» (43); non obstante quod nonnulli glosatores aliter declarent hunc textum, scilicet: quod Israel, propter impotenciam eorum, comparantur femine, querentur et circuibunt eam, et habebunt dominium super omnes alias gentes, que comparantur viro propter eorum impotenciam.

Ulterius ad quamdam auctoritatem quam dicitur magister Ieronimus inducit, que est in libro Beresith Rabba, que incipit: «Dicit rabi Osua filius Levi» (44). Dicit iudeus quod illam auctoritatem in suis codicibus non invenit. Dato tamen quod reperitur, intencio eius est

(40) Cf. Salm. 104,24; 106,38; Ex. 1,7; Deut. 26,5; 29,5.

(40 bis) Mich. 2,13.

(41) Ier. 31,21.

(42) Ose. 3,5.

(43) Ier. 31,22.

(44) *Beresith Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 89, in Gen. 41,8 (ed. B. N. 88-91. *Pugio*, 354-355; 755-756).

quod Deus quando posuit Israel in captivatem, reprehendebat eum, inquiring quod ipse tenebat illam gentem sicut sponsam virginem, et ipsa corruperat suam virginitatem cum alienis, scilicet ydolatrando, ut inquit Ezechiel capitulo XXIIIº: «ibi strinxerunt ubera virginitatis sue» (45). Et ad ióem cum Deus reduceret captivatem Israel eos consolabitur dicens: quod parceret et remitteret totaliter eorum peccata, et iterum diligeret hanc universitatem ac si esset virgo que numquam peccasset, ut inquit Ieremias capitulo XXXVº: «Convertere, virgo Israel» (46).

Item ad id quod allegat de hac litera *mem* clausa super illo «multiplicabitur» (47). Dicit iudeus se sufficienter ad hec respondisse in cedulis superius habitis.

Item dictus magister Ieronimus allegat illud textum ubi dicitur: «Hec porta clausa erit» (48), sic inquiring: Item potest adveriari seu probari dicta conclusio per illud quod inquit Ezechiel, capitulo 44, etc.

Respondet iudeus quod in cedulis prehabitis sufficienter oclaravit qualiter tota illa prophecia de edificio Ezechielis debet intelligi materialiter, non autem spiritualiter.

Ad id vero quod inquit magister Ieronimus: Item 'quod' [E. quia] non reperitur quod in sanctuario 2º, etc.

Respondet iudeus quod verum est quod talis porta sicut illa non reperitur in templo secundo, nec eciam illud totum edificium Ezechielis, quia illud loquitur de edificio quod debet esse tempore Messie, et tunc complebitur illa prophecia; et propter magnam influenciam divinam que monstrabitur in loco illius porte claudetur taliter quod non intrent communiter.

Item allegat prefatus magister Ieronimus propheciam Acaz, sic inquiring: Item probatur dicta conclusio per textum illum qui est in Isaia capitulo VIIº, etc.

Respondet iudeus quod intencio glosatorum suorum in eadem est que sequitur: Ut patet, Acaz et sui, qui vocantur domus David, stabant cum timore guerre quam faciebat contra eos Rasim, rex Sirie, et Faza, filius Remalie regis Israel, ut patet per textum ubi dicitur: «et expavit cor eius et cor populi sui» (49). Deinde ex mandato Dei venit Isaias ut confortaret Acaz dicens quod non timeret hos duos reges, ut inquit textus: «Ne timeas, et cor tuum ne formidet» (50). Deinde Deus, ad magis confirmandum Acaz in hac confortacione, misit ad eum prophetam dicentem ut peteret signum, quod ipse daret, ut

(45) Ez. 23,3.

(46) Ier. 31,21.

(47) Is. 9,7.

(48) Ez. 44,22.

(49) Is. 7,2.

(50) Is. 7,4.

inquit textus: «pete tibi signum» (51). Non quod signum esset ut converteret Acaz ab ydolatia, ut inquit prefatus magister Ieronimus; in tota enim propheta nulla fit mencio de ydolatia. Et Acaz, sicut is qui erat incredulus in huiusmodi consolacione, respondit: «Non petam, nec temptabo Deum» (52). Quasi dicat quod non curabat de signo. Et propheta deinde, et licet nollet ipse signum, voluit sibi dare, ut inquit textus: «Audite nunc, domus David, si modicum est vobis atediare homines, etc., propter quod dabit Deus ipsemet signum, etc.» (53).

Et dixit domus David, quia hec confortacio dabatur ei, non propter se ipsum, sed propter meritum David. Et signum quod eis dedit fuit: «Ecce virgo concipiet et pariet filium, etc.» (54), id est, quod iuvenula conciperet et pareret filium masculum, et ille puer, sicut nasceretur, habebit noticiam eligendi seu discernendi inter bonum cibum et malum; et hoc erat miraculosum, quia incontinenti, sicut nasceretur, haberet noticiam mali et boni. Et post hec dicitur quod antequam sciret dictus filius discernere inter bonum et malum, scilicet, antequam esset etatis qua naturaliter sciret discernere inter bonum et malum, destruerentur illi reges qui veniebant ad preliandum cum eis et eius patria, cum dixit quod antequam discerneret puer, etc. Et locucio facta in hoc textu, ostenditur quod loquitur cum Acaz cum dixit: tu es tribulatus; et ad idem monstratur, cum in textu dicitur: «modicum est, seu parum est vobis lassare homines» (55), et illud dicebatur ad Acaz, quod non poterat dici domui David.

Et quia glosa dicte prophete est hec, argumenta facta per dictum magistrum Ieronimum nullum locum habent, propter quod iudeus adheret adhuc responsioni eiusdem, cum dixit quod ignorat Messiam fore miraculose nascurum.

Item dicit iudeus dictam prophetiam non posse declarari super facto Iesu Christi:

Primo: nam hic precipiebat propheta matri pueri aut prophetizabat quod ipsa vocaret eum Emanuel, et Mariam nullibi repertum est vocasse eum Hemanuel.

Item, quia hoc vocabulum, scilicet, «signum», dicitur propter aliquid quod non est factum per idem sed per demonstracionem alterius rei. Et adventus Messie, secundum oppinionem christianam, est res necessaria per se ad humanam salvacionem; et tale sicut hoc non debet signum appellari, sed miraculum.

(51) Is. 7,11.

(52) Is. 7,12.

(53) Is. 7,13.14.

(54) Is. 7,14.

(55) Is. 7,13.

Item, signum illud non potest esse virginitas, quia signum debet esse publicum et notorium, et virginitas unius mulieris non potest esse signum ab omnibus scitum.

Item, qualiter potest dici de Iesu Christo: antequam cognosceret, seu discerneret, etc.? Quia videtur quod puer esset natus, et quod antequam inter bonum et malum discerneret derelinqueretur a prefatis regibus terra seu patria; et hoc fuit antequam Iesus Christus nasceretur citra annos sexcentos.

Item, ad id quod dicit magister Ieronimus quod in hebreo sunt nomina tria eandem significacionem, etc.

Respondet iudeus quod in hebreo non est vocabulum significans virginitatem nisi betula; et alma et nehara non significat virginem, ymo significat iuvenem eciam quod ab homine sit cognita, ut inquit textus Parabolarum capitulo XXX<sup>o</sup>: «et viam viri in adolescencia» (56), et ideo dirivatur ab hoc vocabulo *nara, nahar*; et de *alma, helem*. Sed de *betula* quod significat virginitatem non dirivatur hebrayce *bata*.

Dictus vero magister Ieronimus, prehabitam prolixitatem per iudeos super interrogacione secunda nimis prolixè habitam diligenter attendens, respondet sic dicens:

Ad id quod dicitur: Et respondet iudeus quod intencio auctoritatis quam dicit rabi Samuel in Bereshith Rabba (57) super textu: «Qui apposuit michi Dominus semen aliud» (58), etc.

Dico quod eciam quod nonnullæ mulieres, que secundum matrimonium legis divine essent prohibite, concurrant in generacione Messie, non idco Messiam Adam, nec filie Loth, semen aliud appellarent, nec de eo diceretur quod veniret de semine alieno; quia Adam, nec ipse mulieres, non ad legem oïvinam sed solum ad legem nature [E. + erant] obnoxii; et secundum legem nature non erat prohibitum fratres cum eorum sororibus matrimonium contrahere, nam filii Ade cum eorum sororibus contraxerunt. Et de Abraam, qui inter patriarchas sanctitate prefulgebat, inquit textus quod Sara, uxor eius, erat soror sua ex parte patris; et nichil horum erat tunc prohibitum in lege nature. Item, quia auctoritas dicit «semen alienum», quod intelligitur quod sit alienum respectu Ade et generis humani, quod propter eum intelligebatur; et quod vos allegatis non erat alienum ipsi Ade, postquam totum esset semen humanum; ymo, erat valde licitum, ut patet per auctori-

(56) Prov. 30,19.

(57) *Bereshit Rabba* de ha-Darshán, par. 23, in Gen. 4,25 (ed. B. N. 46-47).

(58) Gen. 4,23.

tatem quam vos ipsi allegatis de eo quod arguebat Sophar contra Iob, quod videretur prima facie quod hec matrimonia de Iuda cum nuru sua, et Loth cum filiabus eius, quod illicita essent ac reprobata, dicit vobis doctor quod non, ymo Deus illud tamquam rem licitam, et valde approbatam approbavit, adeo quod ex genere illo nasci voluit Messiam. Ex quo oportet concludere quod illud «semen aliud» debet intelligi propter rem a semine humano alienum. Hec nempe est generatio divina per verbum summi Dei nostri facta.

Ad id quod dicitis: Respondet iudeus quod in libris seu codicibus non dicitur: «dixit Deus» propter Messiam, sed: «dixit Deus: ego habeo creare ipsum creaturam novam, etc.» (59). Dico quod auctoritas dicit ad litteram quod loquitur de Messia; et glosa quam vos cautelose componitis nullum habet locum, cum auctoritas super textum Psalmiste fabricetur, ubi inquit: «Dominus cœxit ad me: filius meus es tu» (60). Ex quo necessario tenemur dicere illam innovationem dici quia est Messias filius Dei, et non propter aliud; et si hoc esset simile illi ubi dicitur de Israel: «Filius meus primogenitus es Israel» (61), et quamplurime alie que sunt in Sacra Scriptura, non dixisset doctor quod esset res nova; ex quo habemus dicere istam novitatem fuisse solum in hoc. Et illud quod allegatis quod Talmud vocat semen aliud illud quod est de persona illicita, ratio est sic fieri et observari semper, tamen quando lex divina observabatur, sed non ante.

Item dicitis: Respondet iudeus quod ipse non negat quod adventus Messie sit miraculose, etc., hanc enim regulam reperimus portasse Danielem, etc.

Et dico quod in eo quod dicit super quatuor animalia primum simile leoni, secundum simile urso, etc., erat valde iustum et rationabile eum cum similitudine nominare, quoniam animalia illa seu bestie non erant ita propria, sed significabant regna que debebant super terram elevari: per primum enim animal representabatur regnum Babilonie, per secundum vero regnum persarum, etc. Sed ubi de Deo loquitur, non loquitur cum similitudine, ymo eum manifeste appellat antiquum dierum, quia proprie est siq; et id quod non est in eo proprium loquitur per similitudinem dicens: vestimentum eius sicut nix alba, etc. Et ideo, cum loquebatur de Messia, qui non erat figuratum, debebat dicere unus filius hominis, sed non dixit nisi «quasi filius hominis» (62), ad ostendendum quod non erat absolute filius hominis carnalis, sed videbatur esse.

(59) *Midrash Tehil-lim*, in ps. 2,7.

(60) *Salm.* 2,7.

(61) *Ex.* 4,22.

(62) *Dan.* 7,13.

Uterius dicitis: Respondet iudeus: quod propter dicere: «et spiritus Domini ferebatur super aquas» (63), etc., quia ad idem dicitur in Beresith Rabba: «hic est spiritus Ade», etc.

Dico quod simile verbum non est in Beresith Rabba, sed solum dicitur ad literam (64): «Et spiritus Domini», etc. Dicit rabi Simeon: iste est spiritus Messie die quo dixit Isaias: «Et requiescet super eum spiritus Domini» (65). Ex quo bene sequitur conclusio nostra secundum rabi Simeonem.

Item dicitis: Respondet iudeus quod quia attribuitur Messie istud vocabulum, etc., sicut inquit textus Exodi, capitulo quarto: «meus filius» (66), etc.

Dico quod ad ipsum iam supra sufficientissime satisfeci.

Ad illud tamen quod dicitis, quod propter esse filium Dei non est Deus, quia pater et filius sunt relativa, etc. Dico quod error iste vobis inde oritur eo quia miscetis humana divinis, et e contra, et quia modicam in sacra pagina habetis noticiam et in rebus divinis; vestrum autem argumentum locum habet in rebus humanis. Si autem Deus in futurum gratiam vobis fecerit ut sanctam cognoscatis fidem orthodoxam, plane videbitis per auctenticas probationes, qualiter vera Divinitas tres persone apelletur: Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, absque separatione seu aliqua contradiccione. Ex quo patet vestrum argumentum nullum esse.

Item dicitis: Respondet iudeus quod prefata auctoritas (67) est tenoris sequentis, etc.

Dico quod prefata auctoritas est in libris seu condicibus auctenticis modo quod predixi; et audacter exhibeantur libri in publicum, et videatur.

Item, dicitis idem super auctoritate quam vobis allegavi de rabi Barachias (68), super textu in quo dicitur: «Pupilli facti sumus absque patrem» (69), mutatis eam, negantes textus quos allegat valde proprios iste doctor rabi Barachias. Exhibeantur igitur libri quia me non latet quod quemadmodum dixi vobis ad literam ita reperietis.

Item, ad auctoritatem quam vobis allegavi super textu ubi dicitur: «Videbam vitem coram me» (70), vos iudei excessistis in narrando,

(63) Gen. 1,2.

(64) *Beresith Rabbá*, par. 2 y 8, in Gen. 1,2; 1,26; y *Beresith Rabbá* de ha-Darshán, par. 2, in Gen. 1,2 (ed. B. N. 24-25).

(65) Is. 11,2.

(66) Ex. 4,2.

(67) *Midrash Tehil-lim*, in ps. 2,7.

(68) *Beresith Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 84, in Gen. 37,22 (ed. B. N. 84-85).

(69) Lam. 5,3.

(70) Gen. 40,9.

dicte quoque auctoritati multa improprie applicando in nullo ad propositum nec ad rem de qua agitur tangencia; et adhuc eas glosatis per glosas quas audire est derisum; ad ultimum tamen quid vos oportet in hiis omnibus ponere et loqui absque fructu, sed venite proprie ad verba que sunt in fine auctoritatis, ubi inquit sic doctor (71):

«Habemus plantam inferiorem, et plantam inferiorem et superiorem. Pianta inferior, iste est Abraam; planta inferior et superior, iste est rex Messias.»

Nequit clarius monstrari quem per hec verba ostenditur esse ortum seu nativitatem Messie esse divinam et humanam.

Preterea dicitis super textum Ieremie, ubi dicitur: «Revertere virgo Israel, etc.» (72). Respondet iudeus quod intencio illorum textuum, etc. Et conclusio glose vestre est quod illud quod dicit: «Quia creavit novum Dominus super terram: femina circumdabit virum» (73), dicitis quod istud dicitur quod, tempore Messie, Israel, qui comparabitur femine ibi querendo Deum, qui comparatur viro, et requiret et rogabit eum. Ecce qualiter hoc est novum, nam tota Biblia est plena quod cum populus se videbat in anxietate et persecucionibus positum, tantum tunc reclamabat Deum et requirebat eum, et mox eis pie succurrebat, et eos adiuvabat. Vacatis autem circa has planas glosas, et dmittitis expositionem planam, quam vester doctor facit super textu prefato, in cuius fine dicitur (74): «Cum virgine consolatur Israel, quia ita inquit Ieremias: «Creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum» (75). Et dicit rabi Hanina, de nomine rabi Ibi, quod iste est rex Messias, de quo dixit David: «Ego hodie genui te» (76). De quo dixit Isaias: «Propter Syon non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et Salvator eius ut lampas accendatur» (77).

Ecce qualiter iste doctor glosam cum hiis notabilibus textibus satis corroborat, et qualiter est hic optime rem novam fore, cum numquam fuit in mundo similis nec esset.

Item, dicitis ad id quod allegatur de hac litera *mem* clausa, etc.: Dicit iudeus quod iam respondit in eius cedula superius sufficienter habita.

(71) *Bereshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 88, in Gen. 40,9 (Ed. B. N. 88-89).

(72) Ier. 31,21.

(73) Ier. 31,22.

(74) *Bereshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 89, in Gen. 41,1 (ed. B. N. 88-91).

(75) Ier. 31,22.

(76) Salm. 2,7.

(77) Is. 62,1.



Dico quod illud quod respondiſtis eſt nullius efficacie, et totum illud fuit revocatum mea replicacione valde ſufficienter. Et ſi aliud non respondiſtis eſtis ut confeſſi et in eadem convicti.

Item ſuper propheta Ezechielis ubi dicitur: «Porta hec clauſa eſt» (78), etc., dicitis: Reſpondet iudeus quod in cedulis prehabitis declaravit, etc.

Dico quod quidquid glosaſtis eſt nichil, poſtquam per glosas rabinorum veſtrorum vobis probaverim de neceſſario debere intelligi ſpiritualiter ſeu allegorice et nichil materialiter ſeu yſtorice, et quod impoſſibile eſt illud edificium poſſe intelligi propter aliud quam propter ſanc- tam matrem Eccleſiam et propter virginem glorioſam beatam Mariam. Adeo quod verum eſt omne quod dicitis, ſcilicet, quod illud totum edificium Ezechielis intelligebatur pro tempore Meſſie. Hoc tamen intelligi debet de vero Meſſia Ieſu Chriſto; et optime conſonat cum tempore ex quo, finito ſecundo templo, fuit lex Meſſie, et incepit regnare Eccleſia; nam alias quis intellectus aut que ratio patitur quod propheta omnia facta templi et ſacerdotii pro tempore Meſſie ſigillatim prophetizaret, et non videret iſtud profundum tam ingentis captivitatis mille quadringentorum annorum quod in medio erat, nec eſt locutus aliquod verbum? Propter quod, quidquid allegatis, eſt contra omnem rationem.

Item, ad id quod dicitis ſuper illa propheta: «Ecce virgo concipiet» (79): Reſpondet iudeus quod intencio glosatorum ſuorum in eadem propheta eſt que ſequitur, etc. Indicatis largiſſime glosam per rabinos veſtros concitam ſuper tota illa propheta, ubi eſt prefaſus textus, de qua nullam vim facio; nam, ut dixi pluries, tam vos quam eos cogit neceſſitas applicare vos ad ramos, eciam quod nullius ſint veritatis et efficacie. In aliquibus tamen punctis illius gloſe, in eo quod dicto meo opponitis, oſtendam vobis contrarium. Dicitis namque quod ſignum erat ſuper facto regum, non ut converteretur Acaz ab ydolatria ſua. Dico quod eſt oppoſitum, nam poſtquam factum duorum regum ceſſaverat, prenoſticari incepit aliam prophetiam dicens: «Et acciecit Dominus loqui ad Achaz: pete tibi ſignum a Domino Deo tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra» (80). Et dicunt doctores veſtri in Talmud ſuper hoc, quod, dato quod fuiſſet ſignum ut reſuscitaret mortuos, aut ut faceret ſolem ſiſtere ſeu ſtare, quod Deus faceret. Certum enim eſt quod oſtendere quod potens eſſet Deus contra illos duos reges debiles, non erat tam grande ſignum opportunum, cum maius fuiſſet ſignum Senacherib quod factum eſt, ab omnibus iſtis ſignis.

(78) Ez. 44,2.

(79) Is. 7,14.

(80) Is. 7,10.11.

Item quia dixit ulterius: «Numquid parum est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo» (81). Ex quo patet quod eum castigabat de re solum Deum tangentem, et non ut vos dicitis.

Item, adhuc dicitis quod miraculum erat quod ille puer, sicut nasceretur, noticiam haberet eligendi seu discernendi inter bonum cibum et malum; deinde dicitis quod statim sicut nasceretur haberet noticiam mali et boni, et noticiam bone vite et male. Si autem dicitis secundum palatum seu gustum, nullum est miraculum, nam incontinenti sicut puer nascitur, si mel poneretur in ore eius, deglutiret illud; si autem poneretur aloe, eum emittet. Si vero dicitis secundum utile vel dampnum quod potest inde sequi corpori, hec est invencio quam vultis de novo reperire, non autem quod fiat mencio in textu aliqualis. Item, unus puer, in cuius nativitate tam arduum miraculum et tam excellens erat secuturum et in eo, nonne debemus scire quis est? Certe, convenit scire quis est, et oportet quod eum nobis tradatis, aut ostendatis, et nominetis nobis quis fuit pater eius, aut mater eius, et in quo tempore natus est, et ubi natus est, et quid de eo factum est.

Item dicitis super hoc vocabulo «virgo» (82): Respondet iudeus quod in hebreo non est aliquod vocabulum significans virginitatem nisi betula.

Dico quod oppositum huius est verum, nam sic inquit rabi David Quamhi in libro Sarassim, id est, Catholicon; dicit ad literam et bene: «Convenit hoc nomen halma virgini, quia hoc vocabulum alma derivatur a vocabulo hoc «tahaluma», quod idem est quod res clausa et secreta» (83). Et ideo erat nomen magis proprium virgini Marie quam betula. Et illud quod dicitis quod de alma derivatur helem quod est masculinum, et de betula non derivatur batul, istud iuvat dictum meum et facit pro me; certum namque est quod in ebrayco, que est lingua valde perfecta, sicut est nomen quod proprie significat feminam a viro incognitam, ita est necessarium quod sit nomen quod significet virum qui non cognovit feminam; et tale nomen non reperitur nisi helem, et non batul. Ex quo manifeste videtur quod helem et halma sunt nomina appropriata ad significandum virginitatem viri et femine.

Sequitur igitur ex toto superius habito me satis sufficienter probavisse ac conclusisse nativitatem Messie, tam ex parte patris quam ex parte matris, fore miraculosam et supranaturalem.

(81) Is. 7,13.

(82) Is. 7,14.

(83) Cf. *Pugio*, 738, quien cita así a Kimhi: «Omnia ista [= los derivados de la raíz 'alam] significant absconsionem, et celationem. Potest autem 'alma vocari et illa quae virgo est: et illa quae corrupta est, sicut *na'arâ* puella». Por lo demás, Martín arguye como Jerónimo a base del significado radical de *cosa oculta*. Cf. *Sefer ha-Shorashim*, p. 267, ed. Biesenthal-Lebrecht, Berlín, 1847.

## SESSION XL I

DIE AUTEM VENERIS, decima octava Augusti, iudei obtulerunt quamdam cedula[m] tenoris sequentis:

Item in 3<sup>a</sup> interrogacione dicit magister Ieronimus: Et primo reperimus prophetam Isaiam capitulo quinquagesimo secundo (1), loquendo de Messia, etc., hec autem prophecia secundum dictum omnium hebreorum, etc.

Respondet iudeus quod non omnes glosatores declarant eam super Messia, ymo multi declarant super populo Israel, qui vocatur «servus meus» quema[m]odum inquit textus Isaie 44: «ne timeas, serve mi Iacob» (2). Item in illo capitulo rememoratur istud: Iacob et Israel «servus meus es tu» (3). Et adhuc secundum opinionem illorum qui declarant eam de Messia, quia dicit: «Et erit alior angelis», non sequitur quod sit Deus, cum sit modus loquendi nostrorum doctorum. Nam reperitur eos dixisse maiores iusti quam angeli, et ex hoc non sequitur quod iusti sint Deus. Et intentio auctoritatis est hec: quod Messias sustinebit plures labores, et habebit plures temptationes amore Domini Dei nostri, et convertet plures gentes ad eius credulitatem quam Abraam et Moyses; et in hoc gradu dicitur verbum illud: «Et exaltabitur plusquam Abraam et erit alior Moyses» (4). Et ad idem dicitur quod exaltabitur plusquam angeli, quoniam angelis non est commissus nisi cuilibet unus homo, et aliquibus una nacio, quema[m]odum reperitur in Daniele: «princeps Grecie» (5) et «princeps Persarum» (6);

(1) Is. 52,13-15; 53,1-12.

(2) Is. 44,2.

(3) Is. 41,9.

(4) Cf. *Tanhuma*, in Gen. 27,30, y *Bereshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 68, in Gen. 28,10 (ed. B. N. 70-71).

(5) Dan. 10,20.

(6) Dan. 10,13.

et Messie committentur omnes nationes et omnes singulares mundi.

Item dicit prefatus magister Ieronimus, etc.: Videtur esse Messias Deus met per quamdam auctoritatem, etc., ubi dicitur: «Legunt magistri: decem reges regnarunt, etc.» (7).

Respondet iudeus quod dicta auctoritas non reperitur in Beresith Rabba, ubi allegat dictus magister Ieronimus. Reperit in pereq rabi Elyezer; tamen non per modum quem ipse allegat; ymo decem reges traditi in dicta auctoritate sunt isti: primus, Deus noster; secundus, Nembroch; 3us. Iosep; 4us. Salomon; 5us. Ahan, alias Acap; 6us. Nabucadonator; 7us. Cirus; 8us. Alexander; 9us. rex Messias; 10us. rex restituet regnum Domino suo: qui fuit prius erit ultimus, quoniam sic scriptum est in Isaia: «Ego sum primus et ultimus» (8). Ex quo patet manifeste quod Messias non debebat esse Deus, ymo homo, sicut ceteri. Et dato quod verbum prefatum sit quemadmodum dictus magister Ieronimus allegat illud, non probabit quod Messias sit ipse Deus; nam intencio est, quod antequam gentes essent in mundo, Dominus Deus noster regnabat, et nullus erat qui discreparet in eius divinitate. Deinde semper fuit discordia et discrepacio seu dissensio; et dicit quod, cum venerit Messias, divulgabitur veritas in noticia Dei nostri, et nullus erit in toto universo discrepans, sicut dixit textus: «Et erit Dominus rex super totam terram.» Et cum hoc restituetur regnum Deo. Et ideo dicitur in auctoritate: «Restituetur seu redibit regnum Deo nostro.»

Item, dicit dictus magister Ieronimus quod potest probari Messiam esse ipsum met Deum per verba Isaie, etc.

Respondet iudeus, quod semper est Deus verus Salvator Israel, tamen salvat per manum mediatorum; et aliquociens attribuitur salvacio ipsimet Deo, et aliquando mediatori, ut reperimus Iudicum, capitulo 2: «Excitavit Deus iudices, et salvabant eos» (9). Item capitulo VII: «cum trecentis hominibus, etc., salvabo vos» (10), attribuitur salvacio Deo, quamvis per manum mediatorum. Item reperimus Exodo, capitulo XXº: «Ego sum, inquit, Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Egipti» (11), attribuitur educcio illa Deo. Et alibi attribuitur Moysi, sic inquit Exodo capitulo 32: «Erravit populus tuus, quem eduxisti de terra Egipti» (12). Item Exodo, capitulo 32: «Iste Moyses, vir qui eduxit nos de Egipto» (13). Et intencio est quod Moyses faciebat ex virtute Dei, et Deus faciebat meoiante Moyses. Et ita est in casu presenti, quod declarat rabi Salomon: «Erit salvator eorum de

(7) *Beresith Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 91, in Gen. 42,6 (ed. B. N. 92-95. *Pugio*, 397); cf. *Pirqué Rabi Eli'ezer*, pereq 11 (B. N. ib. 134-137).

(8) Is. 41,4.

(9) Iu. 2,16.

(10) Iu. 7,7.

(11) Ex. 20,2.

Israel», sumitur pro Deo sicut pro causa prima et principali, et pro Messia pro causa media et instrumentali.

Item inquit magister Ieronimus dictus: Item potest ostendi Messiam esse Deum, etc.

Respondet iudeus, ad id quod tangit auctoritatem glose super Cantibus Cantorum (14), quod in quantum dicitur quod Israel (15) vocabatur 'Ierusalem' [E. Israelem] filiam et sororem et matrem, et filia et soror certum sit quod non significabant incarnationem, ergo minus mater. Sed omnes isti tres tituli appropriabuntur Israel in quantum Deus recepit pro populo eiecto, et posuit suam divinitatem in eis, tam in dando eis legem in monte Synay, quam eis faciendo fieri tabernaculum et templum in quo poneret eius divinam influenciam. Et videtur quod hec corona, qua coronavit eum mater eius, sumit pro hoc intellectu dictator huius auctoritatis, in quantum in eadem auctoritate dicitur: «Dicit rabi Hanina: Perscrutati sumus omnem Scripturam, et non reperimus quod Bersabe fecit coronam Salomoni, filio eius. Ergo quid est corona? Sed sicut in illa corona inseruntur lapides preciosi, ita erat tabernaculum, totum ex livido et rubro et sirico depictum atque factum.» Ex quo clare videtur quod ex illa auctoritate non probat magister Ieronimus eius intentum.

Item, ad auctoritatem quam prefatus magister Ieronimus allegat super Medras Thehillim, id est, Glosa psalterii (16), super textu ubi dicitur: «In lumine tuo videbimus lumen» (17), ibi dicit: Ex quo facio talem rationem, etc.

Respondet iudeus quod valde mirandum est qualiter gaudet magister Ieronimus verbis illis sermocinalibus que allegavit, ex quo ex illis oppositum patet sui intenti, ex quo per hoc videtur quod captivitas relevaretur per Messiam, et erat captivitas corporalis. Nam hic dicit textus: «Iamque laboravimus in omnibus redemptionibus»: Videtur quod sicut omnes alie redemptiones erant corporales, ita debebat esse ista corporalis, specialiter postquam dicit: «Et numquam amodo subiugabimini.» Et christianus intelligit quod adventus Messie non esset ad salvandum corpora, sed solum ad salvandum animas; et Christus numquam corpora a captivitate redemit.

Item, quia super eisdem verbis sequitur quod dicit: «Fuimus redempti per manum Misael et Azarie, deinde fuimus subiugati 'in eodem' [E. in Edom]», videtur quod faciat mencionem de hac captivitate in qua

(12) Ex. 32,7.

(13) Ex. 32,1.

(14) *Shir ha-Shirim Rabbá*, in Cant. Cant. 3,11. Cf. *Pugio*, 698-699, 851.

(15) *Israel*: así V. y E., pero creemos habría que leer: *Deus*.

(16) *Midrash Tehilim*, in ps. 36,10.

(17) Salm. 35,10.

sumus hodie, que est in potestate 'eadem' [E. Edom], que quidem fuit post Iesum octuaginta annis, ex quo, post redemptionem babilonicam, numquam fuimus in captivitate nisi in ista. Et fit ad idem mencio de redemptione quam ipsi tunc expectabant, et nos hodie adhuc expectamus, non de redemptione Christi, que iam preterierat. Sed intencio verbi est hec: quod non obstante quod omnes redemptiones fiant et sunt facte per potestatem Dei, et per manus mediatorum, et in textibus aliquando attribuantur Deo, aliquando mediatoribus, tamen, qui dicebat hunc sermonem, attribuebat redemptiones preteritas mediatoribus, quia fuerant temporales et finite; et redemptio futura, quia erat duratura et perpetua, cum intencione numquam amodo eos reducendi in captivitatem, attribuit eam Deo nostro, qui ad idem est eternalis et perpetuus.

Item, ad auctoritatem quam allegat magister Ieronimus super Cifra (18). Respondet iudeus quod prefata auctoritas loquitur de gloria quam habebunt in paradiso de presencia divina, et ideo dicit sermo: «Sic Dominus Deus noster paratus est delectari cum iustis in paradiso». Et non dicitur in sermone: «tempore futuro», sicut allegavit prefatus magister Ieronimus; et adhuc quod dicatur «tempore futuro», capitur pro alio mundo, ut dicunt sapientes nostri: «noveritis quod premium iustorum est in tempore futuro». Et cum hoc concordat id quod dicitur: «ta'is sum sicut vos», quia in gloria paradisi anime sunt exute de materia, quemadmodum Deus.

Item, ad aliam auctoritatem quam allegat prefatus magister Ieronimus de libro de Tahanit (19), in eadem continetur quod loquitur de paradiso. Et ideo non concluditur conclusio quam dictus magister Ieronimus concludit.

Prefatus vero magister Ieronimus, dubiis satisfaciendo et argumentis, que iudeus super replicatione per eundem magistrum Ieronimum in 3<sup>a</sup> interrogacione facta contra eum proposuerat credens sibi satisfacere et illa penitus extirpare, exposuit sic dicens:

Ad id autem quod iudeus respondet, quod non omnes glosatores declarant illud super Messia, etc. Dico quod antiqui, in Talmud, et Ionathan, qui fecit translacionem caldaycam, qui fuit ante Christi adventum, omnes declarant dictam propheciam de Messia. Et de modernis, rabi Sa'omon, qui est principalis, et nomine rabinorum talmudistarum declarat eam de Messia. Et quod aliqui deinde supervenientes dicant oppositum, angustia compellit eos id dicere et facere.

(18) *Sifra, Behukotai*, 3,1, in Lev. 26,12. Cf. *Pugio*, 732-733.

(19) *Ta'anit*, 31 a. Cf. *Pugio*, 733.

Item creditis satisfacere illi dicto, scilicet: «sublimis erit valde», allegando quod rabini dicunt quod maiores sunt iusti quam angeli.

Dico quod verbum hoc non est auctenticum, nec approbatum; ymo est reprobata per vestrosmet doctores, precipue per rabi Abraam Abenhazra, qui plures inducit rationes et auctenticas contra rabi Sahadias, qui principaliter dixit verbum illud; non oportet enim vos excusare, nec verbum illud corroborare dicentes esse oppinionem fidei quod anime iustorum in alio seculo sunt in maiori gradu quam angeli, quia intencio dicentis non est nisi in hoc mundo; et patet per questiones quas movet rabi Abraam Abenhazra contra rabi Zahadias.

Item, dato quod hoc verbum esset auctenticum, videamus que preheminentia daretur Messie, postquam quilibet iustorum hoc habet. De necessario tenemur igitur dicere quod preheminentia eius est in eo esse naturam divinam. Ex quo vestrum argumentum est nichil.

Item dicitis: Respondet iudeus quod dictam auctoritatem non reperit in libro vocato Beresith Rabba, etc., sed eam reperit in Pereq rabi Eliezer, etc.

Dico quod prefata auctoritas est in textu talmudico in Barayca aut in Beresith Rabba, et in Pereq rabi Eliezer (20). Et narrat ad litteram dictos decem reges eo modo quo vobis allegavi; vos enim omittitis nonum, qui est Cesar Augustus; et dicit auctoritas ad litteram: «Nonus rex est Cesar Augustus, rex Rome, cuius dominium per universum est dispersum, ut scribitur Danielis capitul II: «Et regnum quartum erit valde ferreum; quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hec» (21). Decimus vero rex, est rex Messias, qui regnaturus est a fine universi usque ad finem, de quo scriptum est: «Et dominabitur a mari usque ad mare», etc. (22). Item dicitur de eo: «Lapis autem qui percuserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram» (23). Item dicitur de eo: «In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus celi regnum quod in eternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet et consumet universa regna hec, et ipse stabit in eternum, etc.» (24).

Ex quo patet clare, per verba auctoritatis, quod decimus rex est Messias, et decimus rex est Deus. Bene igitur concluditur quod Messias est Deus.

Item dicitis: Respondet iudeus quod semper est Deus verus Sal-

(20) *Beresith Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 91, in Gen. 42,6 (ed. B. N. 92-95, quien trae en la pág. 134-137 el texto del *Pirqé Rabi Eli'ezer*, pereq 11).

(21) Dan. 2,40.

(22) Salm. 71,8.

(23) Dan. 2,35.

(24) Dan. 2,44.

vator Israel, etc., et al-quando attribuitur salvatio Deo, aliquando mediatoribus, etc.

Dico quod bene habet locum quocumque vos dicitis, cum in diversis locis, in uno attribuatur aliquid Deo, et in alio mediatori, ut fit in exitu Israel de Egipto, quod in quibusdam locis attribuitur Deo, et in aliis Moysi. Sed cum in uno eodemque loco de uno eodemque subiecto loquitur, cum vocatur Dominus exercituum et vocatur filius David, veluti est in hac auctoritate, de necessario habet loqui super eodem met, et vestrum argumentum nullum locum obtinet.

Item dicitis: Respondet iudeus: Ad id quod tangitur in Glosa super Canticis Canticorum (25), etc., filia et soror certum est quod non significant incarnationem. Ergo nec matrem.

Dico quod hec argumentum nichil valet, quoniam non est necessarium quod omnes tituli qui imponuntur habeant eundem respectum, imo debent habere diversos respectus, postquam in eo sunt diversi tituli, et diversa nomina; quoniam in respectu quo Deus multiplicavit Israel in Egipto, de pauca quantitate, in qua erat, usque ad magnam multitudinem quod digni habiti sunt populus et gens nominari, ut laicius Ezechiel recitat in capitulo 16<sup>o</sup>, vocat eos filiam. Deinde, respectu quo populavit eos in terra, et posuit divinitatem eius inter eos in templo, et participabat cum eis cotidie cum magna familiaritate, ut faceret miracula et loqueretur cum prophetis, intitulavit eos nomine sororis. Elapso tempore illo, venit tempus Messie, in quo fuit necessarium carnem humanam assumere in eis, ut salvum faceret genus humanum, et vocat eos matrem. Et hoc valde est consonans auctoritati.

Item, dicitis super textu quem vobis allegavi de Psalmista David, psalmo 35: «Quoniam apud te est fons vite, et in lumine tuo videbimus lumen» (26): Respondet iudeus quod valde est admirandum, etc.

Dico quod multo plus de vobis est mirandum: unde quero a vobis ubi vos habeatis quod omnes redemptiones eiusdem nature esse debeant cum sit totum huius oppositum; nam redemptiones que fuerunt durante tempore duorum mille annorum legis Scripture, sicut lex illa erat materialis et corporalis, debebant esse materiales et corporales. Sed redemptio futura tempore Messie, quia erat altera mundi natura, et tempus legis temporalis pretererat, debebat esse spiritualis redemptio, cum erat perpetuo duratura; que quidem perpetuitas est impossibilis in re materiali.

Et quod dicitis, quod in fine auctoritatis dicitur quod loquitur de hac captivitate in qua estis de presenti, que est in potestate ydumeorum seu edumitarum. Dico quod hec opinio a vestris rabinis est reprobata.

(25) *Shir ha-Shirim Rabbá*, in Cant. Cant. 3,11.

(26) Salm. 35,10. Cf. *Midrash Tehilim*, in ps. 36,10.



Rabi Abraam Abenhazra inquit ad litteram quod stulti sunt qui credunt hanc presentem captivitatem esse in potestate ydumeorum seu edumitarum, nam non est nisi in potestate romanorum. Esto tamen quod aliqui dicant hanc captivitatem esse in potestate ydumeorum, cum toto hoc, veritatem inquit auctoritas, propter tantam multitudinem iudeorum qui ad legem Messie sunt conversi a mille quadringentis annis citra. Et propter has causas et plures alias, quas supra posui in declaratione auctoritatis prefate, patet manifeste qualiter argumentum vestrum et glosa vestra super hoc nichil sit.

Dicitis ulterius: Respondet iudeus quod dicta auctoritas (27) loquitur de gloria quam anime habebunt in paradiso, etc.

Dico quod hec glosa, cum honore loquendo, non habet locum; nam auctoritas fabricatur super verba Moysi, Levitici capitulo 26°, ubi dicitur: «Et ambulabo in medio vestri, et ero vobis in Deum, et vos eritis mihi in populum» (28), et hoc non valet intelligi nisi de hoc seculo, nam manifestum quidem est quod in nullo lex mosayca loquitur de paradiso.

Item in alia auctoritate libri Tahanit (29), ubi dicitur quod tempore futuro Deus tripudabit cum iustis in paradiso, et quamvis dicit de paradiso ad idem debet de necessitate intelligi de incarnatione Domini nostri in hoc mundo. Et vocatur paradiso ad ostendendum magnam gloriam magnamque delectacionem quam iusti habuerunt, scilicet, Apostoli, cum erant iuxta Dominum nostrum Iesum Christum in hoc seculo. Patet hoc ita esse, nam in eadem auctoritate dicitur quod quilibet iustorum demonstrabunt eum digito, quoniam sic inquit Isaías, capitulo 25°: «Et dicent in die illa: ecce Dominus Deus noster iste; expectavimus eum, et salvabit nos, iste Dominus, etc.» (30). Et demonstracio cum digito non potest fieri seu intelligi nisi in re huius seculi; et ad idem, nam prefatus textus Isaie in tota illa prophecía ad litteram non loquitur in aliquo de paradiso.

Unde, ex omnibus superius dictis, sequitur nostram conclusionem plenissime fore probatam, scilicet: Messiam esse verum hominem carnalem, et Deum verum.

(27) *Sifrá*, in Lev. 26,12. Cf. *Pugio*, 732.

(28) Lev. 26,13.

(29) *Ta'anit*, 31 a. Cf. *Pugio*, 733.

(30) Is. 25,9.



## SESION XLII

DIE LUNE, 21<sup>a</sup> Augusti, iudei obtulerunt scripturam sequentem:

Item in quarta, quinta et sexta interrogacione procedit dictus magister Ieronimus, credens primo reprobare responsionem quam feceramus ad quartam interrogacionem, in qua diximus quod Messias directe veniet ad salvandum et redimendum populum Israel a captivitate corporum, ex quo sequitur quod melius poterunt servare legem mosaycam que prestat vitam eternam.

Et procedit contra dictum iudeum triplici ratione, sic inquires: Primo, nam omnis remuneracio seu retribucio aut premium generaliter, etc.

Et respondet iudeus: quod, attentis graciis quas Deus noster homini anticipando in creando eum et infundendo animam racionalem, fecit, omnia autem servicia ex tunc sequencia que homo facit, sunt ex debito, et de iusticia non indiget premio, et si quid Deus decerit propter illa servicia, illud est graciosum, et ideo non est adeo parvum quin illud sit magnum, et ut inquit David: «tibi, Deus, misericordia: quia tribuis homini secundum eius opera» (1). Quanto magis talis retribucio sicut Abrae, que fuit magna attento quod ipse et uxor eius erant positi in etate sterili ad filios procreandum, in tantum quod cum Deus dixit ei: «Premium tuum est valde magnum» (2), ait Abraam: «Domine, quid michi dabis?, et so'us incedo» (3); et ibidem promissit sibi posteritatem, que esset in multo numero, et quod daret illam terram eidem posteritati. Et iuxta casum in quo erat positus Abraam, satis erat ingens remuneracio seu retribucio; et de necessitate debet intelligi materialiter, non autem spiritualiter, nam videmus quod dicitur:

(1) Salm. 61,13.

(2) Gen. 15,1.

(3) Gen. 15,2.

«Semini tuo dabo terram hanc, a flumine Egipti usque ad flumen magnum Eufrates» (4), etc. Promittebat eius posteritati singulariter hanc terram, quoniam est terra seu patria divine influencie disposita; et propter singularia servicia que Abraam fecerat, promittebat ei has prosperitates temporales, ultra gloriam spiritualem quam habent omnes iusti. Et illud quod dixit: «tibi dabo», est quod Deus noster, qui de presenti concedebat gratiam, dabat ei, etiam quod tunc non possideret, et etiam quia quando filii possederunt, operatus est eam propter merita patrum, et ideo intrabant in eam ex titulo hereditatis.

Item, in 2<sup>a</sup> racione dicit magister Ieronimus: Ponamus quod in itinere et incontinenti, cum sit in illa terra, etc.

Respondet iudeus quod illud idem quod erit de illis qui morientur in itinere, aut statim quod ibi erunt, scilicet, quod boni et iusti habebunt gloriam paradisi, et mali ibunt in infernum; quia ire ad paradysum non stat in spectando Messiam, sed in essendo boni, et in observando legem mosaycam.

Ulterius in tercia racione dicit prefatus magister Ieronimus quod naturale est nature humane, etc.

Respondet iudeus quod bona naturalia sunt peccandi occasio illis qui habent cor pronum ad malum; [sed hiis qui non habent cor pronum ad malum] non sunt occasio peccandi, ymo sunt causa quod sint meliores et magis iusti. Et tempore quidem Messie omnes gentes erunt prone ad bene operandum, et ad Deo serviendum. Et de hoc diverse atque plures sunt prophecie. Dixit enim Ezechiel, capitulo 36: «Dabo enim vobis cor novum, et spiritum novum ponam in vestris visceribus; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri; et faciam ut in preceptis meis ambulatis, et iudicia mea custodiatis et operemini» (5).

Item Ieremias, capitulo 31: «Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens: cognoscite Dominum; omnis enim cognoscet me, a minimo eorum usque ad maximum» (6).

Et quamplures alie prophecie que hoc dicunt.

Item, ait dictus magister Ieronimus: Ad bene declarandum tres dictas conclusiones convenit nos scire quod punicio principalis, etc. Et consequenter huic inducit duas auctoritates; quarum una est in Medras super Ruth (7): «Hec sunt generationes Fares» (8), et illa eadem

(4) Gen. 15,18.

(5) Ez. 36,26.27.

(6) Ier. 31,34.

(7) *Ruth Rabbá*, par. 8, in Ruth, 4,19.

(8) Ruth, 4,18.

est in Beresith Rabbá Minor (9) super «Hec sunt generaciones celi et terre» (10). Item alia que est in Exodo magno (11) super illo textu, scilicet: «Hec sunt iudicia.» Ex quibus auctoritatibus credit dictus magister Ieronimus duas inferre conclusiones: primam videlicet, quod mors que nominatur in textu super peccato Ade est mors anime, etc.

Et contra hanc primam conclusionem respondet iudeus quod oppiniones sunt diverse inter doctores hebreos super hiis que secutura sunt tempore Messie, quibusdam asserentibus quod tempore Messie non mutabitur mundus a regula sub qua nunc est, sed solum quod liberabitur Israel a captivitate; et hec est oppinio Samuelis dicentis in libro Sanhedrim: «Non est aliud inter hoc seculum ad dies Messie, nisi solum subiugacio regnorum» (12). Aliqui tamen alii intelligunt quod tempore Messie tollentur omnes pene seu puniciones, que secute sunt propter peccatum Ade, quarum una est mors corporalis; et ex hac oppinione est rabi Barachias, cuius auctoritatem allegavit prefatus magister Ieronimus, ubi dicitur (13): «Sic dicit rabi Barachias, nomine rabi Samuelis, filii de Nahaman: Quamvis create fuissent res in sua plenitudine, ex quo peccavit Adam primus maculate fuere, et numquam redibunt ad eorum statum usquequo veniat filius Phares»; et sunt hec: «eius splendor, eius vita, eius status, fructus terre, fructus arboris eius, luminaria» (14). Et dicit quod deficit de hoc vocabulo *toldot* in tota Scriptura, excepto ubi dicitur: «hec sunt generaciones celi», et «hec sunt generaciones Phares», litera «vau», que significat hunc numerum sex, correspondet hiis sex rebus que diminute sunt de mundo propter peccatum Ade; que quidem sex res sunt omnes puniciones corporales, et specialiter patet illa ubi dicitur «vitas suas», quia debet intelligi materialiter, quod probatur in defectu eius per textum Genesis, capitulo III<sup>o</sup> ubi dicitur: «Pulvis es, et in pulverem reverteris» (15). Et probatur recuperacio eius ad tempus Messie per textum quem dixit Isaias, capitulo 65<sup>o</sup>, quod «cum diebus ligni sunt dies populi mei» (16). Et adhuc patet debere intelligi hec vita corporalis, propter concomitanciam aliarum que sunt corporales. Et huiusmodi oppinionis est ille dictator

(9) *Bēreshit Rabbá*, par. 12, in Gen. 2,4. Cf. *Bēreshit Rabbá* de ha-Darshán, par. 12, in Gen. 2,14 (ed. B. N. 32-33).

(10) Gen. 2,4.

(11) *Shemot Rabbá*, par. 30, in Ex. 21,1.

(12) Sanh. 91 b; Cf. Shabbat, 63 a, y 151 b; Berakot, 12 b; Pesahim, 68 a.

(13) *Bēreshit Rabbá*, par. 12, in Gen. 2,4. Cf. *Bēreshit Rabbá* de Darshán, par. 12, in Gen. 2,13 (ed. B. N. 33).

(14) *Ba-Midbar Rabbá*, par. 13, in Num. 7,13; y *Midrash ha-Gadol*, in Gen. 2,4.

(15) Gen. 3,19.

(16) Is. 65,22.

sermonis (17) qui est super illo textu: «Hec sunt iudicia» (18), scilicet, quod cum veniret Messias, Dominus noster tolleret mortem corporalem. Et adhuc secundum opinionem Samuelis, «quod non est in hoc seculo usque ad dies Messie, etc.» (19), illa sex que retulit rabi Barachias possunt intelligi materialiter. Et illud quod dicit quod convertentur in diebus Messie, non vult dicere incontinenti cum venerit Messias, nisi tempore resurrectionis; nam tunc iuxta opinionem Samuelis mutabitur regula mundi, ut est nunc. Patet in libro talmudico vocato Sabbath.

Item, dicit prefatus magister Ieronimus quod nonnulli rabinorum hebreorum sunt opinionis quod peccatum Ade fuit remissum tempore circumcisionis, quam recepit Abraam. Quod probat per textum Zacharie, nono capitulo: «Eciam tu, per sanguinem pacti tui, emisisti captivos tuos de puteo in quo non sunt aque» (20).

Respondet iudeus quod ignorat doctorem qui hoc dicat; et intentio textus est propter pactum circumcisionis; et puteus ille in quo non erant aque dicitur propter captivitatem Egypti; et vult dicere quod non est mirandum quod tempore Messie redimatur Israel, qui habent iam legem, quoniam tunc, ex precepto solum circumcisionis, eos redemit. Et illud quod dicitur: «sanguinem pacti tui», reddit ad universitatem Israel, et ut inquit magister Ieronimus, ad Iesum Nazarenum debebat dicere: eciam tu per sanguinem suum.

Item, ad auctoritatem quam prefatus magister Ieronimus allegat, quod, cum venit serpens ad Evam, eiecit in eam feditatem, etc. Non dicitur ibi quod, cum data est lex, deleteretur peccatum Ade, sed quod homines proni ad malum, cum redemptione legis, perdidit illam pronitatem, et fuerunt bene dispositi ad bene operandum.

Item, inquit dictus magister Ieronimus: Dico quod secundum conclusionem secundam que sequitur, etc.

Respondet iudeus quod responsio que sequitur, facta super prima conclusione, est sufficiens ad istam secundam conclusionem.

Item, dictus magister Ieronimus allegat unum sermonem qui est in libro Medras Tehillim, in Glosa psalterii (21), psalmo 48, super illo textu ubi dicitur: «Quique terrigenae et filii hominum, simul in unum dives et pauper» (22).

Respondet iudeus quod prefata auctoritas non est eo modo quo dicitur magister Ieronimus eam allegat; ymo est tenoris sequentis:

(17) *Shemot Rabbá*, par. 30, in Ex. 21,1.

(18) Ex. 21,1.

(19) Sanh. 91 b; Shabbat, 63 a, y 151 b.

(20) Zach. 9,11.

(21) *Midrash Tehilim*, in ps. 49,3. Cf. *Pugio*, 607-608.

(22) Salm. 48,3.

«Audite omnes habitatores huius seculi» (23): hec est terra. Et propter quid appellatur «*haled*» seculum? quia facit ascendere corticem in oculis malorum tempore futuro. Et qui sunt hii «*fili hominum*»? iste est Abraam, qui vocatur homo maior in gigantibus; ad idem filii isti sunt filii Ismael et filii Queture. *Vir*: isti sunt filii Noë, qui vocatur vir iustus. Item, ex alia glosa: hec sunt septuaginta generationes gencium que descendunt ad infernum. «Simul dives et pauper»: Dives in lege, iste est Doheo Adomita et Achitofel; et quia non servarunt legem, descendunt in infernum, quamvis 'sicut' [E. sint] capita studiorum; et *pauper in lege*, omnis qui habebat potestatem addiscendi, et non didiscit. Propterea dixerunt filii Chore ex quo tam magnum est premium legis: «Os meum loquetur sapienciam» (24): ista est sciencia legis.»

Ex hoc patet clare quod hii qui descendunt in infernum erant hii qui non servabant legem, eciam quod haberent scienciam.

Item, allegat predictus magister Ieronimus sermonem qui habetur in libro vocato Maccet Aguiga, capitulo quod incipit homer baquodes (25), quod incipit: «Dicit rabi Halazar: Contra doctores legis ignis inferni non habet potestatem.»

Respondet iudeus quod in auctoritate non dicitur: iusti nullo modo intrant; sed dicunt: doctores legis, scilicet, hii qui fecerunt aliqua peccata propter que intrant in infernum; et dicitur quod hii, propter scienciam quam habent, ignis inferni non habet potestatem in eos, quamvis sint privati gloria paradisi.

Item, inquit dictus magister Ieronimus: Similem auctoritatem huic habemus in Medras Tehillim (26), id est, Glosa psalterii: Dicit rabi Iodan, etc.

Respondet iudeus, quod de necessitate tenebatur sic dicere David, ut non esset ingratus, et doceret quod ipse merebatur descendere in profundum inferni, et Deus noster liberavit eum a tanta punicione, et percipit ei peccatum. Et hoc simile cuidam homini qui perpetravit aliquod crimen propter quod meretur puniri suspendio, et Dominus parcat, et misertus est ei; et reus agit ei gracias quoniam liberavit eum de patibulo. Et si faceret ei gracias de hoc solum quod eum liberasset a pena flagelli, erraret, nam daret intelligi quod non merebatur maiorem punicionem. Item, dato quod auctoritas clare diceret quod dicit prefatus magister Ieronimus, ex hoc non probaretur nisi quod David, propter pec-

(23) Salm. 48,2.

(24) Salm. 48,4.

(25) Hagiga, 27 a.

(26) Midrash Tehil-lim, in ps. 86,13.

catum illud, non esset absolutus totaliter ab inferno; tamen non sequitur ex hoc quod alii iusti in inferno seu inferno tradantur.

Item, allegat dictus magister Ieronimus quemdam sermonem qui, ut asserit, est in Medras Qohelleth, id est, in glosa Ecclesiastes (27), super textum quem dixit Salomon in Ecclesiastes: «Iustus periit in iusticia sua» (28). Ex quo credit probare quod Moyses descendebat in infernum propter peccatum Ade.

Respondet iudeus quod dicta auctoritas est super textu ubi dicitur: «Vide opera Dei» (29). Et ex illamet auctoritate, clare patet quod illa mors, de qua fit ibi mencio, est corporalis, non autem spiritualis, in quantum verbum dicit:

«Inquit rabi Azarias, nomine rabi Iehude: Hora qua Deus creavit Adam, recepit eum, et dixit eum per arbores paradisi, et dixit ei: Respice mea opera paradisi. Et ait: Respice opera mea quam sint pulcra et laudabilia, et quidquid creavi, propter te creavi; pone in corde seu mente tua ne corrumparis, ne destruas seculum meum; nam, si corrumparis, non est qui possit reparare post te. Quando autem [E. + cum] dixit Deus Moysi: «Dies tui appropinquarunt ad mortem», cui similibatur Moyses, etc.» (30).

Et in fine auctoritatis dicitur sic:

«Hora qua dixit Deus Moysi: «appropinquaverunt dies tui ad moriendum» (31), dixit coram eo: Domine mundi, propter quod peccatum? Dixit Deus: Propter peccatum Ade.»

Sic, quod ex isto, videtur quod hoc diceret de morte corporali, a qua debebat restaurari Moyses, nisi propter peccatum Ade; nam in Moyse ignoramus peccatum, nisi illud de aqua contradiccionis, cuius punicio fuit solum non ingredi terram promissionis.

Item, inquit magister Ieronimus: Tamen qualiter probavimus hoc esse duraturum solum usque ad adventum Messie, etc., allegans adhuc quamdam auctoritatem que est in Beresith Rabbá rabi Moysi Darsan, que sic incipit: «Dicit rabi Iehosua, filius Levi: Ego ivi cum Quipot angelo, etc.» (32).

Respondet iudeus quod ex auctoritate met patet quod hii qui habitabant in inferno non erant iusti, sed mali; nam inquit in auctoritate: «Dicit ei: Monstra michi infernum. Et nondum sinit me videre ipsum dicens: Non convenit iustos videre faciem inferni.»

(27) *Qohélet Rabbá*, par. 7, in Eccl. 7,14. Cf. *Pugio*, 619-620.

(28) Eccl. 7,16.

(29) Eccl. 7,14.

(30) Deut. 31,14.

(31) Deut. 31,14.

(32) *Beresith Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 60, in Gen. 24,67 (ed. B. N. 64-65).



Item illud quod dicitur in prefata auctoritate: «Iste eruet nos de huiusmodi tenebris»; non sequitur ex eo quod hoc ipsi dicerent, quod sic oporteret esse. Et licet dicamus quod sic oporteret esse, ut ipsi credebant, erat hoc quia ipsi credebant quod essent in die iudicii, et quod exiuri erant de purgatorio qui digni erant inde exire. Non obstante quod de hoc sermone non oportebat aliquam fieri mencionem super hiis responsionibus, quoniam de se patet quod debet intelligi figurative, aut quod erat aliqua visio quam viderat rabi Osua in sompnis. Et hoc quia dicitur in auctoritate quod non potuit intrare cum Quipot angelo, ex mandato rabi Osue, ad mensurandum infernum, nam erant occupati in sepulturam rabi Symeonis, qui obiit antequam rabi Osua nasceretur bene per trescentos annos. Et quomodocumque sit, Messias, qui nominatur in auctoritate, non potest dici de Iesu Christo, nam rabi Osua filius Levi, cui accidisse probatur, fuit post destructionem ultra ducentos annos.

Item, quia dicitur in sermone quod Israel, qui stabat in captivitate inter gentes, expectabant Messiam qui liberaret eos ab illa captivitate, et Iesus non liberavit Israel a corporum captivitate. Et textus quos inducit magister Ieronimus in verbo, quod est unus, scilicet: «A manu inferni redimam eos, et a morte liberabo eos» (33); alius vero: «Redempti a Deo redibunt, et venient ad Syon» (34), etc., non sunt in auctoritate.

Item, allegat prefatus magister Ieronimus unum sermonem qui, ut asserit, est in Genesi Magno de rabi Moyse Darsan (35), qui incipit: «Et lux cum eo habitat.» Dicit rabi Abba: «Hec est lux Messie, etc.»

Respondet iudeus quod modum prophetarum et sanctorum hominum est pati passiones et tribulaciones ut restaurentur gentes, ut reperitur in Ezechiele, cui dixit Dominus Deus noster: «Et tu acuba, seu iace, super latere tuo sinistro, et portabis peccatum Israel, etc., et perficies hoc, et iacebis, seu acubabis super latere tuo dextro secundo, et portabis peccatum domus Iude» (36). Et hoc notorium est valde in verbis doctorum nostrorum, quod iusti comprehendantur in peccato gentium. Et pari forma Messias pacietur tormenta, seu verbera, in principio, ut Israel digni salvacione fiant; et ad idem pacietur magna vituperia a gentibus, et fortunas, et guerras, et alia magna opprobria seu dampna, in quibus se videbit propter Israel. Et Deus noster, attendens quod tot essent infortunia in quibus se videret seu positus esset

(33) Os. 13,14.

(34) Is. 35,10.

(35) *Bereshit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 2, in Gen. 1,3 (ed. B. N. 26-29).

(36) Ez. 4,4.6.

Messias, tempore illo quo ipse pati non posset, eas voluit notificare anime Messie, que stabat subtus cathedram glorie sue, volens ab eo scire an vellet ea pati. Et respondit quod sibi placebat, cum condicione tamen quod in vita eius in corpore et anima, qui fuerant mortui ab Adam usque tunc, et nedum illi, sed adhuc hii quos luppis devoraverant et qui sumersi fuerant in aquis maris et fluminum [resuscitarentur].

Unde patet quod prefata resurreccio esse debebat in corpore et anima, et non solum extrahere seu liberare animas ab inferno; nam si illud esset, nulla differencia esset inter illos qui devorati a luppis aut sumersi sunt in mari et hos qui aliter obierunt.

Et qualitercumque sit hec auctoritas, non potest de Christo intelligi:

Primo cum in hac auctoritate dicatur quod nulla anima illius generationis dampnabitur, et, secundum christianorum opinionem, omnes qui interfuerunt eius passioni et ei non crediderunt sunt dampnati.

Item, quia in auctoritate dicitur quod martirium maius quod ipse erat passurus esset suspirii et tristitie, et non fecit mencionem quod passurus esset mortem.

Item, quoniam illud quod dicitur in auctoritate: «Cum condicione quod mortuos resuscites in diebus meis», istud «in diebus meis» dicitur propter tempus divinitatis, aut propter tempus humanitatis. Si enim hoc dicit propter divinitatem, non est finis. Si autem propter humanitatem, animas non extraxit de inferno, nisi post eius mortem; maxime quoniam, ut dictum est, ex dicta auctoritate patet quod dicta resurreccio debebat esse in corpore et anima, et illud non fuit in adventu Iesu Christi. Ex qua quidem racione minime concluditur ex dicta auctoritate quod dictus magister Ieronimus credit probare. Et, ad rei veritatem, videtur quod dicta auctoritas debeat expositionem habere figurativam.

Item, ait dictus magister Ieronimus: Tamen adhuc restat probare qualiter dictum peccatum Ade fuit causa, etc.

Respondet iudeus hanc eandem auctoritatem (37) per dictum magistrum Ieronimum fuisse iam superius allegatam super illud: «Iustus periit in iusticia sua» (38). Et verbum est idem met, et est super textu ubi dicitur: «Vide opera Dei» (39). Sed dictus magister Ieronimus allegavit superius medietatem, hic vero aliam medietatem. Et qui diligenter attendit dictam auctoritatem totam, subsequenter potest videre qualiter illa mors, de qua ibi loquitur, debet intelligi de morte corporali, de qua dicit quod fuisset Moyses restauratus nisi propter peccatum Ade. In codicibus enim seu libris nostris non est: «tu es causa mor-

(37) *Qohelet Rabbá*, par. 7, in Eccl. 7,14.

(38) Eccl. 7,16.

(39) Eccl. 7,14.

tis illius iusti». Et dato quod sic dicatur, propter Moysen, quia subiungitur: «hora qua dixit Deus Moysi: Iam propinquaverunt dies tui aq̄ moriendum» (40), et in tota auctoritate non loquitur de Messia; neque est textus quem allegavit dictus magister Ieronimus, scilicet, Zacharie qui dicit: «Ecce rex tuus veniet tibi iustus, salvator ipse» (41).

Dictus vero magister Ieronimus contra argumenta per iudeum facta super dictis tribus interrogacionibus dicens: Ad id quod inquit: Respondet iudeus quod, attentis graciis quas Deus noster homini anticipavit, scilicet, in creando eum, etc., omnia servicia que exinde homo facit sunt ex debito, etc., opposuit sic dicens:

Quamvis hoc quod dicitis habeat bene locum, quoniam creatura est tantum Deo nostro obligata propter bona sibi per Deum anticipata, quod, dato quod cunctis diebus vite sue nichil aliud faceret quam Deo servire devote, non esset sufficiens ad satisfaciendum sibi de graciis et bonis que sibi fecit in principio; cum hoc tamen reperimus per experienciam in tota Sacra Scriptura quod Deus vult uti cum hominibus ac si in nichilo essent sibi obligati; videlicet, quod si ei servierint, et mandata eius servaverint, vult eis retribuere seu remunerare ad plenum, non computando aliquid de bonis que sibi Deus anticipaverit tempore innocencie.

Et verum est hoc resultare ex nimia et immensa eius misericordia, ut supra in mea replicacione allegavi per textus certissimos prophecie; postquam reperimus quod eius misericordia sic uti orōinaverit quemadmodum dixisse videmus Abrahe: «Et merces tua magna nimis» (42). Non enim dixit: gratiam, quam tibi faciam, est magna. Ergo necessario habent locum rationes posite in mea replicacione: nam secundum meritum debet esse premium, etc.

Et illud, quod dicitis, quod de necessitate debet intelligi materialiter, non autem spiritualiter, quia dicit, etc.

Dico quod si verba mea attendere vultis diligenter, ego non nego quin Deus promiserit semini suo terram materialem, nam de facto videmus sibi dedisse. Sed dico quod in promissione illa intelligebatur intrinsece terra spiritualis, que datura erat tempore Messie; et respectu illius ait cuilibet patriarcharum quod daret sibi.

Item, ad secundam racionem per me factam, respondet iudeus quod quidquid erit de hiis qui a mille et tot annis citra mortui sunt expectando Messiam, erit de illis, etc.

(40) Deut. 31,14.

(41) Zach. 9,9.

(42) Gen. 15,1.

Dico quod hoc respondentes minime satisfacitis; ymo inconuenienciam multiplicatis, cum pro presenti non queram quid erit de animabus illorum; sed loquor secundum opinionem vestram erroneam; nam asseritis quod adventus Messie principaliter non est nisi ad dandum prosperitatem et bona temporalia; et meum argumentum magnum obtinet locum cum ponatur quod hii qui adhibebunt in adventu vestri Messie, et erunt digni ad illam temporalem salvacionem per manum eius habendam, et deinde naturaliter, propter senectutem, aut propter multa alia, obirent in itinere, et incontinenti cum terram ingrederentur, ubi est bonum quod isti habuerunt propter expectacionem Messie? Et plura similia inconueniencia secuntur hanc falsam opinionem pertinaciter tenendo.

Item, contra terciam quidem racionem dicitis michi: Respondet iudeus, quod bona temporalia sunt occasio peccandi illis qui habent cor pronum ad malum. Sed hii qui non habent cor pronum ad malum, etc.

Dico quod semper fuit, est, et erit populus hebreorum in malum et ad peccandum pronus seu inclinatus. Et hoc propter proprietatem que est affixa et inseparabilis in eisdem, que est perfidia, seu pertinacia et duricia, ut notavit Deus in diversis locis: «populus dure cervicis» (43). Credo quod impossibile est in populo maiorem fuisse dispositionem ad non peccandum quam illa que fuit cum fuerunt a captivitate egipciaca liberati, nam ad oculum viderunt tot et tanta facta miracula propter eos per Deum in Egipto, et deinde miraculum maris divisi, et qualiter cohors et potestas egipciaca ibidem fuerint submersa, in tantum quod hoc peracto refert textus de eis: «Timuit omnis populus Dominum, et crediderunt Domino et Moysi servo eius» (44). Deinceps panem celi dedit eis, quod erat manna. Deinde docuit eos in 'montem' [E. monte] Synay, et dedit eis legem per os eius proprium, et fuerunt in omnibus hii dispositi taliter, quod inquit textus de eis: «Responditque omnis populus simul: cuncta que locutus est Dominus faciemus» (45). Et etiam ait tunc Deus Moysi quod ipse refirmaret tantum hanc dispositionem in cordibus populi quod nunquam deleteretur, sic inquit: «Cumque retulisset Moyses verba populi ad Dominum, ait ei Dominus: iam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te et credat tibi in perpetuum» (46). Rogo igitur nunc diligenter attendite an esset maior prenosticacio Dei nostri ad ostendendum quod essent constantes et firmi

---

(43) Deut. 31,27; Ex. 32,10.

(44) Ex. 14,31.

(45) Ex. 19,8.

(46) Ex. 19,9.

in eius credulitatem, et maior dispositio in eisdem. Et cum toto hoc, elapsis quadraginta diebus, blasphemaverunt Deum et Moysen, cum derelinquentes, et vitulum pro Deo adorantes.

Vos igitur, qui hoc fecistis, qualiter potestis dicere de vobis motipis quod, cum Messias vester venerit, permanebitis tempore infinito absque peccato, quod est impossibile? Unde sequitur quod propheticæ per vos allegatæ in Ezechiele et Ieremia non possunt aliquatenus observari nisi propter illud quod, postquam Messias Iesus Christus venit, reperitur. Unde patet argumenta vestra nullum locum habere, et per consequens, meam informationem nimia veritate pollere.

Preterea, contra hanc meam primam conclusionem dicitis: Respondet iudeus, quod opiniones diverse sunt inter doctores hebreos super hiis que secutura sunt tempore Messie, nonnullis credentibus quod tempore Messie non mutabuntur, etc.; tamen nonnulli intelligunt, etc.

Dico hec omnia fore invenciones quas capitose contexuistis, nam non est in tota machina mundiali propheta qui dixerit quod tempore Messie tollatur mors corporalis seu materialis; et vobis ostendam contrarium per verba Isaie et rabi Moysi de Egipto, qui fuit sapiencior omnium vestrorum rabinorum modernorum. Ait enim Isaïas, capitulo penultimo, loquens de tempore Messie, [E. + et] pronunciavit rem unam, que secundum nos et secundum veritatem est figurativa, secundum autem vos qui ponitis omnia materialiter, dixit: «Et non erit ibi amplius infans dierum et senex qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit» (47). Patet ex hoc quod mors non debebat deleri. Rabi vero Moyses inquit in libro de Sofrim, capitulo ultimo: «Non cogites quod diebus Messie anulletur aliquid de cursu mundi, etc.»

Item dicitur in libello vocato de Temam: «Noveris quod Messias morietur, et regnabit filius eius post eum», etc.

Ex quo sequitur quod mors illa, quam ponit rabi Barachias (48), que debebat tolli tempore Messie, dicitur de morte spirituali; nam sic ipsemet inquit in prefata auctoritate: quod «tolletur angelus mortis»; et hoc nomen est impositum per rabinos vestros diabolo, ut supra dixi.

Postquam videtis hoc vobis deficere et nullum locum habere [E. + recurritis] ad dicendum quod intentio auctoritatis non est pro tempore Messie, nisi pro tempore resurrectionis. Ecce nunc patet manifeste quomodo oppositum veritatis vultis asserere maliciosè. Cum [E. + doctor] dicat ad literam: «tempore Messie», cur enim dicitis

(47) Is. 65,20.

(48) *Bereshit Rabbá*, par. 12, in Gen. 2,4.

non vult dicere tempore Messie? Videntur igitur omnia hec verba esse valde ridiculosa.

Ulterius dicitis: Dicit magister Ieronimus: Ymo etiam quod nonnulli rabinorum hebreorum sunt oppinionis, etc. Iudeus respondet quod ignorat doctorem qui hoc ponat.

Dico quod prefata oppinio reperitur in libro vocato Tanhumam, et sic queratis eam diligenter. Et ad idem de auctoritate ubi dicitur: quod cum serpens appropinquavit se Eve eiecit in eam turpitudinem seu immundiciam. Manifestum est quod illa immundicia sonat quod serpens sibi maculavit animam, in quantum fecit ipsam peccare. Ergo delectio illius macule est peccatum ab anima delere, et non illud quod vos dicitis.

Unde, anichilatis responsionibus vestris, restat meam conclusionem esse veram et satis optime probatam, scilicet: Mortem, que secuta est ex peccato Ade, esse mortem anime, non autem corporis.

Item dicitis: Ait prefatus magister Ieronimus: Dico quod secunda conclusio, etc. Respondet iudeus quod responsio facta super prima conclusione est sufficiens ad istam secundam, etc.

Dico quod, postquam dicta responsio est per me rationabiliter et vere annullata, quod hec secunda conclusio restat absque responsione legitima. Ergo potest dari pro concessa; que est, scilicet, quod dictum peccatum Ade debebat remitti cum veniret Messias.

Deinde adhuc dicitis: Iudeus respondet quod dicta auctoritas (49) non est eodem modo quo dictus magister Ieronimus allegat, etc.

Dico auctoritatem prefatam fore eodem modo quo allegavi, nam absolute inquit quod omnes descendebant ad infernum. Alias exhibentur libri autentici, et videatur.

Item dicitis: Respondet iudeus quod auctoritas non dicit «contra iustos non habet potestatem ignis inferni, etc.» (50).

Dico quod istud verbum *thamide hahamim*, que est in auctoritate, quod idem est quod doctores legis, est maius gradus prehemencie hominum quem vos tribuitis hominibus in divino servicio; adeo quod sunt, secundum oppinionem talmudistarum, in maiori gradu quam prophete; et ideo maiori pena plectuntur venientes contra eorum verba quam venientes contra verba Dei; et etiam quod qui habet illud officium, studendi scilicet Talmud, est in maiori reputatione quam si observasset omnia mandata legis; et secundum oppinionem vestram, est liber et immunis a quocumque servicio divino, nam sententia talis est quod studere in lege talmudica est equale omnibus divinis preceptis. Ergo, quando inquit doctor quod ignis inferni non habebat

(49) *Midrash Tehil-lim*, in ps. 49,3.

(50) *Hagiga*, 27 a.

potestatem in eis, dixit propter homines meritorios quos vos iudei potestis habere. Argumentum ergo vestrum est nullum.

Dicitis ulterius: Iudeus respondet quod de necessitate habeat sic dicere David, etc. (51).

Dico quod exemplum vestrum non consonat cum auctoritate. Nam David bene poterat dicere quod faciebat gracias Deo, quia eum eruebat ab inferno, et hoc dicendo non sequeretur mea conclusio, nec male staret per vos factum argumentum, nam in verbis ipsius staret magna et parva pena. Sed in quantum designavit super profundis inferni, sequitur optime mea conclusio.

Et illud quod dicitis: tamen sequitur ex hoc, etc. Dico quod satis sufficit quod vobis probem quod maiores prophete mundi, ut puta Moyses et David, ad infernum tendebant seu descendebant; bene quidem potest dici quod per consequens ceteri omnes.

Preterea, dicitis super probacione quam feci quod Moyses iret ad infernum: Iudeus respondet quod dicta auctoritas (52), etc., et sic ex isto patet quod loquebatur de morte corporali, a qua debebat Moyses restaurari, nisi propter peccatum Ade.

Dico quod hoc non habet locum: nam doctores talmudiste referunt quod solos tres homines fuerunt qui mortui sunt propter peccatum Ade, inter quos Moyses minime computatur. Unde necessario cogimini dicere quod condempnacio Moysi, de qua fit mencio in auctoritate, est condempnacio inferni, et non de morte corporali.

Item, dicitis super auctoritate quam dicit rabi Osua filius Levi, quod ivit cum Quippot Angelo (53): Et respondet iudeus quod ex auctoritate met patet, etc.

Vos quidem applicatis auctoritati verba que non sunt ibidem.

Item, dicitis quod gaudebant iam esse diem iudicii.

Valde enim est admirandum. Nam certum est quod in auctoritate sigillatim non denotantur iusti aut iniusti, sed dicit in genere: cum capti in inferno viderunt lumen Messie, filii David, quod letati sunt dicentes: hic extrahet, seu eruet nos de istis tenebris. Et ex illo intelligitur quod omnes, tam iusti quam iniusti, gaudebant; nam quilibet credebatur se fore dignum ut inde exiret. Et non potest dici id quod dicitis de die iudicii; nam captus homo, cum extrahitur ut interrogetur aut iudicetur, non bene gaudet, quia adhuc dubitat an pro eo sententia faciat vel contra; ymo tristatur.

Item, quia in prefata auctoritate dicitur quod ipsimet sciebant quod

(51) *Midrash Tehil-lim*, in ps. 86,13.

(52) *Qohelet Rabbá*, par. 7, in Eccl. 7,14.

(53) *Bereshit Rabbá* de Moshé ha-Darhsán, par 60, in Gen. 24,67 (ed. B. N. 64-65).

Messias esset redempturus et inde eos liberaturus, et ideo gaudebant textibus asserentibus: «De manu mortis liberabo eos; de morte redimam eos» (54); et alio textu, ubi dicitur: «Redempti a Domino convertentur, et venient in Syon cum laude» (55). Patet igitur quod postquam ipsi gaudebant de hiis promissionibus, eis factis per verba prophetarum, iamque erat eis certum quod Messias erat eos inde redempturus.

Et id quod dicitis quod erat aliqua visio, quam viderat rabi Osua, etc.

Dico quod bene potest esse visionem fuisse in modum revelacionis, tamquam propheta, et ideo non minus erit ratum.

Et quod dicitis quod non potest dici de Iesu Christo.

Dico quod ymo venit optime ad tempus passionis; nam ut vosmet ponitis, rabi Osua fuit post eius passionem circa ducentos annos, et dicitis quod ante eius nativitatem fuit mors Raban Simeonis; que quidem visio, ut aparet, facit relacionem illius temporis, taliter quod venit circa Christi passionem. Et tunc quidem detenti in inferno seu capti ibidem, gaudebant et letabantur; senciebant namque quod in brevi erant inde exituri.

Item, dicitis super auctoritate de rabi Habba (56): Respondet iudeus quod prophete et sancti homines, etc.

Quam bonum michi est, et quam iocundum, quod vi rationum cogamini confiteri potest et adhuc conceditis et confitemini Messiam fuisse vituperandum et passurum, ut salvum faceret Israel; quod quidem numquam iudei credunt, nec confitentur.

Item vi adhuc dicte auctoritatis confitemini quod propter passiones, quas ipse pateretur, mortui ab Adam usque ad Messiam erant resurrecturi. Bonum quidem est in hoc vos convenisse nobiscum. Solum restat nunc satisfacere vobis super quibusdam punctis per vos in prefata auctoritate pretactis.

Primum, scilicet, quia dicitis quod hec resurreccio debet intelligi de corpore et anima, non tantum de inferno liberare.

Ad hoc quidem respondeo quod oportet de necessitate intelligi extrahere seu liberare animas de inferno; nam corporum resurreccio simul et animarum non est quivis christianus sane mentis, nec iudeus, qui hoc fieri debere intelligat tempore adventus Messie in carnem, sed valde post longe, et circa diem iudicii. Item quia in eadem met auctoritate ponitur hoc vocabulum «salvabis».

Secundo autem arguitis dicentes: Et qualitercumque sit hec auctoritas, non potest dici de Cristo Iesu, etc.; designantes tres causas: unam,

(54). Os. 13,14.

(55). Is. 35,10.

(56). *Bereshit Rabbá* de Moshé ha-Darshán, par. 2, in Gen. 1,3 (ed. B. N. 26-29).



scilicet, quoniam inquit auctoritas quod non perderetur una anima illius generacionis. Et dicitis: Secundum opinionem christianorum, etc.

Respondeo quod nulla est generacio sua nisi hii qui credunt in eum, et hii omnes salvantur.

Secunda causa est, quia non facit mencionem quod mortem pasurus esset.

Respondeo: Ymo facit, quoniam iamque dicitur in fine dicte auctoritatis quod propter eum inquit Isaias: «Oblatus est quia ipse voluit» (57); et ista oblacio nichil aliud est quam occisio.

Tercia autem causa est, quia dicitur, quod «resuscites morientes in diebus meis», et facitis distinccionem: nam aut dicit propter tempus divinitatis, aut humanitatis, etc.

Respondeo quod, postquam passio Christi fuit citra totum tempus, vocatur tempus seu dies Messie, sic enim asserit ipsummet Talmud, ut patet per auctoritatem de Thana Develiahu, ubi dicitur: «Duo mille anni legis, et duo mille anni dierum Messie» (58). Unde sequitur argumentum vestrum nullum penitus esse, [E. + et] verba legis fore valde consonancia cum hiis que passus est verus Messias Christus Iesus, et tempore suo.

Item, dicitis super auctoritate illa (59) per quam probo quod dictum peccatum Ade fuit causa mortis Messie: Respondet iudeus quod istamet auctoritas, etc.

Dico quod licet sit hoc totum una auctoritas, nichil perditur; nam ex parte una conclusi Moysen ivisse ad infernum propter peccatum Ade; et, ex alia parte auctoritatis, dictum peccatum fuisse causam mortis Messie.

Et illud quod dicitis quod illud ubi dicitur «iustus» intelligitur de Moysa, non potest habere locum, sive propter racionem superius dictam, quod mors Moysi non fuerit propter peccatum Ade, sive per textum prophete iam in auctoritate allegatum, scilicet: «Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator ipse» (60).

Ex quo concludo dicens: Dubia et argumenta per vos seu contra dictas tres conclusiones facta fore penitus annullata; et dictas tres conclusiones, velut magna veritate pollentes, manere sufficientissime probatas, scilicet: quod adventus Messie fuerit ut salvaret animas ad vitam spiritualem; et quod in adventu eius fuerit peccatum remissum patris Ade; et quod Messias mortem et passionem passurus erat, ut dictum purgaret peccatum.

Et hic est finis sex primarum interrogacionum.

(57) Is. 53,7.

(58) Sanh. 97 a.

(59) *Qohelet Rabbá*, in Eccl. 7,14.

(60) Zach. 9,9.



## SESION XLIII

DIE VERO MERCURII, vigesima tertia Augusti, iudei obtulerunt scripturam sequentem:

In septima autem interrogacione, que est: An aliam nacionem quam hos qui de genere Israel ducunt originem salvare debuerit. Et iudeus respondet quod credit quod salvabit principaliter populum israeliticum, etc. Deinde dictus magister Ieronimus replicans ait: Hoc in verbis Isaie reperiri capitulo 44, ubi inquit: «Iste dicit: Dei ego sum» (1).

Respondet iudeus quod verum est quod intencio illius verbi est quod «in nomine Israel assimilabitur» (2) dicitur propter gentiles qui convertentur; et inquit quod, cum conversi fuerint ad legem Moysi, vocabuntur Israel; non autem quod ipsi sint principales. Et ideo, quando dicitur in propheciis absolute Israel, non intelligitur de eis qui convertentur, nisi de principalioribus. Et hoc significat istud vocabulum *iehanne* in hebreo, et sic transtulit beatus Ieronimus, nam inquit assimilabitur, videtur quod ipsi non erant principales. Et quod allegat ex textu: «Et populus qui creabitur laudabit Dominum» (3), iamque diximus quod inquit propter Israel, quia congregabit et redimet eos de subieccione, ut lacius supra diximus in responsione nostra super tertia particula. Et ex tenore psalmi patet quod loquitur super congregacione israelitica et rehedificacione Ierusalem et Syon, ex lapidibus et calce, ut inquit: «Tu exurgens, Domine, misereberis Syon, etc., quoniam placuerunt servis tuis lapides eius, et terre eius miserebuntur» (4).

---

(1) Is. 44,5.

(2) Is. 44,5.

(3) Salm. 101,19.

(4) Salm. 101, 14-15.

Item ad id quod dictus magister Ieronimus inquit: Et hoc est quod inquit Isaias, capitulo 62: «Et vocabitur tibi nomen novum» (5).

Respondet iudeus quod clare patet in textibus illius capituli quale debet esse preceptum nominum, quia hoc dicitur de Syon; nam inquit textus Isaie, capitulo 62: «Non dicitur tibi ultra derelicta, nec terra tua ultra derelicta, nec terra tua ultra amplius desolabitur, quoniam tibi vocabitur mea voluntas in ea» (6). Et est intencio quod, sicut usque nunc demonstrabatur derelicta, et gentes eam appellabant derelictam, sic exinde vocaretur «mea voluntas in illa», in signum Dei nostri, qui est adiutorium sibi. Et sic habetur Osee, primo, quod vocat Israel: «non meum populum», dicens: «Vos non estis populus meus, et ego non ero vobis, etc.» (7). Et deinde, capitulo secundo, iterum vocavit eos «populum meum», ut inquit: «Et dixi tibi populus meus, populus meus es tu». (8). Et id quod dixit: «Et servos suos vocabit nomine alieno», Isaias capitulo 65° (9), vult dicere quod non est tale sicut nomen malorum. Unde dixit ibidem: «Et dimittetis seu derelinquetis nomen vestrum pro iuramento electis meis» (10), qui maledicentur cum eo, ut ait Ieremias, capitulo 29: «Ponat te Deus sicut Ezechiam et Atan» (11). Ymo nomen illorum esset honorabile ad benedendum cum eo, quemadmodum inquit textus Genesis, 48: «In te benedicetur Israel dicens: ponat te Deus ut Efraym et Manasse» (12).

Item, inquit prefatus magister Ieronimus: Videmus quod omnes prophete una voce, etc.

Respondet iudeus quod omnes prophete quas allegavit dictus magister Ieronimus, non dicunt nisi quod gentes adhibebunt Messie, et obedient ei; tamen principaliter propter populum Israel veniet. Propter quod in aliquo huiusmodi nichil concluditur de eo quod dictus magister Ieronimus probare intendit.

Item dicit magister Ieronimus: Ad hoc probandum habemus auctoritates rabinorum talmudistarum, etc. Et allegat unam de Beresith Rabbá de rabi Moysi Darsan (13) super textu: «Inquit: Ego sum pharao», etc. (14).

(5) Is. 62,2.

(6) Is. 62,4.

(7) Os. 1,9.

(8) Os. 2,24.

(9) Is. 65,15.

(10) Is. 65,15.

(11) Ier. 29,22.

(12) Gen. 48,20.

(13) *Beresith Rabbá* de ha-Darshán, par. 90, in Gen. 41,44 (ed. B. N. 92-93).

(14) Gen. 41,44. El Ms., en vez de «Ego sum pharao», pone: «ego faciam». Pensamos que es un error, a no ser que aluda a Is. 64,4, citado en esta autoridad.

Respondet iudeus quod hunc sermonem non habemus. Et esto quod reperiatur, nichil amplius dicitur in eo quam quod responsum est per iudeum ad interrogacionem, que est scilicet, quod Messias veniet principaliter ad redimendum de captivitate populum Israel, et omnes in eum credituros; et qui convertentur ad legem, quam ipse credit que est lex mosayca, salvabuntur ad idem.

Ulterius inquit prefatus magister Ieronimus: Et adhuc est doctor, etc. (15).

Respondet iudeus quod, eciam ad intencionem christianorum, non stat bene hec auctoritas ad literam; nam Messias principaliter, secundum intencionem christianorum, non venit nisi ut mortem pateretur et passionem pro salute humani generis; et auctoritas inquit quod non venit nisi ut daret precepta gentibus seculorum. Sed intencio auctoritatis est quod Messias non ignorabat aliquid in lege mosayca, nec veniet ad diminuendum aliquod mandatum legis mosayce, nec ad aliud aliquid addendum; sed solum quod gentibus mundi extra Israel dabit aliqua precepta ceremonialia, ut inquit in libro Havodazara: «Unum preceptum habeo leve, quod vocatur tabernaculum seu cabanelle; ite, facite illud.»

Et id quod credit asserere seu affirmare dictus magister Ieronimus in eo quod inquit scilicet, quod hec dicio «sicut», etc.

Respondet iudeus: quod illud «sicut», vel «quemadmodum», non intelligitur sic, ymo sumitur pro eadem re, et aliquando illi alia similia coniungendo, ut dicunt magistri nostri super illo textu, scilicet: «Fortes viribus facientes verbum suum sunt sicut rabi 'Cadoq' [E. Çadoq] et eius socii.» Item ad idem dicit in libro vocato Quetubot: «Non placet michi in ordinacione sapientum qegon, id est, sicut istam debent eum credere.»

Item inquit dictus magister Ieronimus: Ergo sequetur secundum hoc quod salvacio erit res contraria, etc.

Respondet iudeus quod Messias non est venturus ad salvandas animas principaliter; nam viam veram ad salvandas animas iamque habemus in lege Moysi, et quicumque 'observabitur' [E. observabit] eam, salvabitur omni tempore, tam ante quam post Messiam. Cum autem venerit Messias, nos, qui sumus in captivitate corporum, salvi erimus ab illa captivitate; alie vero gentes convertentur ad legem Moysi; et propter predicaciones aut Messie miracula salvabunt animas suas. Et Messiam facere diversa opera in diversis gentibus non est mirabile, nam unum et idem agens potest diversa opera facere in diversis patientibus. Et isti qui salvabunt animas, non sequitur quod eorum corpora ponant in captivitate, quemadmodum inquit dictus magister Ieroni-

(15) *Midrash Tehil-lim*, in ps. 21,2.

mus; non sequitur enim quod omnes qui habent maiorem se sint in captivitate; alias reges, imperatores et Papa essent in captivitate. Et ideo veritas est quod tempore Messie omnes gentes in eorum libertate manebunt, nullam aliam subieccionem habentes quam sibi obedire, quod est preceptis Dei obedire; et illud non est captivitas, sed regnare, quoniam servire Deo, regnare est.

Dictus quidem magister Ieronimus dubiis et argumentis in septima interrogacione per iudeos motis atque factis cupiens satisfacere inquit:

Clare enim et manifeste patet ex verbis vestris vos totam meam intencionem confiteri, nisi quia ponitis vos revolventes seu intricantes vosmetipsos in verbis nichil ad propositum nostrum facientibus. Vos etenim confitemini verum esse quod ceterae gentes quae ad doctrinam Messie convertentur, postquam fuerint conversi, vocabuntur Israel. Et ego nichil aliud posco, sed solum ex hoc concludo quod plures prenotaciones seu prenunciaciones pro tempore Messie ad Israel facte, quod illud Israel intelligitur de ipsis; non quidem dico quod in omni loco ubi in Scriptura est Israel, quod dicatur de illis; ymo fateor quod in pluribus locis mosayce legis, ubi habetur seu ponitur Israel, dicitur pro genere antiquo duodecim tribuum; sed tempore Messie non intelligitur nisi propter nos, qui fidem servamus Messie. Et id quod dicitis de «assimilabitur» (16) in nullo contradicit mee intencioni. Unde mea conclusio manet satis plene probata.

Preterea dicitis ad illud quod allegavi super illo «populus qui creabitur» (17): Iamque diximus quod dicitur propter Israel, quia, etc.

Dico quod verum est vos hoc dixisse; tamen iam fuit fundamentaliter reprobatum, nam quidquid super hoc dixistis, nullum est.

Item, dicitis super propheta Isaie, capitulo 62, ubi dicitur: «et vocabitur tibi nomen novum» (18). Respondet iudeus, etc.; et est intencio: nam usque nunc videbatur esse derelicta, et vocabant eam gentes «derelictam», ita ex hinc vocabitur «voluntas mea in ea» (19).

Dico hanc glosam [E. + et] hanc vestram racionem nichil valere, nam magna differentia est dicere: «Et non vocaberis derelicta, sed dicent voluntas mea in ea», et dicere: «Vocabitur tibi nomen.» Nam hic nulla fit mencio de nomine aliquo, nisi dicere: dicet gens pro te istud. Et hoc patet quod sit verum, nam non reperitur quod in Scriptura, nec in locucione alicuius nominent Syon nec populum hoc nomine scilicet: «voluntas mea in ea». Sed intencio erat quod possit dici de

(16) Is. 44,5.

(17) Salm. 101,9.

(18) Is. 62,2.

(19) Is. 62,4.

ea. Sed hic ubi dicitur: «Vocabitur tibi nomen novum» (20), iam firmencio de nomine, et nomen significat quod nominabile, et presertim quoniam dicit quod os Domini nominabit. Quod quidem nomen, has condiciones habens, est nomen Messie, quod scribitur seu dicitur esse christianum. Et quod dicitur quod solum dicebatur propter Syon, ecce idem Isaias, capitulo 65, declaravit quod dicebatur que omnibus Dei servitoribus, ubi inquit: «et servos suos vocabit nomine alio» (21).

Ad id vero quod allegatis: «Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis» (22). Dico autem vobis quod bonum silentium perditis, nam si diligenter attenderitis totum illud capitulum, nichil aliud facit nisi referre particulariter angustiam, laborem et tristitiam quas habent hodie iudei, et, ad illius oppositum, bonum, abundantiam et gaudium que possident christiani, adeo quod quisquis christianus volens aliquid vituperare, inquit: videtur iudeus; aut: peior est quam iudeus. Et hoc est quod dictum est supra: «Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis» (23).

Item dicitis: Respondet iudeus quod omnes propheticas quas allegavit dictus magister Ieronimus, etc., tamen principaliter ad populum israeliticum veniet, etc.

Dico quod in nulla istarum septem prophetiarum quas vobis allegavi fit aliqua mencio de Israele, nisi de aliis gentibus. Unde mea conclusio est bona et vera.

Item super auctoritate in qua dicitur: «Ego sum pharao» (24), respondet iudeus, etc., quod Messias veniet principaliter ut populum redimat israeliticum a captivitate, etc.

O qualiter vultis oculos aliorum offuscare, nam in tota hac auctoritate, nec in aliqua prophetiarum superius allegatarum in eadem, nec fit mencio de Israele nec de lege mosayca; in uno autem loco ubi fit mencio de Iuda et inquit: «In diebus illis salvabitur Iuda» (25), ad extrahendum vos et eripiendum de hoc errore declarat idem doctor quod iste Iudá significat hos qui credituri sunt in eo; et vos cum perfidia vestra inducere conamini ad credendum oppositum illius quod patet per Scripturam.

Dicitis ulterius: Respondet iudeus quod adhuc secundum opinionem christianorum non stat bene hec auctoritas, etc. (26).

(20) Is. 62,2.

(21) Is. 65,15.

(22) Is. 65,15.

(23) Is. 65,15.

(24) Gen. 41,44. *Bereshit Rabbá* de ha-Darshán, par. 90, in Gen. 41,44 (ed. B. N. 92-93).

(25) Ier. 23,6.

(26) *Midrash Tehil-lim*, in ps. 21,2.

Dico quod auctoritas stat valde bene, nam hii rabini antiqui talmudiste nonnullas habebant revelaciones seu tradiciones super factis Messie, tempore prophetarum; et unus habuit aliquas, et alius alias; et hic rabinus qui hanc ponit auctoritatem solum audiverat Messiam legem daturum novam gentibus, et non audiverat quod esset mortem passurus; et ideo non fecit mencionem nisi de hoc.

Id quod dicitis de vocabulo «sicut» vel «quemadmodum», certum est prefatum vocabulum illas duas significare intenciones; et allegacio vestri Talmud est nulla, nam non debemus regi ex eorum dicto seu loquacione.

Item dicitis: Respondet iudeus quod Messias non erat venturus ad salvandas animas, etc., ab argumento quidem per me contra vos facto credentes vos duplíciter excusare. Uno siquidem modo dicentes: Viam veram ad salvandas animas iam in lege Moysi habemus, etc. Hoc est manifeste falsum, nam in nullo legis mosayce mencionem fieri reperitur ad literam de bonis spiritualibus aut de salvacione anime.

Alio enim modo quia dicitis: propter hoc quod Papa vel imperator vel reges christianorum teneant vestrum Messiam ut ipsorum dominum, non ideo sequetur quod eximantur ab eorum libertate et intrent infra iugum captivitatis.

Quero [E. + autem] a vobis si sanctissimus dominus noster Papa, qui est commissarius, et verus Dei vicarius in omnibus spiritualibus, et per consequens, omnes ecclesiastici tunc temporis, iuxta erroneam oppinionem vestram, vestro Messie, quem asseritis, summitterentur an totam suam libertatem et potestatem 'admitterentur' [E. admitterent]? Certum videtur quod sic, et quod eximantur a libertate et tendant in captivitatem. Unde vestre satisfacciones sunt penitus nulle et argumentum meum remanet in suo esse.

Ad octavam vero interrogacionem, scilicet, an legem seu doctrinam novam Messias esset daturus, respondet iudeus, quod credit quod non sit daturus legem novam, quoniam lex Moysi satis est perfecta et perpetua.

Et replicuit prefatus magister Ieronimus contra id sic dicens: Et ante omnia, ad hec duo probanda, vobis allegare quamdam notabilem auctoritatem, etc. (27).

Respondet iudeus quod ex illa auctoritate, quam dictus magister Ieronimus allegat, patet quod non attribuit imperfectionem aliquam legi, nisi adiscantibus illam. Et hoc patet in quantum inquit auctoritas: «Omnis lex quam quis adiscit in hoc mundo est vanitas, etc.,

(27) *Qohelet Rabbá*, in Eccl. 2,1.



nam in hoc mundo homo adiscit legem et obliviscitur eam, etc.) Unde patet quod intencio doctoris est quod in hoc tempore homo obliviscitur legem quam adiscit, aut propter angustias seu anxietates captivitatis, aut quia ignorat causas et demonstrationes eorum que adiscit; sed in tempore Messie, sive quia erunt extra captivitatem, sive propter eius doctrinam et predicationes, in quibus 'revelabit' [E. revelabit] secreta legis, non obliviscetur homo aliquid quod adiscet. Et hoc est quod inquit textus preallegatus in dicta auctoritate, ubi dicitur: «Dabo legem meam in visceribus eorum, et super cor scribam eorum» (28). Et hec est intencio textuum qui attribuunt legem Messie. Et qualitercumque sit quod inquit auctoritas, non potest attribui legi quam secundum christianos dedit Christus Iesus, quia adhuc hodie regnat oblivio in illis qui legem illam adiscunt.

Hec est enim intencio illius auctoritatis, quam prefatus magister Ieronimus allegavit (29), consequentis istam super textu ubi dicitur: «Si annis multis seu pluribus vixerit homo» (30). Et ideo dictum est similiter: lex quam adiscit homo in hoc mundo; et non dixit: lex que data est in hoc mundo.

Preterea inquit dictus magister Ieronimus: Et adhuc legem mosaycam reperimus non promittere nisi bona temporalia, etc. Respondet iudeus quod, quamvis non promittat expresse nisi bona temporalia, ipsa tamen de se est sufficiens ad dandum bona spiritualia. Eciam secundum opinionem christianorum, paradus non impediabatur bonis in lege mosayca, nisi propter peccatum Ade. Ergo secundum opinionem iudei, qui intelligit quod peccatum Ade non transibat in animas posteritatis eius, sequitur quod lex mosayca dat optime observantibus eam bona spiritualia.

Item premia et puniciones spiritualia non fuerunt in lege expressata, quia res subtiles et difficiles ut intellectus humanus eas possit intelligere; tamen tanguntur caute in diversis locis legis, taliter ut valeant bene intelligi.

Nam primo, dum daretur lex, inquit Exodi capitulo 19: «Et vos eritis michi regnum sacerdotale et gens sancta» (31): hec enim vocabula pertinent directe ad spiritualitatem. Item Deuteronomius capitulo VIº dicit: «Sic mandavit nobis Dominus adimplere hos foros eius, ut timeamus Dominum nostrum, ut bonum sit nobis omnibus diebus et ut sustineret nos sicut hodie, et iusticia erit nobis, nam servabimus

(28) Ier. 31,33.

(29) *Qohelet Rabbá*, in Eccl. 11,8.

(30) Eccl. 11,8.

(31) Ex. 19,6.

omnia precepta coram Domino Deo nostro» (32). Ex quo dicit «iusticia erit nobis» que, ut dicitur, erit «coram Domino Deo nostro», et hoc sequitur post illud ubi dicitur «pro bono nobis omnibus diebus» aut semper, «et ut sustineret nos sicut hoc die» in quo sunt bona temporalia, videtur quod sumantur pro gloria spirituali.

Item, dicitur in textu Deuteronomii, capitulo 32, quod illa est vestra vita, et cum hoc prolongabitis dies (33). Et aparet quod ipsa est vita vestra, quasi dicat, vita spiritualis. Et hoc est quod sequitur ulterius: «et prolongabitis dies».

Item, Levitici capitulo 18, ubi inquit textus quod faciat homo illa et vivet cum illis (34). Et declarat Anquelos: «Et vivet cum illis ad vitam seculi.»

Item Deuteronomio, capitulo 33: «Supervivet Ruben et non morietur» (35). Dicit Anquelos: «Vivet Ruben ad vitas seculi et morte secunda non morietur.»

Item, ultra hoc, Moyses tradidit verbotenus hanc promissionem glorie spiritualis hiis qui erant tempore suo, et deinceps venit per traditionem ad sapientes talmudistas, qui cum concordassent ponere in scriptis ea que erant ex ore, locuti sunt manifeste de hac gloria spirituali, aplicando eam ad diversos textus, ut patet in diversis locis libri Talmud.

Et similem questionem quam facit christianus iudeo, scilicet, de bonis spiritualibus, cur lex non promiserit expresse ea, et manifeste facit seu replicat iudeus christiano de penis spiritualibus, de quibus certum est iuxta intencionem omnium, quod sunt ante adventum Messie, quare non sunt in lege expressata. Sed in modum quem christianus dicit fuisse promissam penam spiritualem Ade caute in verbis illis Genesis, capitulo II: «Quoniam die qua comedes morte morieris» (36), non obstante quod reperiamus in diversis locis vocabula plura duplicata, que non sumuntur nisi ad confirmandam vel corroborandam intencionem, ad idem dicit iudeus quod est promissa caute gloria spiritualis in textibus superius allegatis.

Item, quemadmodum est oppinio christianorum quod iudei mosaycam legem observantes antequam Christus veniret liberabantur a profundo inferni, et ibant in limbum inferni, quem christiani sinum Abrahe apellant, et mali 'ibunt' [E. ibant] in profundum inferni, et bonis minime promittit hanc liberacionem ab huiusmodi pena tam ingenti profundi inferni, malis vero promittitur dicta pena, item dicit iudeus

(32) Deut. 6, 24,25.

(33) Deut. 32,47.

(34) Lev. 18,5. t

(35) Deut. 33,6.

(36) Gen. 2,17.

quod ex mosayca dat gloriam spiritualem, quamvis expresse non promittat, nec manifeste seu clare.

Item aliquis prophetarum dixit magis clare, ut Salomon Ecclesiastici capitulo XII, qui ait: «Spiritus revertetur ad Deum qui deicit eum» (37). Primo Regum, capitulo 25, dicitur: «Et erit anima domini mei ligata in vinculo vitae» (38).

Item, ait 'magister Ieronimus dictus' [E. dictus magister Ieronimus]: Et hoc patet capitulo XII, ubi inquit loquens de tempore salvationis: «Haurietis aquam cum gaudio», etc. (39).

Respondet iudeus quod hic terminus *ulpan*, dicitur in caldeo pro quacumque instructione aut informacione, adhuc quod non sit de lege, nisi de negociis mundi; quod quidem vocatur in hebreo *limud*, quoniam caldeum huius vocabuli *belimadteni* est '*udallesum*' [E. *udallesim*]. Et ideo reperimus quod dicitur in caldeo, Genesis capitulo 25, super textu illo ubi dicitur: «Ivit ad requirendum Deum» (40): «Ivit ad querendum ulpan a Deo». Et inde derivatur in hebreo quod inquit Iob capitulo 35: «Docebit nos plusquam bestias terre» (41). Quoniam si legem voluisset dicere, non diceret «ulpan novum» nisi «horayta novam». Et intencio est quod Messias et alii iusti, qui tunc fuerint, revelabunt nobis aliqua de lege que usque nunc fuerunt nobis occulta; et ideo vocatur illa informacio seu instructio «nova», nam usque ad Messiam non 'fuerit' [E. fuit] aliquis qui talem dederit informacionem.

Item inquit prefatus magister Ieronimus: Dixit Isaias, capitulo II: «Et erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini», etc. (42).

Respondet iudeus quod credulitas nostra est, et sic habemus in quamplurimis propheciis, quod Messias faciet quamplurima miracula et magnifica, et maiora quam illa de Synay. Et hoc est quod inquit rabi Salomon, quod miraculum quod fiet in eo erit maius quam miracula de Synay, nec de Carmello, nec de Tabor. Et quod dicitur «de Syon exibit lex omnibus gentibus» quod allegat magister Ieronimus, non est in codicibus nostris. Et propter hec miracula ibi fienda, recipient omnes doctrinam Messie, et sequentur quam plurimi legem eius, que est lex mosayca; et hoc est quod inquit: «De Syon exibit lex» (43). Et quod dicit quod lex mosayca iam exivit temporis antiquo, respondet

(37) Eccl. 12,7.

(38) 1 Reg. 25,29.

(39) Is. 12,3.

(40) Gen. 25,22.

(41) Iob. 35,11.

(42) Is. 2,2.

(43) Is. 2,3.

iudeus quod verum est exisse pro Israel, sed non pro aliis gentibus seu nacionibus.

Item, quod hoc vocabulum *tora*, non oportet quod sit lex perfecta, ymo potest recipi pro declaracione unius mandati, ut dicitur in Levitico: «Hec est lex holocausti» (44). Item in Deuteronomio, capitulo 17<sup>o</sup>: «Secundum legem que docebitur», etc. (45).

Item dicit prefatus magister Ieronimus: Hec conclusio met est ad literam prenunciata, etc.

Respondet iudeus quod [E. + sicut] supradictum est in quadam auctoritate de glosa super Ecclesiastico, patet quod id quod dicit: «Dabo legem meam in visceribus suis» (46) dicitur solum quoniam tempore Messie firmabitur lex in corde meo, et non obliviscetur sicut actenus; et ideo vocatur pactum novum, nam revertetur amor Dei ad Israel tamquam de novo, et ad idem quod est, non infringent, nec contra eum venient; et ideo dixit textus Ieremie, 31: «Non erit simile pacto etc., quia infringerunt pactum meum», etc. (47). Et sequitur: «Sed pactum quod ego faciam erit quando dabo legem meam in visceribus suis», etc. (48). Quasi dicat quod causa peccati, elapso tempore, erat quia obliti erant legem; et tempore Messie scient illam ita firmiter quod non tradent eam oblivioni, et memorando de ea non venient contra pactum.

Et id quod dicit magister Ieronimus quod hunc pactum vult dicere legem, et probat: Nam in quodam libro vocato Mecelta dicit: «Nichil aliud est pactum quam lex» (49).

Respondet iudeus quod in Mecelta solum dicitur propter textum illum, qui est Deuteronomio, capitulo 17, ubi dicitur: «Ut transeat pactum» (50) quod est super ydolatriam. Et hoc quia is qui est ydolatra totam transgreditur legem. Et ad idem Deuteronomio 29: «Hec sunt verba pacti» (51), super quo est dictum verbum; sed non generaliter pro omni loco ubi nominatur pactum, quoniam super Abimelech et Abraham dicitur Genesis 21: «Inierunt pactum» (52). Et ibi non sumitur pro lege. Et huic similia sunt in Sacra Scriptura.

Item [E. + dicit] dicit magister Ieronimus: Item ad maiorem corroboracionem et declaracionem huiusmodi conclusionis, etc., quam-

(44) Lev. 7,37.

(45) Deut. 17,11.

(46) Ier. 31,33.

(47) Ier. 31,32.

(48) Ier. 31,33.

(49) *Mekiltá*, in Ex. 12,3.

(50) Deut. 17,2.

(51) Deut. 29,1.

(52) Gen. 21,32.

dam allegans auctoritatem Glose psalterii (53) super textu Isaie, ubi dicitur: «In die illa radix Iesse», etc. (54).

Respondet iudeus se sufficientissime respondisse in 7<sup>a</sup> interrogacione.

Item inquit prefatus magister Ieronimus: Et hoc patet ex quadam auctoritate, que est in quodam libro vocato Glosa super Cantica Canticorum, etc. (55).

Respondet iudeus quod ut patet per diversas glosas superius allegatas, Messias est daturus aliquas bonas doctrinas, et aliqua secreta in lege est declaraturus; et tum propter suum bonum dicendi modum, tum propter bonam nostram dispositionem, non trademus oblivioni id quod ipse nos docebit. Et quoniam Israel in monte Synai viderunt quod precepta illa, que a Deo habuerant presencialiter, non obliviscebantur ea, et que postea habuerunt mediante Moyse obliviscebantur, dixerunt Moysi: «Magister, utinam ostenderet se nobis Deus iterum secundo, ut oscularetur nos osculo oris sui; utinam refirmaretur legis doctrina in cordibus nostris, ut fuit primo.» Et Moyses attendens Israelis intencionem, cum dicebat «utinam ostenderet seu demonstraret se nobis iterum secundo» erat propter aliud quod dicebant: «utinam refirmaretur doctrina legis in cordibus nostris», respondit ipse ad hoc ultimum inquiring: Non est hoc modo, sed tempore futuro erit, ut scribitur: «Dabo legem meam in visceribus eorum, et super corda eorum», etc. (56), quod volebat dicere idem quod istud de non oblivisci id quod adiscerent non possent nunc habere, sed diebus Messie ipse informaret eos et disponeret ad adiscendum taliter quod non traderent oblivioni quod adiscerent.

Prefatus quidem magister Ieronimus ad hec respondens dicit: Ad id quod inquit iudeus contra superius allegatam auctoritatem super textu Ecclesiastici (57) ubi dicitur: «Ego in corde meo: vadam, ego», etc. (58): Respondet iudeus quod ex auctoritate illa quam prefatus magister Ieronimus allegat, patet quod non attribuitur imperfeccio aliqua legi, nisi eam adiscantibus, etc.

Dico vobis, iudei, quod nimium involvitis vos in locucionibus vestris, et signanter, ut faciatis glosas vanas que ratione carent, applicatis auctoritatibus verba que in eis non reperiuntur scripta nec nominata, et dicitis quod hee auctoritates debent intelligi quia lex ista obliviscitur

(53) *Midrash Tehil-lim*, in ps. 21,2.

(54) Is. 11,10.

(55) *Shir ha-Shirim Rabbá*, in Cant. Cant. 1,2.

(56) Ier. 31,33.

(57) *Qohelet Rabbá*, in Eccl. 2,1.

(58) Eccl. 2,1.

seu traditur oblivioni, et lex Messie minime. Ita quod dicitur respectu adiscencium, non autem de ipsamet lege. Miror unde has habueritis invenciones, nam in auctoritatibus dicitur nobis ad literam quod omnes leges sunt vanitas respectu legis Messie, de alia re nulla facta mencione.

Ad id vero quod dicitis: Quomodocumque sit quod dicitur in auctoritate, non potest attribui legi quam secundum christianum dedit Christus, nam adhuc hodie regnat ob'ivio, etc.

Dico quod argumentum nullum habet locum, quoniam et licet christiani aliqui singulares fideles legis aliqua tradant oblivioni, legem tamen penitus christianam minime reperitur perditam fuisse, nec oblivioni tradetur a toto populo christiano, sicut reperitur in diversis temporibus pluries legem mosaycam fuisse sublatam a populo hebreorum omnino, et non propter angustias captivitatis, quemadmodum vos allegastis, nisi quod apparet quod natura legis hoc requirebat, quia non erat perfecta, ut dicitur in auctoritate, et ut superius diximus. Unde sequitur argumentum vestrum esse nullum; ymo patet notorie esse verum quod dicunt auctoritates, quod lex illa esset vanitas respectu Messie legem; et non ex aliquo quod vos asseritis, nam de illo nulla fit mencio in auctoritate, sed quia nulla sequebatur salvacio animabus.

Et omnia ipsa verba que extenditis, credentes colorare qualiter intelligebatur in lege mosayca promissio bonorum spiritualium, omnia sunt nulla, quoniam si ubi promisit premium preceptorum clare nulla fit mencio, qualiter homo credet quod fiat per intricaciones quas vos facitis?

Item dicitis super textu Isaie, ubi dicitur: «Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris» (59): Respondet iudeus quod *ulpan* dicitur in caldeo pro quocumque documento seu instruccione, etc.

Dico quod esto quod *Thora* vel *u'pan* in aliquibus locis aliquam doctrinam significant vel documentum, quod non sit lex divina, eius tamen principalis significacio est; et 'similiter quod' [E. sumitur pro] lege divina; adhuc eciam illud *ulpan* per vos allegatum de Rebeca declarant doctores vestri legem divinam significare. Ipsi enim dicunt quod ibat ad studium de Sem et de Haber, qui erant prophete. Et hic attendendo secundum locum in quo iacet, ubi loquitur de Messia, de necessario oportet dicere quod istud *ulpan novum* vult significare *thora*, scilicet legem, quoniam in locis diversis Scripture attribuitur Messie dare legem, et dicitur nomine *thora*. Et hoc est manifestum.

Similiter huic est clarum in alia auctoritate, que subsequenter super textu Isaie allegatur, ubi inquit: «Et erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini», etc. (60). Nam clare dicit rabi Salomon

---

(59) Is. 12,13.

(60) Is. 2,2.

quod erit magnitudo et gloria quam habebit; et declarat sic esse, quoniam de Syon exhibit lex cunctis gentibus. Et id quod dicitis, quod dicitur quoniam Messias, quem speratis, faciet ibi plura miracula, non habet locum ex pluribus causis.

Primo, quia rabini vestri contrarium asserunt. Ecce et enim rabi Moyses de Egipto, qui in libro Sofrim capitulo penultimo, inquit similia verba: «Ne cogites quod rex Messias habet facere miracula, nec aliqua nova in mundo», etc. Item rabi Salomon, ad idem non dicit vobis in huiusmodi declaratione quod sit miracula facturus, sed sic ait: «Miraculum quod fiet in eo erit maius quam illud de Synay, nec de Carmello, nec de Tabor.» Et declarat quid erit hoc miraculum, et dicit quod de Syon exhibit lex cunctis gentibus. Non enim potestis dicere quod intencio sit quod Messias docebit legem que per manum Moysi iam fuit data; non enim maius miraculum nominaret doctrinam vel documentum legis quam dacionem eiusdem de novo. Ex quo glose vestre nullum penitus habent locum.

Item dicitis super illis prophecias tam claris, scilicet Ieremie (61): Respondet iudeus quod, ut supra iam dictum est in quacumque auctoritate, etc.

Omne quod modo dicitis nichil aliud est quam perfidiare iterum super eo quod iam pluries dixeratis, prophecias applicantes que nullatenus sunt scripta nec nominata, premaxime revocare volentes et offuscare id quod inquit propheta, et doctor vester declarat. Nam ipsemet propheta inquit quod pactum illud novum, quod Deus facturus erat, est quod ipse dabit eis legem. Doctor ad idem declarat quod pactum nichil aliud est quam lex (62). Et vos, licet videatis hoc totum manifeste, dicitis: «non est lex», vestre vane intencioni maiorem quam verbis firmissimis Sacre Scripture fidem cupientes adhiberi. Illud vero ad quod recurritis dicentes aliquod pactum fore quod non est lex, sicuti illud de Abimelech et de Abraham (63), verum dicitis. Intencio tamen doctoris est quod omne pactum a Deo populo attributum significat legem, quod patet ex probacione facta per eum.

Preterea dicitis super auctoritate (64) contra vos allegata de Isaia, capitulo 11º: «In die illa radix Iesse», etc. (65). Respondet iudeus se ad hoc sufficienter in 7.<sup>a</sup> interrogacione respondisse, etc.

Dico quod quidquid vos ad hoc respondistis fuit per me superius valide reprobatum, unde responsio illa nulla remanet, et anichilata.

(61) Ier. 31,32.33.

(62) *Mekiltá*, in Ex. 12,13.

(63) Gen. 21,32.

(64) *Midrash Tehil-lim*, in ps. 21,2.

(65) Is. 11,10.

Item super auctoritate que est super textu Salomonis (66), ubi inquit: «osculetur me osculo oris sui» (67), dicitis: Respondet iudeus quod, ut patet per diversas auctoritates superius allegatas, Messias dabit aliquas bonas doctrinas, etc.

Hec namque verba fuerunt per vos superius sepiissime allegata, credentes cum ipsis omnia vestra curare vulnera. Verum, si vestros mentis oculos volueritis aperire, clare videbitis hanc responsionem vestram nichil facere ad auctoritatem. Nam auctoritas fundata est super verba Salomonis, ubi inquit: «utinam oscularetur nos osculo oris sui» (68). Et ait doctor quod, quia populus cernebat doctrinam Moysi esse carnalem et transitoriam et moëice duracionis, et quod cotidie eam tradebant oblivioni, et abnegabant eam, peccierunt cupientes ut haberent eam ab ore Dei proprio, ut esset firmum atque perpetuum. Hoc est quod dicebant: «oscularetur nos Deus osculo oris sui» (69). Moyses autem respondit eis quod illud modo non poterant habere, sed cum Messias veniret, etc. Unde patet manifeste illud quod ipsi petebant, quod Moyses eis prenunciaverat, scilicet, quod esset tempore Messie et esset principaliter legem de ore proprio Dei audire. Alia vero que dicitis esse in auctoritate, que, scilicet, sunt: esse firma in cordibus, quod idem est quod perpetua seu perpetuitas, et non tradere oblivioni, erant figmenta quedam ad causam principalem.

Unde sequitur conclusionem meam esse sufficienter probatam, scilicet quod Messias erat legem novam daturus, que est lex perpetua gracie et leticie.

---

(66) *Shir ha-Shirim Rabbá*, in Cant. Cant. 1,2.

(67) Cant. Cant. 1,1.

(68) Cant. Cant. 1,1.

(69) Cant. Cant. 1,1.



## SESSION XLIV

DIE VERO SABBATI, 26 mensis augusti, iudeus super 9.<sup>a</sup> interrogacione que est, scilicet, an post eius adventum sacrificia, quemadmodum prius solitum erat fieri, essent continuancia, respondens proponit sic dicens:

Se credere quod post adventum Messie sacrificia ut prius, velut solitum erat, continuarentur.

Ad quod dictus magister Ieronimus nonnullas recitavit oppiniones doctorum hebreorum super rebus sacrificiorum; deincoe, se credens probaturum qualiter aliquae illarum non haberent locum tempore Messie, et iudeus non curans per singulas d'scurrere oppiniones quas prefatus magister Ieronimus allegavit, nec declarare an oppiniones prefate doctorum illorum sic se habuerint vel ne, respondit dicens quod mag<sup>is</sup> catholica et aparens oppinio illarum erat 2.<sup>a</sup>, que tamen hoc modo debet intelligi: quod melior modus seu causa ut parceretur seu indulgeretur seu remitteretur peccatum, est illud confiteri, et reducere ad memoriam penas debitas propter illud, tristando, et ex illo se condolendo, et istud est causa penitentiam faciendi, et iterum ad peccatum non redeundi. Et quoniam rei veritas est quod exempla rerum ad oculum inspectarum plus moveant corda quam verba, Deus voluit quod peccator sacrificaret aliquod animal, eius peccata verbo confitendo, et, sumendo exemplum sacrificii illius, quod peccator erat in suorum penam delictorum moriturus, et omnino consumpturus, sicut illud animal. Et illud exemplum movet ad penitentiam et ad d'mittendum peccatum. Nam tunc aliquae gentes planetis sacrificabant, vel immolabant diabolis, ideo Deus voluit, ut Israel ab errore deviaetur, sacrificia illa fieri in templo, quod erat domus Deo dedicata. Nonnullis vero asserentibus sacrificia fore legis secreta, etc. quia causa propter quid est ignoratur, excepto quod reperitur quod, mediantibus ipsis,

Deus oracionem prophetarum et sanctorum hominum exaudiverat. Reperitur namque de Abel, Genesis IV: «Et respexit Deus ad Abel et ad munera eius» (1). Item de Noe, Genesis VIII: «Edificavit Noe altare Deo, et cepit de omnibus bestiis mundis», etc. (2). Et subsequenter dicitur ibidem: «Et odoravit Deus odorem sacrificii, et dixit Deus in corde suo: Non maledicam ultra terram» (3). Patet quod, mediante sacrificio, impetravit gratiam Dei quod diluvium in mundo amplius non esset.

Ad idem reperimus de Iacob, Genesi 46, ubi dicitur: «Et sacrificavit Deo patris sui Isach, et apparuit ei Deus nocte illa» (4). Patet quod disponebatur ad habendum spiritum propheticum, mediantibus sacrificiis.

Ad idem de Samuele, Primo Regum capitulo VII: «Tulit autem Samuel agnum lactentem, et obtulit illum holocaustum integrum Domino, et clamavit Samuel pro Israel ad Dominum, exaudivitque cum Dominus» (5). Et ideo patet adhuc quod qui assignabant aliquas causas sacrificiorum, sicut rabi Moyses de Egipto, habent concedere quod sunt aliqua alia magna misteria secreta et Deo occulta.

Et secundum istud, tam per causam secundam, quam prefatus magister Ieronimus allegat, quam nos diffusius declaravimus, quam etiam per hanc ultimam causam, patet eius argumentum minime concludere, presertim quod illud quod ad secundam respondet, scilicet, quod tempore Messie non erunt nisi bona spiritualia, non habet locum, ut in diversis locis supra plures diximus.

Et adhuc, et per diversas prophecias, patet debere fieri sacrificia tempore Messie. Dixit namque Isaias capitulo 56: «Eorum holocausta et eorum sacrificia ex voluntate super altare meum» (6).

Item omnes propheticæ edificii Ezechielis certos recitant modos sacrificiorum, que actenus numquam fuerunt.

Item inquit dicitur magister Ieronimus: Reperitur in libro vocato Glosa moralis Psalterii, etc. (7).

Respondet iudeus quod intencio huius doctoris in hac auctoritate est, quod tempore Messie bona temporalia erunt in tam magna abundantia, quod non oportebit Deum orare pro eis, sed propter nimiam abundantiam que tunc erit, laudare. Et ad idem, tanta erit obediencia hominum Deo, et bonus respectus quem habebunt ad eo serviendum cum diligencia, 'quia' [E. quod] sacrificia que fiebant propter reatus

(1) Gen. 4,4.

(2) Gen. 8,20.

(3) Gen. 8,21.

(4) Gen. 46,1,2.

(5) 1 Reg. 7,9.

(6) Is. 56,7.

(7) *Midrash Tehil-lim*, in ps. 56,13. Cf. *Pugio*, 814.

et peccata tunc erunt sublata; vero que non fuerint propter peccata et reatus, sicut *corban*, 'toda' [E. *coda*], aut *temidin* aut 'mucasin' [E. *muçafin*], minime tollentur. Et sumit hic ipse norman ad omnia alia.

Item possumus dicere quod intencio quare alia sacrificia non continuabuntur nisi valde raro, et hoc sonat ibi annullabuntur, sed *corban*, 'toda' [E. *cota*], sonat quod numquam annullabitur. Et secundum intencionem magistri Ieronimi, qui hoc credit dictum fuisse de tempore post adventum Christi, manifeste videmus hoc fore contrarium, nam omnes gentes in domibus oracionum, et per domus et plateas faciunt oraciones, et pro bonis temporalibus plures ac diverse oraciones sunt ordinate per sanctas personas et pro bonis temporalibus.

Item declaravit prefatus magister Ieronimus vocabulum quod dicitur in auctoritate «corban», «toda», super confessione. Et, loquendo cum honore, non est sic, nam in fine auctoritatis dicitur quod remanebit «toða», «corban». Unde patet quod remanebit hoc sacrificium, quod clare expressatur in lege quod erat sacrificium animalis. Videtur ergo fore oppositum dicti sui.

Item inquit prefatus magister Ieronimus: Vultis auctoritatem prophete ad literam ad totum hoc? reperietis in propheta Malachia, etc.

Respondet iudeus quod Malachias solum loquebatur cum sacerdotibus temporis sui, quia faciebant sacrificia ex rebus prohibitis, ut puta ex animalibus claudis, cecis et infirmis, et adhuc quia peccabant, dicentes altare Dei esse immundum et pollutum propter sanguinem sippi, ut inquit Malachias in textu, capitulo primo: «Tabula Dei immunda est» (8). Et ideo dicebat eis: «Quis vestrum est qui claudat portas» (9), etc. Quasi dicat quod plus vellet quod eius peccata essent claudere templum, et non sacrificare sicut isti et vituperare altare Dei. Dicebat enim eis: «Non est voluntas mea in vobis, et munera non sumam de manu vestra» (10): quasi dicat quod similia sacrificia non erant sibi acceptabilia, nec erant placabiles oraciones sue, quas illi offerebant. Et dicebat adhuc eis quod «ab ortu solis usque ad occasum turificatum vel sacrificatum est nomen meum, etc., et vos qui infringitis», etc. (11), dicendo quod omnes alie gentes, que non erant populus electus Dei, sacrificabant et offerebant nomini Dei nostri, quamvis peccabant in serviciis ydolatrie, in simili ut reperimus 4 Regum: «Deum timebant, et suis diis immolabant seu serviebant» (12). Item Danielis 14: «ti-

(8) Mal. 1,7.

(9) Mal. 1,10.

(10) Mal. 1,10.

(11) Mal. 1,11.

(12) 4 Reg. 17,41.

mentes et trementes Deum Danielis» (13). Item Esdre VI patet quod placebat Dario quod Israel faceret sacrificia, ut rogarent pro eo et pro filiis suis, sicut inquit quod «ut faciant sacrificia et orent pro vita regis et filiorum suorum» (14). Et ideo inquit hic Malachias: «Est sacrificatum et oblatum *nomini meo*» (15), et non dixit, «*michi*».

Item inquit «*munera munda*» (16) ad oppositum illius quod faciebant sacerdotes, ut dicit, «offerentes super altare meum panem immundum» (17). Et postquam satis eos reprehendisset, ait: «Et nunc ad vos sacerdotes est hoc mandatum: sacerdotes, nisi audieritis et non proposueritis in cordibus vestris impendere honorem nomini meo», etc. (18). Unde patet quod loquebatur cum sacerdotibus temporis sui, antequam esset in mundo sacrificium de quo loquitur magister Ieronimus.

Item [E. + dicit] etiam prefatus magister [E. + Ieronimus]: vult auctoritatem? hoc totum reperietis in Psalterio, psalmo 71, etc.

Respondet iudeus quod restux dicit: «Erit pizabar in terra» (19), quasi dicat quod tempore Messie erit tam magna abundantia, quod ex uno pugillo tritici quod seminetur in summitate moncium, producentur tot et tante sp̄ce quod superextolletur sicut Libanus; non obstante quod rabi Abraam aben Hazra aliter hoc declaret: quod erit pizadbar, refert se ad pauperem, propter quod dixit: «miserebitur super pauperem» (20), et de quo dicitur, ad idem, «vivet et dabit ei de auro Sabba» (21), quia dicit quod iste pauper vivet cum isto rege, de quo loquitur psalmus; et dicitur ultra quod iste pauper ascendet ex statu inferiori ad magnum, sicut unum pugillum sementis in montibus, ubi oritur copia tritici.

Et ad id quod ipse allegat de caldaica transiacione, non est in libris seu codicibus ut ipse allegat, ymo dicitur: «Erit firmamentum, seu sustentamentum panis in terra in summitate moncium», etc.

Item inquit prefatus magister Ieronimus: Hoc sanctum sacrificium fuit tempore Abrahe prenuiciatum, etc. Respondet iudeus quod auctoritas quam allegavit prefatus magister Ieronimus (22), que est

(13) Dan. 6,26; 14,42.

(14) Esdr. 6,10.

(15) Mal. 1,11.

(16) Mal. 1,11.

(17) Mal. 1,7.

(18) Mal. 2,1.2.

(19) Salm. 71,16.

(20) Salm. 71,13.

(21) Salm. 71,15.

(22) *Beresit Rabbá* de M. ha-Darshán, par. 43, in Gen. 14,18 (ed. B. N. 54-57).

de Melchisedech, non est ita sicut ipse eam allegavit, sed est sub forma sequenti:

«Melchisedech, iste locus iustificabat suos habitantes. Probatum: Melchisedech, quod idem est quod rex iusticie; Adonisedech, quod idem est quod dominus iusticie; Ierusalem vocatur iusticia quia sic est scriptum: «iusticia manebit in ea rex Salem». Rabi Isach de Babilonia dicebat quod natus est circumcisis panis et vinum. Rabi Samuel dicit: regulas sacerdoti edocuit; panis iste est panis propositionis, et vinum istud est temperamenta vini. Magistri dicunt: lex sibi revelavit, nam sic scriptum est: «venite, comedite de pane» (23).

Et iuxta hoc intencio huius doctoris in verbis istis panis et vinum, que in textu dicitur, non est nisi propter sacrificia panis et vini que fiebant continue in sanctuario, et sic non probatur ex hoc eius intencio.

Dictus autem magister Ieronimus ad hec respondens ait:

Valde miror de vobis, qui reputamini pro notabilioribus et rabinis maioribus qui sint in universo, et tam debili ter inceditis super causis quas vobis superius in sacrificiis allegavi. Nam hebraicis scripturis diligenter perscrutatis, reperi quod omnes oppiniones, quas antiqui et moderni vestri habent in causis sacrificiorum, sunt tres per me vobis superius recitate. Et ego necessario conclusi quod ex quacumque illarum causarum sequitur quod tempore Messie nullum erit sacrificium, quia tunc cessant omnes ille cause. Et vos nichil respondistis articulater super eodem; nisi dumtaxat quod locuti estis in causa 2<sup>a</sup>, verba nullum fructum germinancia, nec contra vos, nec contra me posita, sententiam nichilominus proferentes quod oppinio secunda est magis catholica apud vos, et magis autentica; non tamen reperitur per aliquam scripturam quod aliquis magistrorum vestrorum fecerit hoc examen in prefatis oppinionibus nisi tantum vos modo. Scire autem vellem unde vobis est tanta auctoritas oppiniones rabi Abrahe Abenhazra et rabi Moysi de Egipto reprobandi, et eas, ut non catholicas, censendi; quequidem sunt in maiori auctoritate quam inter iudeos a quingentis annis citra fuerunt.

Preterea, dicitis de me quod loquens de 2<sup>a</sup> causa dixerim quod tempore Messie non erunt nisi bona spiritualia, cum ego numquam dixerim similia. Sed verba mea ad literam hoc habent:

Iuxta 2<sup>am</sup> causam, ad idem, non habent locum tempore illo, quoniam principaliora bona aut mala que Deus retribuet propter merita

unius cuiuscumque, sunt animabus, non autem corporibus, ut supra probavimus in 4<sup>a</sup> interrogacione. Sacrificium igitur quod erat pro corporis restauracione seu liberacione cessare debebat.

Huc usque titulus illius quod dixi, non autem secundum quod vos imponitis. Unde ex tota v<sup>est</sup>ra locucionem nichil omnino concluditur in favorem vestrum, nec ad rationes vel probaciones quas induxi aliquid respondistis.

Item dicitis super illa auctoritate, quam de rabi Pinhac, alias Finees, vobis allegavi (24), ubi inquit quod tempore Messie omnes oraciones cessabunt et anihilabuntur, laus tamen numquam cessabit; et omnia sacrificia vacabunt, confessio tamen numquam vacabit seu cessabit. Dicitis namque quod intencio huius doctoris, etc., facientes glosam tam preclare auctoritati. Quequidem glosa in nullo adheret verbis doctoris, nec fit mencio parva vel magna in auctoritate de aliquo quod vos dicitis seu ponitis; et pre verecundia, videntes quod illud quod dicitis non habet locum, nec roboris aliquam firmitatem, adinvestigatis aliam glosam minoris valoris quam sit prima, dicentes: Item possumus dicere, etc. Deinde vultis arguere contra illud quod faciunt christiani. Et totum hoc vanum et nichil est. Et primo, quero a vobis quid glosare potestis vel dicere in tam verbis claris sicut iste doctor posuit, dicens: «Tempore Messie sacrificia omnia erunt annullata, nisi tantum confessio.»

Et dicitis quod non fient peccata, nam gentes erunt servicio divino obediens et vacantes. Si hoc est, confessio non erit necessaria, quia qui non peccat, non indiget confiteri.

Ad id vero, quod arguitis, hoc non posse dici de tempore moderno, quoniam pro bonis temporalibus sunt oraciones, verum dicitis quod casu aliquo necessitatis, ut puta famis, pestilencie vel guerre, ad Deum cum oracionibus merito recurrimus; principaliores tamen oraciones Ecclesie et communiore non sunt aliud quam laudes Dei, ad illius oppositum quod prisco tempore seu olim fieri erat consuetum. Quia omnes oraciones que in templo erant solite fieri in Ierusalem erant solum propter temporalia; alias attendite ad illam magis sanctam oracionem quam per totum annum dicere deputatis, quam quidem summus sacerdos, cum sancta sanctorum die indulgenciarum introibat, ex consuetudine faciebat, quia tota illa oracio erat rogare pro abundantia et fertilitate et prosperitate bonorum temporalium.

Ad illud autem quod dicitis, quod declaraverim *corban*, *toda* propter confessionem, dico quod hoc non est verum, cum non sit in

(24) *Midrash Tehilim*, in ps. 56,13. Cf. *Pugio*, 814.

auctoritate *corban, toda*, sed solum *hodaa* quod idem est quod *laus*, et *toda*, quod idem est quod confessio.

Præterea dicitis super auctoritate prophete Malachie (25) quod Malachias solum loquebatur cum sacerdotibus, etc.

Verum quidem dicitis ipsum cum sacerdotibus loqui, seu esse locutum, nam ipsi erant in sacrificiis principales. Et dicta locutio erat duo: unum, scilicet, de immundicia eos reprehendere quam ferebant in sacrificiis: 2<sup>um</sup>. vero, prenosticari eis seu prenunciare sacrificium tam sanctum tamque mundum tempore Messie fiendum, proferens in hec verba: «Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus», etc. (26). Istud autem non potest de eo intelligi quod de samaritanis dicitis, cum iam textus dicat de eis quod solum docuerunt eos timere Deum, sed ydolis eorum immolabant; nec potest intelligi de Nabuchodonosor, nec de Dario, cum illi essent publice ydolatre, sed tantum propter miracula que videbant Deum nostrum confitebantur, et concedebant magnam habere potestatem, sed non quod propter illud 'ydolatre' [E. ydolatrare] cessarent. Unde videtur esse intelligendum de tempore Messie. Et quod hoc sit verum patet; reperitur namque in fine prophæcie huius, postquam sacerdotes correxerit, inquit: «Ecce ego mittam angelum meum», etc. (27). Unde patet quod principalis intentio prophæcie erat prenunciare quod fieri deberet tempore Messie, et non de illo quod vos ponitis.

Item dicitis super illo textu Psalmiste: «Erit placentula tritici in terra in summis moncium» (28), quod ille textus vult dicere quod tempore Messie erit tam magna fertilitas seu copia tritici, etc., facientes enim super hoc textu seu texentes glosam capitosam, quam nullus vestrorum ponit rabinorum, allegantes aliam de nomine rabi Abrae Abenhazra; et hoc totum ut causam habeatis a veritate subterfugendi, nam nulla istarum glosarum consona est cum textu. Textus namque cum inquit: «Erit placentula tritici», etc. (29), revertitur ad personam Messie, quoniam sic subsequitur totus psalmus, actus seu perfectiones eius recitando. Et hoc patet clare per Targum, licet illud vos negetis. Reperietis etenim sic ad literam, si optime et diligenter inspexeritis, ubi dicitur: «Erit sacrificium panis in terra»: et vult dicere quod Messias met fiet sacrificium panis in terra in capite sacerdotum. Et id quod est hodie, et a mille quadringentis annis citra fuit, recte prophetavit.

(25) Mal. 1,7-11.

(26) Mal. 1,11.

(27) Mal. 3,11.

(28) Salm. 71,16.

(29) Salm. 71,16.

Deinde ad id de Melchisedech (30) respondetis quod auctoritas non est sic, quemadmodum vobis allegaverim, etc.

Dico quod esto quod eam mutetis ad votum, si tamen concesseritis, prout confessi iam estis, quod rabi Samuel dixerit quod Melchisedech, cum panem et vinum Abrahe obtulerit seu obtulit, docuit sibi actus sacerdotii, cum hoc de necessario sequetur mea conclusio. Nam si illi actus sacerdotii de sacrificiis templi intelligebantur, melius fuisset illi quod obtulisset ei de animalibus illis que consueverant immolari in templo, quam panem atque vinum. Principale namque sacrificii erant animalia, non autem panis propositio et vinum. Cum dicitur ergo quod ipse obtulerit sibi panem et vinum, et declarat doctor quod cum illo docuit sibi actus sacerdotii, necessario sequitur quod loquebatur de sacrificio principali quod hodie fit, quod quidem est panis et vinum, omnibus aliis sacrificiis non immerito resecatis.

Super 10<sup>a</sup> vero interrogacione, que est scilicet, an veteris legis ceremonialia, etc., post eius adventum essent continuanda, ad quam respondit iudeus credere quod, post eius adventum Messie, adhuc continuabuntur, dictus magister Ieronimus replicans contra hoc sic alloquitur:

Ad illud vero statim quod in rebus prohibitis tangit, dicitur in Bereshit Rabba de rabi Moyse Haddarsan, etc. (31).

Iudeus respondet se non reperire hanc prenominatam auctoritatem, nec prestat ei fidem, et ideo non sibi expedit eidem respondere.

Item illud [E. + verbum] in quo dicitur: *lamancia semo hazir*, etc. (32), quia vocatur nomen eius *hazir*, nam Deus debet restituere eum ad Israel. Ignoramus verbum tale, nec credimus ei.

Ad id autem quod credit probare de licencia pecudum seu piscium, per illud animal quod dicitur behemoth et piscem illum leviatan appellatum, Respondet iudeus hoc debere intelligi figurative, quoniam de behemoth inquit quod uno die mille depascitur montes, et de leviatan, in libro de Batra, talia et tam miranda ponuntur quod videtur ad literam nulla veritate nitere, ymo oportet quod aliquam figuram habeant. Et dato quod intelligantur ad literam seu ystorice, non ex eo dictus magister Ieronimus aliquid probat, nam clare patet in Talmud quod animal illud behemoth, et piscis ille leviatan, non sit de prohibitis in lege mosayca.

(30) *Bereshit Rabbá* de Moshé ha-Darshán, par. 43, in Gen. 14,18 (ed. B. N. 54-57).

(31) *Bereshit Rabbá* de Moshé ha-Darshán, par. 89, in Gen. 41,1 (ed. B. N. 90-91).

(32) *Vayiqrá Rabbá*, 13,5.



Item dictus magister Ieronimus retulit quoddam argumentum, quod iudeus potest facere; et ad illud respondet, sic inquit: Respon- sio ad satisfaciendum dicte conclusioni seu argumento, valde est mani- festa, etc., inquit subsequenter: per os angelicum reperietis quam- dam auctoritatem...

Respondet iudeus quod ex prefata auctoritate non sequitur nisi quod angelus tamquam missus et Dei minister, ex parte eius aliqua revocavit particularia precepta que Deus statuerat, que non sunt de lege; sed preceptum legis, quodcumque illud sit, minime potest revo- cari, nisi per unam horam, ut inferius declarabimus, nam lex divina est perfecta et perpetua.

Item, ulterius dixit magister Ieronimus: Et adhuc per os proph- eticum, etc.

Iudeus respondet quod angelus, nec propheta, non potest aliquid legis revocare, sed tempore necessitatis potest dispensare; et hoc inquit nostri rabini licencia ad unam horam, non autem ad in perpetuum (33). Et in tali casu credere possumus prophete qui est appro- batus in revocando aliquid de lege, excepto in casu ydolatrie, ubi non debet ei credi, nec adhuc ad horam unam, quantumcumque fece- rit miraculum. Hoc autem patet clare in textu capituli hellu hen hane 'henaquin' [E. hanequin]. Propter quod solucio quam prefatus ma- gister Ieronimus facit ad iudei argumentum non habet locum.

Item inquit prefatus magister Ieronimus. Et nedum hoc, sed adhuc reperitur quod prophete antiqui aliquociens diminuerunt, etc.

Iudeus respondet quod intencio illius auctoritatis, quam allegat pre- fatus magister Ieronimus, non est quod prophete illi precepta legis re- vocando diminuisent, nec ea annullando; nam omnes ipsi ea observa- runt, quemadmodum et nos hodie, nam in diversis locis propheciarum patet quod dicti prophete festum panis azimi celebrabant, et tabernacu- lorum et alias cerimonias. Et adhuc hodie, iuxta oppinionem christia- norum, non potest dici quod omnia precepta legis veteris sint revocata, nisi unum tantum, nam decem precepta christianus dicit fore observa- da. Sed intencio est auctoritatis, quod isti prophete genera, in quibus omnia precepta legis continentur, investigabant: et David posuit ea in 11, Isaias autem in 6, Micheas vero in tribus, et deinde Isaias ite- rum in duobus, deinde Abacuch in uno. Et hoc est simile illi quod fecit Philosophus inquit omnia mundana fore in decem generibus comprehensa, que sunt decem predicamenta; et aliqui ea ponebant in duobus predicamentis, scilicet substancia et accidente; quibusdam vero asserentibus omnia esse sub uno genere comprehensa, scilicet sub ente.

Inquit etiam prefatus magister Ieronimus: Hoc reperietis in quadam notabili auctoritate, que est in l'bro Meheita (34).

Iudeus respondet quod hec auctoritas non reperitur in Mehelta sed in Ellesemoth Rabba, et in Cifre; et dicitur in fine eiusdem: «Qualiter peregrini intrabunt in templum, si Israel minime intrabant, nisi essent Sanhedrin legem docentes?» Et sunt quidam dicentes quod eorum filii cum sacerdotibus contraherent, taliter quod eorum nepotes super altare ymolarent. Sic patet quod intencio sua non est quod ipsimet peregrini essent sacerdotes, sed quod sacerdotes possent ducere [E. + et] recipere de filiabus eorundem in uxores, taliter quod nepotes peregrinorum haberent sacerdocium.

Prefatus vero magister Ieronimus, ad dubia per iudeos contra dictam decimam interrogacionem posita atque mota respondens, inquit:

Ego enim quamdam notabilem auctoritatem (35), et valde claram, si bene recolo, superius allegavi, que ad literam inquit qualiter Deus tempore Messie omnia cibaria in lege mosayca prohibita esset licentiaturus. Vos quidem eam ita claram attendentes, quod nullam glosam extraneam paciatur, dicitis quod eam in vestris codicibus minime reperitis; ducti tamen timore ne eam ego ipse investigarem, et ad oculum, ut consuevi, publice demonstrarem, dixistis quod nulla ei fidem adhibebatis vel prestabatis.

Item allegavi vobis verbum in quo dicitur: «Propter quid porcus vocetur hazir? quia Deus eum debet restituere ad Israel» (36). Et respondetis quod tale verbum omnino ignoratis, nec adhuc ei creditis. Mirandum est de vobis cum hoc verbum sit ita commune quod nullus sit vestrum qui illud ignoret, obligetis tamen vos quod, si infra tempus 8 dierum me contingerit illud in libris Talmud invenire, et illud ad literam vobis docuerim seu in publico ostenderim, quod habeamini ut confessi et omnino convicti; et ego eam investigare conabor. Sed pre timore huiusmodi, aliam cautelam recipientes, dicitis quod ei non creditis.

Si vero dicitis quod non datis fidem verbis Talmudi vestri, merito possumus nos ac debemus illud accusare.

Dicitis adhuc in alia auctoritate: Iudeus respondet hoc debere intelligi figurative, etc. Dico quod ego sic declaravi, quod illud behemoth dicitur modo figurativo pro omnibus bestiis, et leviatan pro

(34) *Shemot Rabbá*, 12,43. Cf. *Pugio*, 459-460.

(35) *Bēreshit Rabbá* de ha-Darshán, par. 89, in Gen. 41,1 (ed. B. N. 90-91).

(36) *Vayiqrá Rabbá*, 13,5.

omnibus piscibus. Et quod dicitis: «probatum in Talmud quod hec non sint de prohibitis in lege», scire vellem a vobis qui fuerint rabini qui eorum signa attenderent vel investigarent, ut scirent an eis uti debuerint, vel ea debuissent manducare an non. Nam certum est quod hec sint animalia que numquam homines ea viderunt. Sed non immerito hec dicitis, quia hec est una de blasfemiis talmudicis.

Item contra satisfacciones quas argumento vestro feci, vel quod fieri poterat per iudeum, respondistis dicentes: Iudeus respondet quod ex auctoritate non sequitur nisi quod angelus, tamquam nuncius seu missus, etc. Item dicitis: Respondet iudeus quod nec angelus, nec propheta non potest revocare aliquid ex lege, etc.

Valde miror, unde vos hanc habetis distincionem, quod in re tali Deus aut angelus aut propheta possit revocare, et in tali minime, postquam reperitis quedam certa que fuerunt constituta et expresse mandata tempore uno per eum, ut ipsemet ea revocaret in tempore alio. Habetis enim quod primogeniti totius Israel per eum sanctificati fuerunt et ad officium sacerdotale constituti; quod duravit per annum; et deinceps illud revocavit, levitas constituens. Et deinde doctor rabi Iohanan, qui fuit compiler Talmudis, sic vobis inquit: «In omni quod tibi propheta dicit quod pretereas legem, debes facere, excepto in ydolatria» (37). Ibi namque non declarat vobis doctor ille, an illa pretericio legis sit unus tantum hore aut in perpetuum.

Et ad id quod dicitis de prophetis, quod fuerunt paulatim vel successive seu sigilatim diminuentes precepta legis, etc. Dico quod illi prophete loquebantur et prenunciabant respectu temporis Messie, scientes quod lex Scripture debebat consumi, et lex quidem gracie inconcusse observari; et quilibet eorum volebat comprehendere omnia precepta moralia, que tempore Messie, sub brevi numero, erant observanda; usquequo ultimus, qui fuit Abachuc, dixit totam legem gracie solum in fide consistere, etc. Et secundum hoc non sequitur quod eorum tempore ipsimet non servassent optime cerimonias legis mosayce, cum adhuc durasset tempus eius; nec minus sequitur quod modo, tempore Messie, in quo sumus pro presenti, decem precepta legis et omnia ipsius legis moralia non debeant observari, nam omnia clauduntur intra genera illa per dictos prophetas posita.

Item allegavi vobis quamdam auctoritatem nobilissimam, que est in Mehelta (38); ex qua manifeste patet quod tempore Messie, de hiis qui venient ad eius fidem creabit Deus sacerdotes ad eius servicium, sicut est hodie in sancta Ecclesia; quam quidem auctoritatem vos falsificatis ut ad vestrum propositum citius venire valeatis; et rei veritas

(37) Sanh. 90 a.

(38) *Shemot Rabbá*, 12,43.

est, si bene et diligenter attenditis, quod auctoritas est sic posita, ut vobis allegavi eandem.

Unde mea conclusio est vera et valde bene probata, scilicet quod cerimonialia more legis, tempore Messie erunt mutanda.

Ad undecimam vero interrogacionem, scilicet: que est causa vestre tam longe diurneque captivitatis, respondet iudeus se credere fore peccata, et dictus magister Ieronimus replicans contra illud sub hiis verbis inquit:

Nunc vero, cum dicitis in responsione vestram captivitatem ex peccatis provenire et provenisse, scilicet, propter illa peccata superius declarata, etc.

Iudeus respondet: Et quamvis dare seu rationes reddere hiis similibus sit valde difficile, ymo quasi homini impossibile, nam sunt divina secreta et valde profunda, sicut questio illa, quare iustus tribulatur, malus vero prosperatur; cum toto tamen hoc, dicit iudeus quod doctores sui loquuntur de hac materia persuasive et imaginative, seu arbitrarie, et sic sunt de diversis oppinionibus, quibusdam namque intelligentibus quod peccata in templo primo facta seu perpetrata fuerunt ita magna et turpia quod illa fuissent merito causa captivitatis et destructionis templi atque omnium tribulacionum que inde secute sunt, et postquam traditi erant captivitati minime conveniebat a captivitate redimi, nisi propter merita illorum qui erant in eadem detenti; que quidem non facimus, 'ymo' [E. ideo] cotidie peccamus quia non sustinendo patienter labores quibus nos Deus iuste punit; quibusdam vero credentibus seu intelligentibus causam huiusmodi captivitatis fore seu fuisse peccata templi secundi, et istud est odium gratis quod fuit inter nos, et quia adhuc idem continuamus, scilicet, quia habemus nobis invicem odium, durare dicitur prefata captivitas.

Item inquit prefatus magister Ieronimus: Primo, quoniam per diversas auctoritates, etc.

Respondet iudeus quod propter dicere quod super eos venisset tota maledicchio, non sequitur quod habuissent totum seu tantum malum sicuti in lege dicitur; sed in lege non dicitur quantum mala essent duratura, cum hoc sit secundum gravitatem peccati; et propheta Daniel hanc faciebat oracionem credens captivitatem toto tempore duraturam quod Deus eis dixerat duraturum, non quia peccata fuissent ex toto purgata; ymo captivitas erat plus duratura nisi propter gratiam Dei et propter merita illorum sanctorum hominum qui tunc erant, et propter eorum oraciones.

Item, ad id quod inquit prefatus magister Ieronimus de libro Paralipomenon, capitulo ultimo, etc. (39)

Respondet iudeus quod non dicit quod omnia peccata sint purgata, sed solum peccatum de semittot, ut patet per textum, ubi dicitur quod solum purgatur peccatum de semittot. Ex quo non fecit mencionem de aliis peccatis, scilicet, ydolatria, luxuria, homicidio, que erant fortissima, videtur ipsa non fuisse purgata. Et quod dicit quod, postquam Ieremias, capitulo 29 (40), promittebat eis magnum bonum, sequitur quod purgacio peccatorum preterierat, loquendo cum eius honore, non sequitur, nam hoc erat per gratiam, sicut diximus.

Item, ait prefatus magister Ieronimus: Reperimus quod Moyses in decem preceptis, etc.

Respondet iudeus quod peccatum quod dicitur Deum visitare super filios, non est nisi in singularibus solum; nam cum aliquis singularis peccat, propter illud peccatum filii eius puniuntur ad terciam et quartam generacionem; sed pro peccato quod universitas committit, eius condempnacio debet esse generalis ipsi universitati, et illa non habet tempus limitatum de tercia nec quarta generacione, ymo est ordinatum iuxta Dei voluntatem quod illa punicio tantum duret quantum Deo placuerit, quia tempus quo durat universitas est sicut vita unius singularis. Et ideo punicio spiritualis peccati Ade, secundum oppinionem christianorum, duravit circa quatuor mille annos, et secundum oppinionem christianorum et iudeorum, adhuc durat corporalis; secundum autem regulam Moysi non nisi usque ad quatuor generaciones erat duratura. Sed ideo tantum duravit, quia Adam universitatem non immerito representabat.

Inquit adhuc dictus magister Ieronimus quod si sic non esset, veniret Deus contra illud quod dixerat per manum Ezechielis, etc.

Respondet iudeus quod videtur magister Ieronimum hoc dixisse quia textus ille ubi dicitur: «filius non portabit iniquitatem patris» (41), Ezechielis capitulo 18, et illud intelligitur in hiis qui non perseverant in operibus patris; nos quidem in operibus patrum nostrorum sumus adhuc perseverantes, quantum ad id quod tangit odium gratis, quod inter nos, proth dolor! vicisim vertitur. Et intelligitur ad idem in peccato singularium, non in peccato universitatis.

Item inquit magister Ieronimus: Si propter peccatum non contentum in lege, etc., volens concludere quod postquam est propter peccatum in lege non contentum, quod sit propter contemptum seu inobedienciam quam contra Chistum Iesum habuerunt.

(39) 2 Paral., 36,20.21.

(40) Ier. 29,10.

(41) Ez. 18,20.

Respondet iudeus quod si illud est peccatum in lege non contentum, non debet dari pro illo aliqua punicio, neque peccatum est nuncupandum, nam omnia peccata in lege sunt expressa

Item, inquit adhuc prefatus magister Ieronimus: Et tale peccatum, quod habet dictas proprietates, non potest esse aliud quam contemptus vel inobediencia, etc., et illo durante est impossibile, etc.

Iudeus respondet quod causa captivitatis non potest esse illa quam magister Ieronimus allegat, nam iudei possunt converti ad sectam turcorum, in patria Turquie, aut ad aliam sectam alterius nationis, que nullam noticiam habet de Iesu Christo, et perseverant in contemptu seu inobediencia eius, et sic exiunt de captivitate.

Item, inquit dictus magister Ieronimus: Et ad hoc est quedam valde notabilis auctoritas in Talmud, etc.

Respondet iudeus quod intencio auctoritatis est hec: Quod illi de primo templo commiserunt peccata manifesta et publica, ut sunt ydolatria, luxuria et homicidia, et ideo fuit cura eorum levis, maxime quia fuerunt boni medici, scilicet prophete. Sed ultimi peccarunt in peccatis intrinsecis et occultis, que in mente erant, sicut invidia et odium gratis invicem. Idcirco non fuerunt levi cura ad curandum, maxime quia non fuerunt ibidem tales medici, sicut fuerunt in prima captivitate. Item, ex quo dicit, «non fuit revelatus eius finis», patet hanc captivitatem finem esse habituram, nisi quia ille est occultus. Et secundum quod inquit prefatus magister Ieronimus, non habuit finem, nec habebit. Item finis est converti ad fidem christianam, secundum quod inquit dictus magister Ieronimus. Satis igitur est manifestus iste finis.

Item, dicit prefatus magister Ieronimus: Ad hoc verificandum et probandum sunt quamplures prophete et auctoritates, etc. Accedamus igitur incontinenti ad Amos prophetam, etc.

Respondet iudeus quod Amos fuerit tempore regum Israelis, et ista propheta quam allegavit est super Israel, non super Iudam; et non possumus dicere quod hic sumatur Israel pro Iuda, nam ante hoc dicitur: «Super tribus sceleribus Iude» (42), dicendo prophetiam ipsi Iude; et secundum declarationem magistri Ieronimi dicentis hoc dictum fuisse de Christo Iesu, Iude debebat applicari seu attribui peccatum, non ad Israel, quoniam ad Ierusalem in templum secundum non ascenderunt nisi de tribu Iuda, non quidem de decem tribubus, ut patet in libro Esdre, Et explicio huiusmodi prophete, secundum glossatores hebraycos, non est super Ioseph, sicut inquit magister Ieronimus; ymo inquit castigando populum Israel quia erant tam iniqui quod vendebant iusticiam illius qui erat iustus in iure suo pro pecunia, et valde modica re, scilicet, precio unius paris sotularium. Et videtur hanc

(42) Am. 2,6.

glosam fore veram, nam iste idem propheta, capitulo VIII<sup>o</sup> dicit: «Audite qui conteritis seu degiutitis pauperem», etc. (43), et sequitur: «augendo siclum, et imminuendo mensuram, et supponendo stateras dolosas, et emendo cum argento egenos, et pauperes cum calciamentis», etc. (44).

Item, inquit magister Ieronimus: Reperitur quod propheta Zacharias prenunciavit, etc.

Respondet iudeus hanc propheciam non posse intelligi sicut dictus magister Ieronimus sumit eam: Ymo videtur quod loquatur super quadam guerra contra Ierusalem fienda, ut patet in textu dicte prophecie, ubi dicitur, capitulo XII: «Quare Ierusalem lapidem oneris appellat cunctorum populorum, et adhibebunt ei omnes populi terre» (45), et dicitur ulterius: «In die illa faciam omnem equum cum turbacione vel stupore», etc. (46), et in dicta ultima prosperabitur Israel et Ierusalem, ut inquit textus: «Et collocabitur Ierusalem loco suo», etc. (47). Et subsequitur: «In die illa proteget Dominus habitorem Ierusalem» (48). Et hoc non potest intelligi de tempore Iesu Christi, nam tempore suo non fuit prosperata Ierusalem, ymo fuit destructa. Et quod ulterius dicitur: «Et effundam super domum David et super habitantem in Ierusalem spiritum gracie» (49), vult dicere quod dabit eis talem spiritum gracie quod preces eius erunt Deo acceptabiles. Deinde dicit quod tantum erit bonum quod habebunt, quod si fortassis esset casus quod venientes ad bellandum seu ad conflictum contra Ierusalem lancearent unum hominem, seu cum asta percuterent seu occiderent, mirabuntur tantum convertendo faciem ad Deum, et ei se conquerendo quare hoc Deus permiserat, simile Iosue VII<sup>o</sup> capitulo, quando illi de Hay occiderunt 36 homines de Israel (50): «Mi Domine, quid dicam postquam vertit Israel hostibus suis faciem et tergum» (51); et hoc est quod dicit: «Et respicient me quem lanceaverunt; et plorabunt eum quemadmodum super unigenitum» (52), quasi dicat quod plangent eum quemadmodum plorat pater super mortem filii sui unius primogeniti. Et rabini nostri dicunt quod huiusmodi homo singularis qui lanceabitur erit Messias, filius Ioseph, qui venturus est paulo antequam Messias, filius David. Et aliqui doctorum talmudistarum di-

(43) Am. 8,4.

(44) Am. 8,5.6.

(45) Zach. 12,3.

(46) Zach. 12,4.

(47) Zach. 12,6.

(48) Zach. 12,8.

(49) Zach. 12,10.

(50) Ios. 7,5.

(51) Ios. 7,8.

(52) Zach. 12,10.

cunt quod istud quod dicitur: «Et respicient me pro illo quem lanceaverunt», quod dicitur yezer 'hana' [E. harra], id est, mala cogitatio fracta in tempore illo. Et plorabunt iusti et peccatores per modum quem inquit rabi Iuda, filius rabi Hella, ut supra dictus magister Ieronimus allegavit.

Item, inquit prefatus magister Ieronimus quod ad hanc probandam conclusionem quamdam habeamus auctoritatem rabi Moysi, etc.

Respondet iudeus quod intencio rabi Moysi est hec: Quod propter dissensionem que fuit tunc temporis in Israel, quia aliqui Christum sequebantur, aliqui vero non, plura scandala sunt secuta, et adhuc post eius mortem prosequentes eius partem seu sequelam vacarunt in dampnificationem Israel.

Adhuc inquit prefatus iudeus quod, licet dixerit eius opinionem per viam persuasivam in causis captivitatis, credit tamen quod hec est causa in qua nullus potest loqui certitudinaliter; ymo est quid secretum et occultum. Difficile namque est humano intellectui proporcionare punicionem seu penam cum culpa, quia in materia ista videt quis plurima extranea, ut videmus egipciacam captivitatem quadringentis durasse annis huiusmodi causam ignorantes. Et esto quod causa esset propter vendicionem Ioseph, ut inquit prefatus magister Ieronimus, satis est minima causa ad tam excedentem penam respectu peccatorum perpetratorum in primo templo, que erant tam magna et tam forcia, et dicit christianus fuisse purgata infra annos septuaginta. Et adhuc inquit christianus punicionem et captivitatem animarum in inferno fuisse propter peccatum Ade, que duravit circiter quatuor mille annos, et non potest assignari causa cur non amplius nec minus duraverit. Volensque nobis ostendere quantum 'sicut' [E. sint] secreta et nobis hec occulta, inquit Dav'd, psalmo 36: «Iudicia tua abissus multa» (53), ut aliis supra allegaverimus in responsionibus.

Prefatus vero magister Ieronimus contra responsionem iudeorum replicans sic affatur:

Ad idem autem quod dicitis: Respondet iudeus: Et si bene rationem dare seu reddere hiis similibus sit valde difficile, etc. Vos tamen in hac responsione piscamini causas captivitatis nonnullas, si quidem ex vestra ymaginatione assignantes, non quod aliquis liber mundi loquatur de eisdem, nec aliquo modo possint locum habere, et veram causam, scilicet, mortem Messie in propheciiis et in auctoritatibus rabinorum vestrorum expressam, abnegantes. Sed si diligenter vultis attendere



ad prehabitam replicacionem, omnes iste vestre oppiniones sunt efficaciter revocate.

Item dicitis: Respondet iudeus quod propter dicere quod evenerat super nos tota maledicció (54), non sequitur quod totam penam habuissent quam merebantur, etc.

Dico quod sequitur: quia si Dominus ponit certas penas, scilicet, qui fecerit maleficium tale solvat 40 solidos et 60 diebus maneat in vinculis, et aliquis homo illud committit maleficium, et cogitur illam pecuniam carceribus mancipari, nemini dubium quod ille peccator suum purgaverit delictum, et ex tunc liber erit. Et per consequens, si Deus posuit maledicciones legis pro penam infrangentibus ea, et populus infringerit, et ideo supervenerunt eis omnes maledicciones prefate, ut posuit Daniel, ex necessitate sequitur peccatum esse sufficienter purgatum. Et hoc est manifestum.

Dicitis super textu Paralipomenon (55) quod non dicit omnia peccata fuisse purgata, etc.

Dico quod ibidem de multis et pluribus purgacionibus textus facit mencionem, tam de templi combustione, quam de destructione Ierusalem, quam de occisione hominum gladio; et unum de malis fuit terram fuisse septuaginta annis desolatam, quod quidem malum assignavit quia terra quiesceret et suas ebdomades celebraret, non quia non essent vel haberet alia mala maiora seu graviora illo. Unde glosa vestra est nulla.

Preterea dicitis quod peccatum quod dicitur seu ponitur in decem preceptis legis ubi dicitur: Deus visitat peccata patrum super filios, etc. (56).

Dico quod ignoro penitus hanc glosam et distincionem, et locum unde habuistis eas, nam verba Moysis sunt generalia, et ita intelliguntur tam de peccato universitatis quam singularis. Unde verba vestra nullum penitus habent fundamentum.

Item dicitis: Respondet iudeus quod aparet hoc magistrum Ieronimum dixisse, etc., et nos perseveramus adhuc in peccatis patrum nostrorum.

Dico autem vobis quod profitemini veritatem, quod estis in peccatis vestrorum antecessorum, continuantes, scilicet, in illo quod est odium gratis et inobediencia quam contra verum Messiam commiserunt, qua si quidem durante, numquam amodo in gratiam Dei, nec partem habebitis in Messie salvacione.

Dicitis adhuc quod si illud est peccatum in lege non contentum, non debet peccatum appellari.

(54) Dan. 9,11.

(55) 2 Paral. 36,20.21.

(56) Ex. 20,5.

Dico quod est peccatum in lege contentum in genere, sed non in specie, et sic argumentum meum remanet verum.

Item dicitis: Respondet iudeus quod causa captivitatis non potest esse, etc., quia iudei possunt converti ad sectam turcorum, etc.

Dico quod ratio hec est nulla et vana, nam, secundum credenciam iudeorum, exitus seu redemptio huiusmodi captivitatis debet esse ad habendum salvacionem Messie, et illud quod pervertatur ad sectam turcorum seu sarracënorum non habet. Sed debet illud habere uno de duobus modis: aut propter adventum sui Messie, quem spectat, aut propter converti ad Messiam quem christianus catholice venisse profitetur. Sed eius Messias, ut superius probavimus, numquam amodo veniet. Ergo iudeus non potest exire seu redimi ab hac presenti captivitate, nisi fidem profiteantur orthodoxam.

Item dicitis: Respondet iudeus quod intencio auctoritatis est hec: Quod illi de primo templo manifesta peccata commiserint et publica, sic sicut ydolatrie, etc., et ideo cura istorum fuit levis, maxime cum habuerint bonos medicos, scilicet, prophetas, etc.

Dico hoc esse oppositum, nam peccata illa sunt in lege graviora, de quibus iniquunt doctores vestri quod prius deberet quis permittere se necari, quam ea committere. Punicio ergo eorum debet esse gravior quam aliorum criminum; et si facta seu perpetrata in publico, multo magis, nam vestrimet doctores dicunt quod unum leve peccatum in publico perpetratum est in graviori reputatione quam aliud grave occulte commissum, quia de primo sequitur exemplum nequam et pessimum omni populo, ex secundo vero non.

Illud vero quod dicitis, quod bonos habebant medicos. Dico quod parum prodest regimen medici, cum infirmus non sit obediens illi.

Id vero quod dicitis quod peccatum templi secundi erat odium gratis, verum est. Sed illud erat odium gratis contra Messiam, quod fuit principale peccatum.

Item dicitis: Vt detur quod habeat finem hec captivitas.

Dico quod verum est quod cuilibet singularium est finis quando-cumque verum profitentur Messiam, quamvis finis ille sit occultus et incertus, nam est in arbitrio et cuiuslibet voluntate, et quodcumque fuerit eidem divinitus inspiratum: quod quidem tempus scire est summe occultum. Unde sequitur hanc auctoritatem nimia veritate pollere, non tamen ut vos declaratis eandem.

Item ad id quod dicitis: Respondet iudeus quod Amos fuit tempore regum Israel, et hec prophecia quam ipse allegat (57) est super Israel, et non super Iuda, etc.

In hoc vero non bene attenditis, nam si diligenter vultis conside-

rare propheciam, et destruccionem Israel mente tenetis, et de Iuda qualiter subsecuta sunt, reperietis quidem quod per centum et tot annos fuit ante israeliticam destruccionem de decem tribubus, quam illa de Iuda. Qualiter igitur propheta fecerit oppositum, nam primo fecerat mencionem de sceleribus Iude quam de illis de Israel? Ex quo necessario cogimini dicere, quod cum fit aliqua mencio de sceleribus Iuda, tangitur destruccio primi templi; et deinde cum loquitur de sceleribus Israel, tangitur destruccio scundi templi et huiusmodi captivitas in qua nunc estis. Et attribuit illud ipsi Israel, et non Iude, nam in templo secundo omnes tribus Israel fuerunt congregati in terra, per oppositum illius quod allegatis de Esdra. Et hoc invenire potestis in libro Neemie, capitulo VII°: «Habitaverunt autem sacerdotes, etc., et omnis Israel in civitatibus suis» (58). Item capitulo VIII° dicitur: «Et venerat mensis septimus, et filii Israel erant in civitatibus suis» (59).

Item super prophecia Zacharie (60) dicitis: Respondet iudeus quod hec prophecia nequit intelligi sicut dictus magister Ieronimus recipit, etc.

Valde de vobis est mirandum, nam vultis super propheciam glosam facere que in aliquo non consonat textui, nec cum eo quod inquirunt vestri doctores. Quam enim racionem de vobis, aut quam excusacionem habere potestis super eo quod inquit Talmud, quod plactus iste seu fletus erat 'quod' [E. pro] Messia filio Ioseph quem occiderunt? (61). Aut vos quippe, michi habebitis assignare hominem aliquem qui has tres habuerit middoth, id est, proprietates, scilicet [E. + quod sit Messias, et quod sit filius Ioseph, et] quod sit interfectus seu occisus, aut oportet vos michi dicere quod hic fuerit Christus Iesus; nam in eo sunt [E. + et] fuerunt isti tres tituli vel proprietates. Et quid vos ultra dicitis non est nisi ad subterfugendum.

Item, ad auctoritatem rabi Moysi de Egipto dicitis: Respondet quod intencio sua fuit quod propter discordiam que tunc fuit in Israel, etc.

Dico hoc esse verum quod in Israel, tam in vita Christi, quam post eius passionem, magne fuerunt questiones, quibusdam asserentibus eum fuisse et esse Messiam, aliis vero hoc inficientibus. Certum enim est, quod de hiis duobus diversis opinionibus que tunc erant, una pars obtinebat principatum veritatis, alia pars principatum falsitatis. Secundum autem divinum iudicium et verum, opinionem veram tenentes vincere debebant, et triumphum habere, et nimia prosperitate gaudere, ad

(58) 2 Esdr. 7,73.

(59) 2 Esdr. 8,1.

(60) Zach. 12,10.12.

(61) Sukka, 51 b-52 a.

versarii vero eius devinci et submitti. Videmus namque qualiter in hoc sit processum, quia tenentes oppinionem, scilicet, quod ipse Christus Iesus verus esset, sicuti est, Messias, et indubitatus, sunt et fuerunt merito superexaltati, ac in bonis pluribus prosperati, cuiusmodi sunt christiani. Oppinio vero opposita fuit diminuta, prostrata, atque non sine causa dirruta, gladio tradita et captivitati, sicut vos iudei. Ex quo concluditur quod christiani partem veram tenuerunt et tenent, vos vero falsam; et quod Moyses dixit verum, quod mors Messie fuerit causa exponere Israel gladio et captivitati, et per diversas mundi partes dispersioni.

Item dicitis quod peccata in primo templo facta atque commissa fuerant tot et tam gravia, et quod, ut asserit christianus, infra septuaginta, etc., fuerint purgata.

Dico quod purgatio illorum peccatorum nedum fuit septuaginta annis in captivitate stare, verum etiam fuit destructio terre Iudae et civitatis Ierusalem et templi, et innumeras gentes gladio interimi, et subsequenter septuaginta annis in captivitate manere; cum his autem illa peccata fuerunt purgata. In ista autem captivitate ubi omnia hec crudelissima fuerunt secuta, et tam diuturna longa captivitas subsecuta, prout adhuc est pro presenti, non potest aliud quam supradictum assignari peccatum atque delictum.

Ad duodecimam vero et ultimam interrogacionem, in qua querebatur an illam eandem terram quam primo, cum ab egipciaca captivitate, et secundo, cum a babilonica fuerunt iudei liberati, possederunt, illam eandem sint tercio possesuri, aut non. Respondet iudeus quod illam et eandem terram possidebunt et amplius seu maiorem.

Et dictus magister Ieronimus contra 'illud' [E. istud] replicans quamdam auctoritatem de Sanhedrin (62), super textu ubi dicitur: «Et populus tuus omnes sunt iusti» (63), diffuse allegavit seu induxit. Item aliam que est in Beresith Rabba (64), super textu, ubi dixit Iacob: «Quam terribilis est locus iste» (65).

Dicit iudeus ad has supra, in secunda et tercia particula, se sufficienter respondisse.

Item ait 'magister Ieronimus dictus' [E. dictus magister Ieronimus]: Et precipue quoniam auctoritas prefata inquit ad literam quod non esset terrestris domus durabilis.

Respondet iudeus quod sic intelligit ipse, quod terrena non sit dura-

(62) Sanh. 98 a.

(63) Is. 60,21.

(64) *Beresith Rabba* de ha-Darshán, par. 68, in Gen. 28,17 (ed. B. N. 74-77).

(65) Gen. 28,17.

bilis, nam hodie est destructa, ut fuit alias iterum iam destructa; sed Ierusalem alta est perpetuo preparata volentibus eam acquirere.

Item inquit prefatus magister Ieronimus: Vultis auctoritatem vestrorum rabinorum, etc.?

Respondet iudeus hanc auctoritatem fuisse super quadam discordia que est inter rabi Iohanen et Areblaquis, an tempore quo sumus in captivitate, habitans in terra promissionis teneatur dare primiciam secundum legem, an non. Et rabi Iohanen inquit quod homo tenetur dare eam, probans hoc per textum, ubi dicitur Deuteronomio, capitulo 30: «Terram quam possederunt patres tui et possidebis eam» (66), et nominantur ibidem due possessiones, et dicit quod Iosue, in prima possessione sanctificavit solum terram ad tantum tempus quantum duratura esset in potestate israelitarum usque ad captivitatem babilonicam, et ideo dicit quod eam sanctificavit ad tunc temporis. Sed in possessione secunda, quam fecit Ezdras, qui eam sanctificavit [E. + ad] tunc [E. + et] ad tempus futurum; et ideo inquit: «possessionem terciam non habebitis in ea», vult dicere quod non habebunt possessionem cum tercia sanctificatione, quoniam secunda sufficit; et ideo tenentur habitantes in terra solvere primicias. Et hoc est clarum iuxta textum libri vocati Yevamoth.

Item inquit prefatus magister Ieronimus: Ex prefatis conclusionibus sequitur, etc.

Respondet iudeus quod secundum eius intencionem sufficienter probavit non esse veras conclusiones quas predictus magister Ieronimus posuit, nec condiciones quas Messie attribuit non esse condiciones Messie. Verumptamen, esto quod essent, non intendit nec scit quemquam fuisse in quo ille condiciones concurrissent.

Item dicit iudeus fuisse aliqua contenta in cedula dicti magistri Ieronimi, ad que dictus iudeus non respondet, cum in cedulis eius preteritis sufficiens sit responsio ad ea.

Item inquit iudeus quod, de auctoritatibus in omnibus cedulis per magistrum Ieronimum allegatis, sunt quamplures quibus iudeus non obligetur fidem prestare. Nam doctores talmudiste, sermocionaliter loquentes, quamplures methaphoras dicebant que ad literam veritatem non possunt continere. Ipsi enim non intelligebant quod ad literam essent vere; et adhuc eas aliquibus textibus applicabant quorum textuum non erat aliquatenus talis intencio, nam dicentes illa sciebant quod non esset talis intencio textus, sed solum applicabant ibidem, sicut faciunt hodie sermocionatores vel predicatorum, qui applicant themati suo et ad verba Sacre Scripture aliquas raciones quas ipsi sciunt, non est tamen sensus textus illius; solum hoc facientes ad ornandum eorum sermones, et ad

(66) Deut. 30,5.

dandum maiorem auctoritatem aliquibus bonis doctrinis suis, taliter ut ad eas credendum populus animetur.

Item protestatur quod, propter altercationem quam fecit super eisdem, non intendit maiorem fidem prestare quam teneatur.

Et cum hoc dicit iudeus in cedula dicti magistri Ieronimi allegatis ac replicatis se sufficientissime respondisse, propter quod iudeus firmiter sue adheret credencie, ac responsionibus super duodecim prefatis interrogacionibus factis, et per eundem oblatis in eisdem.

Dictus vero magister Ieronimus, et si bene manifeste videat quod quidquid iudeus in ista duodecima et ultima interrogacione non sit aliud quam pertinaciter reperfidiare et resumere id quod per eundem magistrum Ieronimum satis fuerit supra sufficienter revocatum et annullatum, ad maiorem tamen satisfaccionem, contra illud quod inquit iudeus, sic ait:

Respondet iudeus auctoritatibus istis se sufficienter superius respondisse, etc.

Dico quod patet manifeste superius quod responsiones vestre non fuerint nisi auctoritates glosare cum glosis que nullatenus textibus sunt concordēs, ymo totaliter opposite, nisi occurratis ad falsificandum textus, suppiētes ea que non sunt, et tollentes ea que sunt, capitose dicentes: «hoc istud vult dicere, vel quasi dicat», rationis et alicuius autentice scripture fundamento carentes; omnibus hiis vobis in necessitate deficientibus, occurristis ad inficiendum seu negandum auctoritates librorum vestrorum et doctorum, dicentes quod eis non creditis seu fidem datis. Taliter quod locucio vestra magis perfidiosa quam rationabilis merito est censenda, ut hoc totum lacius diximus et diffuse. Et ad hec, cum videtis vos aquis et undis sumergi, barba iam vestra natante, nullum habentes suffragium seu refugium, postquam illa falsissima oppinio, scilicet, Messiam vestrum nondum venisse, legitime extitit revocata, sed creditis adhuc eum fore venturum, et Ierusalem materialem perpetuo duraturam, quam adhuc pertinaciter sustinetis, non obstante quod ad litteram vobis ostensum fuerit illam Ierusalem, que tempore Messie erit, fore perpetuo duraturam et celestem, aliam vero, que in terris est, non perpetuam sed materialem, occurritis autem ad dicendum quod illa eternitas non sit in ea, quia iam pluries fuerit destructa, et nunc est. Et videtur etiam quod adhuc perfidiose teneatis quod illud erit eternum tempore futuro; et auctoritas ubi dicitur quod non est eterna, vult dicere propter preteritum.

O iudei, scire optarem a vobis, quenam res fuerit in universo eterna, nisi Deus. Unde hanc eternitatem Ierusalem attributam ad tempus

Messie debet necessario intelligi cum iam Messias prius venisset. Adhuc talem eternitatem iuxta opinionem vestram, sicut et nunc asseritis, nullus potest habere nisi Ierusalem spiritualis. Unde spes vestra, cum eam spectetis spiritualem, est nulla.

Item super illa tam clara sententia, quam de vestro Talmud vobis allegavi, super possessione terre, maliciose investigatis alias sententias rabinorum, que date sunt super alio actu, dicentes quod hec sententia ad illud referatur.

Non sine causa non cesso admirari qualiter veñitis oculos gencium obtenebrare. Ita quidem auctoritas est in libro vocato Levamoth, et ibidem, iuxta eandem, tractatur de alia sententia, quam super sanctificatione terre allegatis; et ideo ibi potestis habere locum ad dicendum quod de illo loquamini. Sed quid facietis vel dicetis quod dicta sententia est in libro vocato Ceder Holam, per se distincta, et in verbis posita que nichil faciunt mencionem de glosa quam fabricatis? Cuius tenor talis est:

«Querit doctor: posset esse quod Israel haberet in terra possessionem terciam? Respondet: non. Probat: nam inquit textus Deuteronomii, capitulo 30: «Et inducet te Dominus Deus tuus ad terram quam possederunt patres tui, et possidebis eam» (67). Nominavit bis possessionem ad ostendendum quod possessio prima et secunda esset, sed possessio tertia non esset tempore futuro» (68).

Hoc autem est ita clarissimum quod super hoc ulterius loqui est superfluum.

Item, ad id quod dicitis: Respondet iudeus quod secundum eius intencionem satis sufficienter, etc.

Dico enim vobis quod non sit mirandum, si in principio harum informacionum negaveritis ea que occulariter erant 'manifesta' [E. manifestata], et que alias confessi fueratis, ut puta nativitatem Messie, etc., nam erant res que solum verbo dicebantur, cum nunc omnia que in scriptis rediguntur seu exhibentur vultis denuo, tamquam ad vomitum redeuntes (69), negare, et absque ulla ratione ad reperfidandum contra ea que sume clare ac manifeste in hac publica platea sunt vobis lucidissime probata, redire.

In hac autem responsione, quam modo agitis, tria puncta posuistis vanissima ac irrationabilia:

Primo namque dicitis quod mee conclusiones non sunt vere nec sufficienter probate.

Secundo: quod condiciones quas posui in Messia non sint condiciones Messie.

(67) Deut. 30,5.

(68) Cf. *Pugio*, 447-448.

(69) 2.<sup>a</sup> Petri, 2,22.

Tercio: quod, esto quod essent, quod non concurrerunt in Christo Iesu, Domino et salvatore nostro.

O iudei, qualiter voluistis oculos offuscare! Nostis, etenim, optime quod prima conclusio, quam vobis supra posuerim, fuit: Messiam diu est iam venisse. Quod quidem per diversas et plures probaverim auctoritates, tam propheticarum quam vestrorum met doctorum. Et respondistis ad illud contra me arguentes, et dubia moventes super meis allegacionibus, contra que vobis ad plenum repicui, et vobis siquidem denuo arguentibus seu triplicantibus, ego quatuplicavi, dubia a vobis expellendo et argumenta vestra solvendo. Finaliter tamen, postquam tempus non modicum ad deliberandum recepissetis, pro finali responsione dixistis, ut patet per scripturam manu vestra habitam, quod nichil ultra seu amplius super eisdem sciebatis respondere nec dicere. Unde sequebatur necessario quod vestra dubia et argumenta remanent absoluta et annullata, mee vero conclusiones vere ac approbate.

Hanc eandem practicam in condicionibus et titulis Messie, quod est punctum secundum per vos tactum; que quidem condiciones valde particulariter per illas duodecim, quas feci, interrogaciones declarate fuerunt; quibus respondistis, et ego responsiones vestras rationibus validis et Sacre Scripture et vestrorum rabinorum probacionibus legitimis confudi, ac eciam responsiones vestras annullavi, usquequo dixeritis quod ultra seu amplius quid dicere ignorabatis, ut totum hoc patet magis large sigillatim et per hunc processum publice conditum.

Hoc si quidem peracto, et sic conciuso, qua fronte potestis modo dicere quod creditis super hiis vos sufficienter respondisse, et contra me probavisse seu conclusisse? Manifeste namque patet hoc ex nullo alio quam ex duricie vel pertinacie vicio provenire seu resultare, et ex nimia inobediencia in rebus irrationabilibus quam habetis.

Postquam subsequenter videtis hoc vobis non modicum esse ridiculosum, et dictum vicium inobediencie et perfidie esse verecundosum, uni vos ramusculo valde delicato vel tenui impudenter applicatis, scilicet, ad ponendum in dubium et movendum an ille condiciones, quas in Messia debere esse probavi, in Iesu redemptore nostro fuissent, adeo quod in tercio puncto vestre responsionis nitimini dicere sub forma sequenti: Verumptamen, esto quod essent, nec credit nec scit usque adhuc hominem fuisse in quo ille condiciones concurrissent. Optime enim patet per processum prehabitu, et per verba nunc a vobis prolata, quod iam non habeatis pedes ad fugiendum, et quod vos oporteat confiteri omnes condiciones, quas posui, debere esse in Messia; et postquam succursum vel recursum alium non habetis, dicitis quod non creditis nec scitis quod fuerint usque modo in aliquo homine universi, quasi velitis inferre in Salvatore nostro Iesu Christo illas non fuisse et, per



consequens, Messiam non esse. O iudei, qualiter habetis imbibitum vel impressum in cordibus vestris illum pessimum vicium, scilicet odium gratis, quod vestri antecessores, scilicet pharisei, contra Messiam, qui fuit causa eorum [E. + confusionis] et vestre, prout adhuc est, viciose ac maliciose habuerunt.

Et ecce quam id quod loquimini sit absque ratione: nam dicitis quod esto quod essent in eo, et condiciones ille essent Messie, etc. Ergo si ponitis et conceditis illas quas posui esse condiciones Messie, certum est unam illarum esse quod venturus erat circa destructionem ultimi templi, et aliam quod erat passurus, moriturus, et crucifigendus, etc., ad complementum illarum viginti quatuor condicionum quas posui in tractatu quem Sanctissimus dominus noster Papa Benedictus XIIIus. per alias vestras transmisit, seu transmittere mandavit. Vos igitur cogimini michi dare aliquem in quo omnes isti tituli fuerint, seu condiciones, aut habebitis recipere in Messiam Machometum, aut Barchoziba, quem vester rabi Haquiba Messiam esse dicebat, aut illum de Theman, quem tempore rabi Moysi de Egipto recipiebatis, aut illum de Cisneros, quem tempore rabi Hazday universaliter recipiebant. Et hoc nichil vobis prodest, nam nullam harum condicionum habebant.

Oportet igitur vobis concedere has in Domino nostro Iesu Christo esse, ac etiam fuisse, presertim cum pateat in eo omnes illas condiciones absque dubio fuisse completas. Et, dato quod negare maliciose velitis, non potestis, nam plures ex eis patent per vestrum Talmud, sicut clare habetis in eodem quod homo ille vocatus Iesus Nazarenus venit in fine secundi templi. Item habetis quod intitulabatur esse Messiam, et quod veniebat de genere regali David, et quia habebat discipulos quibus dabat doctrinam novam in lege Dei contra cerimonias phariseorum. Item quod faciebat plura miracula, in tantum quod plures doctores talmudiste curabantur [E. + vel] sanabantur a discipulis eius ab incurabilibus egritudinibus; et quod fuit passus et crucifixus in manu iudicum Ierusalem, et quod incontinenti post hoc cessaverit ab eis iurisdiccio criminalis.

Ecce quidem hic qualiter magna pars condicionum, que in Messia future erant, reperiuntur in Talmud ad literam, que fuerint in homine illo Iesu nuncupato. Que quidem in nullo alio homine totius universi reperiuntur seu reperiri possunt. Aliis vero condicionibus restantibus bene enim fidem deberetis prestare, solum propter relacionem tot doctorum et sanctorum hominum valde devotorum ponencium hoc in libris eorundem, quorum maior pars iudei fuerunt, et multi gentiles et magni philosophi; et fuit sic de tempore ad tempus successive, ab uno in alterum, a mille quatuor centis annis citra, de quo non est presumendum aliquid tale esse in mundo de quo omnes isti successive recordarentur

scribere id quod realiter non fuisset; nam est hoc ponere dubium, est sicut dubitasse Deum fuisse locutum Moysi, aut dicere Deum non divisisse mare Rubrum per quod transiturus era populus Israel. Omnia namque illa non creduntur, nisi per successionem Scripturarum. Precipue, ut dixi, cum piura eorum sint in vestro Talmud. Et omnia cetera, que vos non tenetis, confirmantur et conceduntur, nedum per omnes christianos, verum eciam per omnes sarracenos; nam ipsi credunt Iesum fuisse Messiam, a Spiritu Sancto conceptum seu genitum, et filium Virginis, et a beato Iohanne Baptista prenunciatum, et quod sanata evangelia sunt scripta verissima et auctentica. Item ipsimet ad terram sanctam venientibus seu peregrinantibus, ostendunt locum in quo angelus Virginem Mariam salutavit, et locum ubi natus est Messias, scilicet in Bethleem, et cetera que feci miracula.

Unde secundum ea que in vestro Talmud scripta sunt, et illud quod publicum est, et in toto orbe terrarum manifestum, omnes condiciones Messie in eo infallibiliter sunt complete.

Finaliter dico vobis quod ad negandum pertinaciter supradicta, invenio excusacionem pro vobis, scilicet in vos malediccionem Dei datam per os Isaie, capitulo VI, ubi dicitur:

«Exceca cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude, ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et corde suo intelligat et convertatur et sanem eum» (70).

Non enim dubito quod hec maledicchio teneat vos occupatos; ac, dum in pertinacia vestra perseverare volueritis, absque dubio tenebit. Verumptamen, duricia et pertinacia vestris non obstantibus, nichilominus stat me satis sufficienter conclusisse responsiones vestras vanas ac nullas fuisse, et conclusiones quas posui contra vos plene ac optime fuisse probatas; condiciones adhuc quas Messie Christo Iesu annotavi, ymo annotatas seu attributas reperi, fore verissimas et indubitatas.

Ex quibus necessario concluditur Salvatorem nostrum Christum Iesum verum fuisse Messiam, per omnes prophetas prenunciatum vel prophetatum.

Ad id vero quod dicitis quod aliqua sunt in mea cedula, quibus minime respondetis, etc.

Dico quod fateor iam alias vos respondisse. Sed responsiones ipse validissimis racionibus et sufficientissimis tamquam casse, nulle, atque vane fuerunt sufficienter reprobate et anichilate.

Unde, ex toto prehabito, manifeste sequitur vestras omnes primas responsiones super duodecim interrogacionibus per vos factas, et oppiniones quas pertinaciter tenetis super eisdem, contra omnem esse sine dubio veritatem.

---

(70) Is. 6,10.

## SESION XLV

DIE VERO MERCURII, trigesima augusti, predicti iudei, respondentes, quamdam cedula[m] obtulerunt tenoris sequentis:

Et iudeus, cum humiliori quam scit et potest reverencia Beatissimi Patris, reverendorum patrum dominorum cardinalium sacri Collegii, et cum honore honorabilis magistri Ieronimi, deliberacione habita, et tanto tempore quantum peccit, super replicacione per dictum magistrum Ieronimum super prefatis duodecim interrogacionibus facta, respondet quod [E. + est] adherens responsionibus factis per eundem, tam in duodecim interrogacionibus, quam in aliis superius contentis, dicens quod ulterius non occurrit sibi aliud quod respondeat; sed quia intelligit in eisdem esse fuisseque sufficiens responsio cuilibet per magistrum Ieronimum allegato, et non sibi reputat in aliquo fuisse conclusum, ymo in eius permanet seu perseverat credencia, quod Messias nondum venit, et in omnibus aliis conclusionibus in responsione eiusdem per eum positis. Et cum hoc finem imponit sue responsioni, non intendens aliquid ulterius dicere, velut is qui sufficienter se credit respondisse, et quid ulterius proferat ignoret.



## SESION XLVI

DIE VERO MERCURII, vigesima nona mensis novembris, dictus magister Ieronimus, in loco consueto proposuit dicens :

Quod cum per processum prehabitu pateat manifeste satis sufficienter fuisse conclusum et probatum in fine secundi templi Messiam venisse, et illum esse Salvatorem nostrum Christum Iesum Nazarenum, et omnes condiciones, quas prophete de Messia predixerant, adimpletas fuisse in eodem ; verumptamen quia iudei, habitu inobediencie et prefate duricie seu pertinacie denuo temptati, adhuc ponebant dubium in illo, et confiteri nolebant se ipsos esse convictos seu esse eis conclusum, nec ad sufficienciam fuisse informatos, ut per ultimam cedulam per eos oblatam die mercurii, 30 mensis Augusti, potest patere diligenter intuenti, idcirco, ex mandato prefati domini nostri Pape expresse super hoc michi facto, rationes prelibatas per modum sumule replicabo, illas manifestius quo potero, prestante Iesu vero Messia, replicando taliter, ut corda dictorum iudeorum ad habendum pleniorem noticiam et finalem informacionem veritatis magis sint inclinati et proclivi, sub hac forma dicens :

Vos, iudei, non ignoratis qualiter prima conclusio, quam publice vobis posui, fuit, scilicet, Messiam venisse : quam per quamplures auctoritates probavi. Quarum una fuit in Talmud, in libro vocato Havodazara, capitulo quod incipit lifue edehen, et in Sanhedrin, capitulo quod incipit col Israel, [E. + cuius] tenor est :

»Tana deve Heliau, etc. Legitur in studio Helie : sex mille anni est mundus, duo mille de vanitate, duo mille de lege, duo mille dies de Messia» (1).

(1) Sanh. 97 a.

Ex qua quidem auctoritate sequitur Messiam debuisse venire in fine quatuor mille annorum primorum. Unde concludebatur ex illo iam ipsum venisse mille et tot anni sunt elapsi.

Super hoc autem habuimus hinc inde quamplures datas atque receptas respondendo, replicando, triplicando, et diversas glosas super prefata auctoritate per vos factas, et per me easdem legitime revocatas.

Demum responsio, et ultima defensio vestra, fuit dicere quod hec auctoritas non dicebatur assertive, ymo presumptive, et quod Helias aliquando loquebatur per ymaginacionem, non autem per viam revelacionis, nec cum firmitudine, quemadmodum in alia quadam dicitur auctoritate, quod cum vidit Helias Messiam quod proiciebat eum ventus in mari, et dixit: «Helias non est sic[ut] cogitas», etc. Unde sequebatur quod sepissime Helias loquebatur cum certitudine; et conceditis has oppiniones ex eo quod in auctoritate non erat aliquis modus.

Cui quidem responsioni vestre satisfeci triplicando, atque dicendo quod propheta, dum non est influencia, est possibile habere aliqua motiva cogitativa de rebus de quibus non est necessarium ita fore, sicut alius quis homo; nam reperimus David, quod volebat templum edificare, et concedente propheta quod bonum erat illud cogitare, subsequenter Deus dixit oppositum illius. Item reperitur quod patriarcha Iacob magno tempore plorabat propter filium eius Ioseph, credens ipsum fuisse mortuum. Unde non est mirandum, si, cum Helias videret illud, conquereretur, et recipiebat illam ymaginacionem. Sed cum propheta est in influencia prophecie, aut aliquam dat sentenciam cum auctoritate et deliberacione in rebus futuris, vel que debent esse ex parte Dei, quemadmodum est in nostra auctoritate, et deinde non reperimus illam sentenciam fuisse revocatam per eum nec per alium, certe in tali casu aliquatenus non potest dici quod non sit sententia firma et certa, et presertim cum reperiatur in libro Havodazara hec auctoritas, quod doctores talmudiste habent magnas altercaciones super divisione illorum millenariorum annorum. Unde sequitur quod ipsi reputant eam auctenticam, alias non altercassent tantum super ea.

Item, ad id quod dicebatis, quod dicta auctoritas ponebatur simpliciter, absque modo aliquo, et quod istud erat signum quod loquebatur dubitative, et non cum certitudine, iam annullavi istam oppinionem dicendo quod si sic esset sequeretur quod omnes prophecie et omnes sentencie, quas doctores ponunt, essent dubie, quia omnes ponuntur simpliciter, sine modo. Hec autem fuit sa-

tisfaccio quam feci contra ultimam vestram responsionem ; ex qua quidem satisfaccione sequebatur vestram oppinionem nullum habere locum. Deinde, 'nobis' [E. vos] nichil respondistis super prefata mea triplicacione, nisi solum dicere quod adherebatis responsioni per vos facte, et quod nichil amplius sciebatis.

Unde talem vobis facio responsionem, scilicet :

Vos adheretis responsioni iam facte. Sed vestra dicta responsio est destructa et nulla. Vos igitur estis convicti et conclusi.

Antecedens est clarum per cedula[m] vestram ultimam in hac mea, ubi dicitur : et quod secundum eius ignoranciam et insufficienciam credit se respondisse sufficienter, et quod ignorat ibi amplius.

Sed consequens est notorium per replicacionem per me factam, et nunc recitatum. Unde sequitur quod oportet vos respondere huic argumento, aut maneatis sufficienter convicti atque conclusi. Et hoc quantum ad hanc auctoritatem.

Preterea, ad maiorem corroboracionem dicte conclusionis, scilicet, Messiam venisse, quamdam vobis aliam allegavi auctoritatem in libro Sanhedrin, capitulo supradicto scriptam, cuius tenor talis est :

«Dixit Helias ad rabi Iehuda fratrem de Rabçala bono : non est mundus minus 85 iubileis, et in iubileo ultimo filius David veniet. Peciit ab eo : in principio iubilei, aut in fine? Respondit : in fine» (2).

Ex qua quidem auctoritate probavi Messiam venisse mille anni sunt iam et ultra. Ad quam enim auctoritatem rabini vestri glosas diversas texuerunt, revocate finaliter. Tamen ultima glosa, in qua omnes concordastis, fuit, scilicet, quod hoc vocabulum ubi dicitur : «Filius David veniet», debet interpretari et intelligi non quod veniat realiter, sed quod erit dispositus ut veniat, et pro tunc erit aptus natus ut veniret, ut hoc totum diffusius potest patere per processum superius habitum.

Dico quod, quamvis in processu fuerit sufficiens annullacio habita ad hanc glosam, ad maiorem tamen satisfaccionem seu annullacionem formo nunc unam talem racionem per quamdam disiunctivam proposicionem, faciendo distinccionem talem :

Aut hec aptitudo et dispositio que futura erat in iubileo ultimo adventus Messie erat ex parte Dei, quod esset dispositus ad mittendum eum ; aut ex parte Messie met, quod esset dispositus ad mitti ; aut ex parte temporis, quod esset dispositum ad posse

(2) Sanh. 97 b.

mitti in tempore illo ; aut ex parte populi, quod esset dignus et dispositus ad eum merendum.

Non enim possumus dicere ex parte Dei, nam Deus omnibus temporibus, preteritis et futuris, promptus est, et dispositus, ad eius gratiam mittendum hiis qui eam merentur. Neque ex parte Messie, quoniam Messias, Deo volente ipsum mittere, promptus erat et dispositus semper ad veniendum. Neque ex parte temporis, nam tempus, in quantum tempus, non est magis dispositum uno tempore quam alio ad posse, 'sicut' [E. fieri] in illis que ordinata sunt per Deum, quia 'iidem' [E. ibidem] met celi, quorum motus causat tempus, et idem sol, et eadem luna, sunt in una hora sicut in alia. Unde restat quod dispositus esse vel non, debet intelligi ex parte populi, ut digni sint ad salvacionem recipiendam, vel non.

Cum auctoritas igitur inquit et dat sententiam : «in ultimo iubileo filius David veniet», et vos declarastis quod velit dicere, id est, disponetur ad veniendum, oportet ergo intelligi quod populus esset in illo iubileo aptus natus et dispositus, scilicet, dignus ut ipse veniret.

Si ergo populus in illo ultimo iubileo erat dignus ut Messias veniret, non possumus fugere ab uno duorum :

Quia vel auctoritas illa, ubi dicitur quod populus esset aptus natus ut veniret Messias, dixit falsum, aut Messias venit.

Sed auctoritas, eam glosando per hunc modum per quem vos eam asseritis fore veram, non est falsa, sed vera.

Ergo Messias venit.

Et per consequens, vestra responsio est omnino destructa et nulla, conclusio vero mea bene posita ac diffuse probata seu corroborata.



## SESION XLVII

DIE AUTEM VENERIS, vigesima secunda mensis decembris, dictus magister Ieronimus ante sanctam presenciam domini nostri Pape et sue sancte Curie, et predictorum iudeorum, proposuit subsequenter, dicens verba que secuntur :

Non obstante quod per auctoritates per me in dieta elapsa recitatas, et per rationes et argumenta contra vos et contra vestras responsiones factas ad meam intencionem probandam, et ad plenam informacionem, ut convicti essetis sufficerent, cum toto hoc, tamen, ad maiorem satisfaccionem, contentacionem et valde lucidam demonstracionem veritatis nostre conclusionis, que est, scilicet, Messiam venisse, convenit sequi regulam prius inceptam, scilicet, de auctoritate in auctoritatem incedere, de hiis scilicet que iam alias disputate sunt, et sigillatim id quod super eisdem dictum est optime puntuare, quemadmodum iam supra fecimus, dieta proximo lapsa, super primis duabus auctoritatibus.

Et iuxta hoc dico, quod iuxta dicte conclusionis confirmacionem allegavi vobis quamdam auctoritatem in libro *Sanhedrin* scriptam, ultimo capitulo, que sic ait (1) :

«Semel reperit rabi Osua, filius Levi, Heliam stantem ad portam fovee seu sepulcri rabi Simeonis. Cui inquit : Quando veniet Messias? Cui ille : Vade, et quere ab eo. Cui rabi Osua : Ubi est? Et ille respondit : Rome. Cui iste : Que signa habet? Ad quem ille ait : Reperies eum vulneratum.» Declarat enim rabi Selomo : Messias est vulneratus, nam sic inquit Isaias : «Vere languores nostros ipse tulit», etc. et subinfertur : «Ipse autem

---

(1) Sanh. 98 a.

vulneratus est propter iniquitates nostras», etc. (2). «Accedit ad eum rabi Osua in Romam et inquit ei : Pax tibi, rabi domine. Responditque : Pax tibi, fili Levi. Dixit illi : Quando veniet Dominus? Cui ille : Hodie. Reversusque rabi Osua ad Heliam dixit : Falsum inquit : dixit michi quia hodie veniet. Et ait Helias : Hodie si vocem eius audieris vel audieritis» (3).

Ex prefata enim auctoritate Messiam probavi venisse tempore rabi Osue, et quod auctoritative erat Rome. Vos autem contra me respondistis dicentes :

Iudeus respondet, quod ex illa, etiam quod intelligatur ad litteram, non probat nec fundat dictus magister Ieronimus eius intentum, scilicet, Messiam venisse ; ymo ex illo patet manifeste Messiam nondum venisse, et hoc per interrogacionem quam dictus rabi Osua ipsi Helie facit : Quando, scilicet, veniet Messias. Unde patet quod nondum venerat tempore rabi Osue, qui fuit magno tempore post destructionem templi secundi, trescentis annis.

Hec autem fuit principalis responsio vestra, contra quam sufficienter replicui.

Verumptamen punctuemus nunc prefate auctoritatis verissimam intencionem, et videamus an vestra responsio locum aliquatenus habuerit. In vestra namque auctoritate patet manifeste magnam fore contradiccionem. Nam ex una quidem parte monstratur Messiam nondum venisse tempore illius doctoris, et ex alia videtur venisse. Cum dicitur quod doctor rabi Osua querebat seu interrogabat Heliam : «Quando veniet Messias», videtur quod nondum venerat, quod nempe facit pro vobis. Ex quo quidem puncto gaudetis in vestra responsione. Verumptamen, quid dicetis ad illud quod respondit sibi Helias : «vade, quere ab eo?» Item subiunxit sibi, assignando quod erat Rome. Item quod dedit ei certa ipsius signa, scilicet quod inveniret eum pauperem vulneratum ; et adhuc quod declarat rabi Selomo super hoc verbo Isaie : «Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit», etc. (4), ut diffusius ponitur in passione Domini nostri Iesu Christi, quam posuit Isaias in capitulo 53 sui libri. Item quoniam de facto dictus rabi Osua ivit Romam, et salutavit Messiam, et Messias ipsum, et colloquium simul habuerunt. Hoc enim totum nec dici potest, nec locum habere, nisi in personis

(2) Is. 53,4.

(3) Salm. 95,7.

(4) Is. 53,4.

que realiter vitam ducunt in humanis. Unde per hec omnia particularia patet iam venisse Messiam.

Auctoritas quidem in se vera est, postquam in textu talmudico quem vos oportet credere, cum, ut asseritis, lex sit oris, reperitur sine dubio compilata. Preterea, dictator ipsius est de maioribus et magis auctenticis rabinis talmudistis, et de hiis qui in toto Talmud tantas et tot habuerit revelaciones, quemadmodum fuit Helias, nec tantum super facto Messie, paradisi, et inferni loqueretur. Item quia nullus reperitur in textu nec in glosa sibi contravenisse, nec illud per aliquem fuisse revocatum figurative nec quovis alio modo, nisi dumtaxat ad literam sicut iacet. Unde sequitur ipsam esse verissimam, et multum auctenticam.

Quid igitur dicemus ad repugnanciam in eo repertam? Respondeo prefatam fuisse repugnanciam iam sublatam, duos Messie ponendo adventus: unum siquidem universalem et corporalem, alium vero singularem et spirituales. Primus enim, scilicet corporalis et universalis, fuit cum Messias, verus salvator noster, Christus Iesus, venit in hoc seculum, mortem et passionem pro salute humani generis universaliter recepturus, quod fuit circa secundi templi destruccionem. Et deinde Rome remansit auctoritative, suum ibidem relinquens vicarium, qui est Papa. Et iuxta adventum istum, sequitur quod tempore huiusmodi doctoris iam venisse Messiam; et ideo sibi dixit Helias ut ad eum iret, et quod ipsum Rome reperiret, quasi dicat: tu queris a me quando veniet, quia videtur te nullam de ipsius adventu habere noticiam; ipsum noveris iamque venisse, hoc modo, scilicet, sic et sic, etc., ei ostendens qualiter adventus eius fuerit in paupertate et vulneribus, et passionibus, et qualiter sedes eius erat Rome.

Secundus vero modus eius adventus, est noticia quam unusquisque legem servans debet de eo habere. Et iuxta huiuscemodi noticiam nondum Messias venerat ad rabi Osua, quia non habebat predictam noticiam; eo nempe modo quo ad presens possumus dicere quod, licet mille quadringenti tredecim anni sint elapsi, quibus Messias iam venerit, hoc est verum quantum ad nos et illos qui sunt veri et Christi fideles; vobis autem, qui noticiam eius non habetis, minime dicitur adhuc venisse. Et hoc quidem modo ipsi rabi Osua nondum venerat, et ideo quesivit ab Helia: quando venit Messias? Helias autem, suum considerans errorem, eum remisit in Romam, ut daret ei ad cognoscendum quod errabat in hoc, non credendo quod Messias iam venerat; et quod eum Rome reperiret, et quod ipsemet personaliter

eius satisfaceret ignoranciam. Et ita factum est quod ipse ivit Romam, et, ut iam superius dixi, cum eisdem signis, que Helias eidem dederat, reperit eundem. Nam sic inquit auctoritas : «Ivit illuc, et locutus est ei». Et Messias, aut is qui personam eius representabat Rome, ut puta Papa, eidem satisfacit, eius errorem elucidans, seu ei ostendens in uno dumtaxat verbo, scilicet, «hodie». Ipse vero non intellexit usquequo Helias habuit sibi declarare, videlicet, «Hodie si vocem eius audieritis» (5), ostendens quod adventus Messie cuicumque extra fidem eius existenti, non est terminus pretaxatus, aut assignatus, seu limitatus, nisi quacumque hora, qua singularis aut quivis particularis homo voluerit ad obedienciam pervenire doctrine Messie, in eadem hora sine dubio veniet sibi Messias ; verbigracia, vobis autem ad presens nondum venit Messias, tamen cum gracia Dei supervenerit in vos, fueritisque sanctissimi Domini nostri Pape, veri Messie Christi vicarii, doctrine obediens, tunc veniet ad vos Messias.

Ecce qualiter dicto rabi Osue fuit plene per Heliam satisfactum de eius questione seu petitione.

Ex tunc quidem possibile fuit ut dictus rabi Osua converteretur, et de hoc Talmud nullam facit mencionem, cum non consueverit mencionem facere aliqualem de quam plurimis insignibus iudeis et sanctis hominibus, qui tunc temporis ad fidem veri Messie sunt conversi.

Satis ergo declaratus est sensus auctoritatis. Ex qua quidem declaracione sequitur vestram responsionem esse nullam, et per consequens, conclusionem meam optime esse probatam.

Preterea, ad maiorem prefate conclusionis corroboracionem, alia auctoritas fuit superius allegata, que habetur in Talmud Ierusalimitano in libro de Berahoth, capitulo haya core ; et ad idem est in libro vocato Equa Rabeti, id est, lamentacio magna, cuius tenor talis est (6) :

«Dicit rabi Iodan, ex nomine rabi Ybu : Eadem die qua natus est Messias, eadem die fuit destructio sanctuarii. Accidit cuidam iudeo qui laborabat, et bos eius mugivit, et transivit arabs unus, qui audivit mugitum bovis, qui ait iudeo : Iudee, fili iudei, disiunge boves tuos et opus tuum, nam sanctuarium vestrum est destructum. Et bove denuo mugiente vel clamante, dixit ei : Iudee, fili iudei, liga et iunge boves tuos, et fac operam tuam, nam iam natus est rex Messias. Et interrogavit seu quesivit ab eo : Quomodo vocatur ? Et respondit ei : Menahem, id est, Con-

(5) Salm. 94,8.

(6) J. Berakot, 5 a: *Eká Rabbati*, par. 1, in Lam. 1,16.

solator. Et quesivit ab eo : Quod est nomen patris eius? Respondit ei : Ezechias, id est, Fortitudo Dei. Et quesivit ab eo : Et unde est? Qui respondit ei : De domo regali, de Bethleem Iude. Ait rabi Abon : Et quid nos oportet discere ab arabe, nam clare inquit textus Isaie : «et Libanus cum excelso cadet» (7), et subditur : «egredietur virga de radice Iese?» (8).

Super prefata quidem auctoritate certas fecistis responsiones, que omnino fuerunt sufficienter revocate. Et demum, in quo vos fundastis, fuit dicere quod cum arabs diceret ytyelith, id est, natus est, volebat dicere quod ordinatus erat ad nascendum. Et ad hoc probandum, conati estis aliquas inducere similitudines aliquorum vocabulorum, in propheciis positorum, que ad literam in tempore presenti ponuntur, debent tamen intelligi pro tempore futuro.

Tunc autem replicui sic inquiring : Quod talis modus loquendi aliquociens verum est in propheciis reperiri, quia sunt textus obscuri. Omnia namque futura sunt Deo presencia. In verbis tamen doctorum prophetas declarantium, talis modus loquendi non valet reperiri, nec quod unum tempus pro reliquo ab eis assumatur ; presertim cum in prefata auctoritate tot sint confortaciones seu concordie ut pateat quod nativitas eius esset de presenti.

Primo, namque, in principio dicitur prefate auctoritatis : «Dicit rabi Iodan : In eodem die quo fuit destructio sanctuarii, fuit ortus seu nativitas Messie».

Item quia iudeus agriculator quesivit ab arabe qualiter appelleretur, et qualiter pater eius, et cuius generis sit, et in quo loco fuerit vel sit ; et quia ratio non patitur quod omnia verba hec velint dicere ordinationem, et nichil penitus de facto.

Preterea : id quod arabs dicebat iudeo laboranti, dicere volebat quod templum de facto destruebatur, non ideo oportebat eum cessare ab opere suo, cum ordinatum esset nasci Messiam abinde ad mille et tot annos. Videamus igitur quanta consolacio erat ista iudeo, nam, absque illo, iudeus sciebat Messiam tempore aliquo nasciturum, cum sue credulicie esset articulus. Hoc autem nichil aliud esset, quam si ex mandato regis domus alicuius hominis dirueretur, et omnia bona eius confiscarentur et perpetuo mandaretur carceri mancipari ; et esset aliquis qui eum consolaretur dicens : Non cures propter hoc, noveris enim quod hinc ad mille annos et tot, nascetur alius rex, qui omnia hec mandabit restitui

(7) Is. 30,34.

(8) Is. 11,1.

hiis qui ex genere tuo sunt nascituri. Videamus an hic homo maneat consolatus. Certe minime.

Ulterius videtur dictam nativitatem esse ac fuisse presentem ac realem per allegacionem quam fecit alius doctor, in fine auctoritatis, textus Isaie : «et Libanus», etc. (9). Certum namque est illam prophetiam loqui uniformiter, et est quedam propositio copulativa, scilicet : «et Libanus, id est, templum, cadet, et Messias veniet». Et non potestis vos, iudei, aliquo modo dicere quod hec duo verba propositiois, scilicet, casus seu cadencie templi seu destructionis, et adventus Messie, quod sint in diversis temporibus, cum dictus rabi Abon non inducat ad aliud hanc prophetiam, nisi ad probandum hec duo eodem tempore futura esse.

Si autem vos alium sensum dederitis, sicut dedistis, dicte prophetie, me nullatenus impugnatis, sed vestrum quem reputatis auctenticum doctorem impugnatis. Michi autem sufficit quod vester doctor assignet talem sensum ipsi auctoritati qui sit consonus mee conclusioni et non discrepans, scilicet, quod Messias iam venit.

Ex quo, iuxta oppinionem et huiusmodi doctoris allegacionem, talem formo racionem :

Quandocumque templum esset destructum, statim Messias erat nasciturus.

Sed templum est iam destructum.

Ergo Messias est iam natus.

Et ad maiorem repugnanciam vestram, cum per scriptum, aut ex verbo, loquimini in hoc facto, hanc inducitis notabilem auctoritatem nomine fabule, dicentes fabulam esse arabis illius. Et, loquendo tamen cum debito honore, valde erratis. Nam ego non applico istud propter locucionem arabis, aut propter mugitum bovis, sed eo solum gaudeo, quoniam duo ex vestris doctoribus dant finalem sententiam quod destructio templi et ortus seu nativitas Messie fuerunt in simul. Et primus, ad eius oppinionem corroborandam, allegat verba arabis ; alius vero, verba Isaie prophete. Ergo non est fabula, ymo doctorum sententia in vestro Talmud et prophetia posita.

Verumptamen, postquam non erat vobis fuga, estis racione coacti confiteri publice verum esse quod tempore destructionis natus fuerat, tamen non divulgatus nec fuerat demonstratus. Et tunc cum Sanctissimus dominus noster Papa vos interrogasset, inquiring quod, postquam natus erat, ubinam erat. Vos quidem

(9) Is. 10,34.

respondentes dixistis : plurium esse opinionem eum esse Rome ; et plurium in paradiso terrestri.

Et adhuc confessi publice estis quod verum erat ipsum iam natum esse, sed nondum venisse. Et tunc vobis per Isaiaam, ultimo capitulo, satis plene probavi quod natus esset, divulgatus atque monstratus, seu publicatus. Quam quidem propheciam unus non parve auctoritatis doctor vester talmudista lucide declaravit, nec non per caldaicam translacionem, per doctorem in Beresith Rabba. Dicit enim rabi Samuel, filius Naaman (10) : «Et unde probamus quod in eodem die quo fuit destructio templi, fuisset nativitas Messie? Ex textu in quo dicitur : «antequam parturiret peperit» (11).

Per caldaycam autem translacionem, ubi inquit super prefato textu : «antequam veniret angustia in Ierusalem, fuit discopertus rex Messias». Ad quam propheciam nichil penitus respondistis.

Hiis omnibus sicque peractis, vestri rabini quod prius concesserant, hoc postmodum negaverunt, verum esse confitentes quod ipsi hoc dixissent, tamen hoc quod dixerant, posito, non tamen concesserunt. Subsequenter per interrogacionem unicuique vestrum sigillatim, mediante prestito iuramento, super rotulo legis factam, plures ex vestris deposuerunt atque asserentes dixerunt, quod cum rabini concesserant Messiam natum esse, quod hoc non dixerint condicionaliter, nec aliquam posuerunt condicionem, ymo absolute concesserant. Quod quidem patet per publicum instrumentum. Et insuper prefati singulares dixerunt, ex virtute dicti iuramenti, quod unus ex rabinis cum illud concessisset hoc modo causavit dicens : quod necessarium erat quod tunc nasceretur Messias, nam cum homo est in angustia infirmitatis, tunc opus est ut veniat medicus.

Ulterius concesserunt quod alius rabinus in suo libro, quem legit ibidem in publico, quod dicta auctoritas innuebat quod prefatus iudeus arator assumpserat officium venditoris calligarum puerorum, et quod ivit cum eis in Bethleem, ut matrem Messie in noticiam haberet. Hoc enim totum supra in processu prehabitu est, de quibus sunt scripture auctentice et publice. Unde valde est admirandum qualiter possitis, post plures rationes in ultima responsione vestra positas, dicere quod non sitis conclusi seu convicti.

Ego tamen assero et afirmo quod optime estis convicti, dicens

(10) *Beresith Rabbá* de Darshán, par. 73, in Gen. 30,38 (ed. B. N. 80-81).

(11) Is. 66,7.

finaliter quod oportet vos aliam reddere racionem, seu aliter respondere, ultra illas superius per vos allegatas raciones, aut publice vos esse veridice convictos confiteri.

Et ex nunc huiusmodi examen et sententiam remitto determinationi et decisioni sanctissime beatissimi domini nostri Pape, aut illius seu illorum cui vel quibus talis iniuncta fuerit determinacio aut decisio vel commissa, requirens super hoc fieri publicum instrumentum sub forma qua superius actum vel secutum, et illud processui adiungi.



## SESION XLVIII

DIE VERO LUNE, octava mensis Ianuarii, anno a nativitate Domini milesimo quadringentesimo quartodecimo, prefato magistro Ieronimo et iudeis in presencia Sanctissimi domini nostri Pape ceterorumque dominorum Cardinalium et prelatorum constitutis, idem dominus noster Papa dixit quod proxime dieta, die vigesima secunda dicti mensis decembris, que fuerat ultima in actibus informacionis huiuscemodi, audierat per magistrum Ieronimum recitari quomodo in ausencia sue Sanctitatis fuerat in eadem informacione processum. Et quia aliqui ex iudeis dixerant eum in huiuscemodi causam iudicem fore suspectum, dixit se daturum talem et brevem ordinem in negotio, quod quilibet, fidelis et infidelis, absque perversione veritatis, sua dumtaxat ratione naturali utens, cognoscet per se ipsum que conclusio possit et debet elici ex prefata informacione.

Nam, et licet eius intencio fuerit a principio, et nunc esset, dictum breviare negotium, tamen hoc, ipsis iudeis impediuntibus, fieri non potuit. Ibidem recitans quomodo ab inicio fieri inceperat informacio solum cum illis de loco Alcanicii; demum, ad illorum instanciam, cum ceteris iudeis prefati regni Aragonum. Primo enim verbaliter disputando seu verbotenus. Secundo, propter dictorum iudeorum variacionem, in scriptis; et finaliter denuo circa huiuscemodi rem insistere oportuit, seu vacare examinacioni quoque eorum, que hinc inde in scriptis obtulerant, ut inde possint notariorum seu tabellionum subscripcione actorizabili roborari. Que omnia fuerant causa, non immerito, dilacionis, si qua intervenerat in negotio supradicto.

Non enim oportebat aliquos dicere, ut dicebant, quod ipse

dominus noster ex gestis Romanorum, quomodo aliqui circa hoc intenderant, aliqui vero ad cor habentes, morte tamen preventi, affectum deducere non poterant ad effectum.

Item etiam in Ispania, premaxime tempore gothorum, multi notabiles prelati cum iudeis collaciones seu disputaciones tenebant, eos convincendo, et quam plures literatos viros iudeos et alios ad Christi fidem converterant.

Ad presens autem ipse ad tria principaliter intendebat: Primo: ad primam eius intencionem, que est ad salutem animarum querendam. 2° ad abbreviandum. 3° ut illa que ex huiusmodi informacione concluderentur debite execucioni ducerentur seu mandarentur. 4° autem intendebant aliqua facere que in fine dicendorum declaraturus erat.

Et quia nonnulli ex iudeis de ultimo recitatis per dictum magistrum Ieronimum copiam volebant, et illi respondere; nonnulli autem non copiam eorum, sed solum informari cupiebant; quidam autem ex dictis iudeis intendebant se habere raciones notabiles que acthenus recitare, ex causa sua subterfugendi consueta, omiserant, ut pretendebant. Idcirco prefatus dominus noster, volens principaliter ut omnes et singuli ipsorum ad plenum audirentur, mandavit eis copiam dare de premissis, et quod super eis et quibuscumque aliis predictam informacionem tangentibus diceret, et dubia si que essent in prelibatis moverent, et super eis satisfaciones haberent sufficientes.

Demum quidam iudeus, rabi Iocel Albo nuncupatus, darocanus, dixit quod propter paucos disputare volentes non debebant omnes ibidem detineri.

Tunc autem dominus noster, ad hoc ut negocium ipsum meliorem ordinem et breviorum haberet, et ut plenum sortiretur effectum, ad dandum modum et formam, necnon execucionem informacioni, volentibus informari deputavit reverendos in Christo patres et dominos, dominum Iohannem, miseracione divina episcopum Sabinensem cardinalem, et dominum Didacum episcopum Placentinum; 'secundum' [E. et magistrum] Andream Bertrandi, ipsius domini nostri Pape elemosinarii, et Gondissalvum Garsie, capellanum suum et causarum palatii apostolici auditorem, qui actui informacionis ipsius ordinem et opem darent et operam efficacem. Ad actum vero 'disputacione' [E. disputacionis] disendum, reverendos in Christo patres dominum Petrum Sancti Angeli, diaconem cardinalem, ac 'avinionem' [E. Abionenem] episcopum Senecensem, et fratrem Sancium Porta, magistrum scholarum sacre theologie in palacio predicto, et Luppum de Galdo

penitenciarium domini nostri Pape, ordinis fratrum Predicatorum, professores, magistros in theologia, ac supradictum magistrum Ieronimum.

Quibus sic dictis, prefatus dominus noster Papa mandavit iudeis quod illi qui vellent disputare dumtaxat alta voce hoc dicerent et se nominarent.

Inter ceteros, autem, rabi Ferrer fuit, et rabi Mathias et rabi Astruch dumtaxat, qui dixerunt se adhuc super hoc velle disputare; ceteri vero informari volebant.

Et tunc dominus noster Papa eos interrogavit in communi an essent plures disputare volentes. Qui clamitando una voce dixerunt: Non.

Recitavit adhuc ibidem prefatus dominus noster Papa, quod circa quinque intendebat, ultra actum huiusmodi informacionis, circa eos, duce Domino, salubriter providere:

Primo, et principaliter, super libro Talmud vulgariter nuncupato, propter falsitates, hereses et abhominaciones que continebantur in eodem.

2° Super crimen usurarum, quo execrabiliter utebantur.

3° Super sinagogis eorum, presertim illarum quas absque Sedis Apostolice licencia noviter fecerant, aut extollerant, seu exalterant, seu preciosiores fecerant.

4° Super eorum conversacione cum christianis.

5° Super officiis publicis per eosdem iudeos inter christianos minime exercendis.

Et super hiis, Domino concedente, intendebat facere, et adhuc tales faceret ordinationes, que concernerent Dei laudem, gloriam et honorem, ac tocius christiane fidei decorem.

Mandavit tandem omnibus iudeis, ut simul convenirent ad concordandum de loco ubi illi qui volebant informari, easdem audirent informaciones, videlicet, in castro civitatis Dertusensis vel in domo fratrum minorum, vel predicatorum Dertusensium, ut disputacio et informacio disiunctim fierent et separatim, ut turbacio et variacio omnimode vitarentur.



## SESION XLIX

DIE AUTEM VENERIS, vigesima sexta dicti mensis Ianuarii, dicto magistro Ieronimo et iudeis in presencia Domini nostri Pape, ut consueverant, congregatis, idem dominus noster Papa alloquutus est sub hiis verbis : Quod cum die lune, octava huius mensis, ordinatum fuisset quod prefati Ferrer, Mathias et Astruch, rabini iudeorum, qui disputare volebant, audirentur super proponendis per eosdem circa actum informacionis seu disputationis huiusmodi, et deinde, cum ad eiusdem domini nostri auditum pervenisset, quod dictus rabi Astruch a romana Curia, velut profugus, illicenciatus recessisset, quibusdam scripturis seu cedulis prefato magistro Ieronimo per eundem rabi Astruch prius tamen oblatis, nullo tamen expectato super eisdem responso, ut dictum est, recesserit ; idcirco propter dicti rabi Astruch absentiam, et quoniam dominus noster prefatus Papa investigari et ad eum deferri mandavit, discussionem quaternuli sui vel scripture sue, usque ad regressum prefati Astruch cessare mandavit, et super eisdem differri. Interdum tamen, quod scripta dictorum rabinatorum Ferrer, scilicet, et Mathie, communiter oblata, vel offerenda, recitarentur, audirentur, et discuterentur.

Quibus sic per eundem dominum nostrum Papam peractis, dictus rabi Ferrer, nomine suo et sui consocii rabi Matathie, partem scripturarum suarum recitavit in hunc modum :

Pluries ac diversimode in hac sancta platea audivimus qualiter Sanctitas beatissimi domini nostri Pape plenam nobis, ex sua mera benignitate, licenciam prestabat, prout acthenus fecit, explicandi, ponendi et racionandi omnia dubia, argumenta, obieccionnes, et responsiones, que super hiis que ponit et loquitur honora-

bilis prefatus magister Ieronimus, nobis occurrencia ; iudeum conveniendo, et eum stimulando, et cogendo eum ad credendum qualiter in adventu Iesu Nazareni sit adimpletus et corroboratus Messie adventus per prophetas promissus et prenunciatus, seu prophetatus.

Non tantum sua Sanctitas prestitit licenciam predictorum omnium, verum eciam nobis expresse mandavit quod prefata dubia in presencia eiusdem Sanctitatis sine hesitatione explicaremus argumenta, nam in omni informacione hec regula sive ordo debet observari. Prefatus insuper magister Ieronimus dixit pluries ac sepeissime quod si argumenta nostra predicta et obiecciones clare ac patenter ostendere omiserimus, ipse nos manifeste docebit hoc fore nostram ingentem rebellionem vel pertinaciam.

Idcirco Patris Sanctissimi cupientes adimplere preceptum, deliberavimus illi esse obedientes, et fugere ab eo quod est tangens rebellionem vel adherens duricie vel pertinacie, dubia et argumenta et obiecciones que secuntur monstrantes vel explicantes sub forma sequenti :

Cum talmudice auctoritates per magistrum Ieronimum contra iudeum allegate sub diligenti studio perscrutentur, patet clare omnes narrare et concordare quod adventus Messie per iudeos expectati non verificetur in adventu Iesu Christi, quod est oppositum eius quod magister Ieronimus intendit concludere ex eisdem.

Et ad profundiorum dicte intencionis declaracionem dicunt rabi Ferrer et rabi Mathias, rabini iudeorum :

Ponamus igitur quod unus doctor talmudista illorum qui talmut copilaverunt seu composuerunt hic esset pro presenti dicens : mille anni sunt, et non plures, quod natus est Messias per prophetas prenunciatus.

Dicit christianus arguendo contra iudeum : Ex ista propositione sequitur manifeste quod Messias prenosticatus per prophetas est iam natus.

Respondet iudeus et dicit : Per hanc eandem propositionem manifeste patet quod in nativitate Iesu Nazareni non fuit adimpletum, nec corroboratum ortus seu nativitas Messie per iudeos expectati, quia a die nativitatis Iesu usque ad presentem diem ultra mille annos publicum est effluxisse.

Considerari igitur oportet et videri si ex hac propositione potest aliquis ex prefatis altercantibus alium convenire seu concludere, aut non.

Christianus altercatur et dicit contra iudeum : Ego minime curare deo, nec laborare, ex illa parte dicte auctoritatis, que

facit et venit contra me. Nam ego non do fidem in auctoritatibus talmudicis ; sed iudeus qui dat eis fidem, et habet eas ut auctenticas, convenit eos confiteri et concedere quod ex dicta auctoritate concluditur natum esse Messiam.

Respondet dictus iudeus dicens quod christianus, qui non dat fidem in dictis auctoritatibus, nec debet vigore illarum aliquid facere.

Racio est quia non debet curare nec laborare in sciendo an vere sint vel false. Racio enim adhuc est quod nec curet nec laboret illas explanare, per modum quo debent declarari, per regulas scilicet talmudicas. Conclusio namque, quam christianus conatur elicere ex eisdem, est respectu suo seu opinione sua, elenca conclusio. Iudeus vero, qui cogitur cum eisdem operari in mutacione sue secte vel credencie, illarum vigore recepit conclusionem prefatam ut demonstrativam conclusionem. Ideo oportet eum, prius quam vigore earum auctoritatum operetur, certificari qualiter semper sunt vere, et nullam continentes falsitatem, in parte, nec in toto. Satis quidem esset rudis et male fortunatus, si regebatur in operando ita sumptuose vigore unius auctoritatis ; postquam autem opus adimpleverit per eandem, haberet eam publice falsam notare, seu iudicare, ac mendosam.

Verumptamen, si christiano placent, postquam iudeum instantanter requirit quod vigore predictarum auctoritatum suam credenciam mutet, ut inquit quod ad hoc tenetur, iustum esset quod obligaretur repellere seu vitare contradiccionem in auctoritate reperta, et vigilaret utique et studeret in dirigendo et satisfaciendo obieccionibus et argumentis a iudeo formatis super glosa, quam christianus in prefatis auctoritatibus facere nititur, et quod plene ac sufficienter predictarum auctoritatum quodlibet vocabulum punctuaret taliter, quod romancium vel translacio dicti vocabuli iustum esset, vel verum, non quidem falsum aut sophisticum.

Verbi gracia, in auctoritate namque de Thana deve 'Elyau' [E. Elyahu], romanciavit prefatus magister Ieronimus : «legitur in studio». Dicunt rabi Ferrer et rabi Mathatias, loquendo cum debita reverencia, quod romancium huius vocabuli *deve*, non est iustum ; nam *deve* non vult dicere «in domo», nec «in studio».

Verbi gracia, adhuc dicit rabi Samuel, filius de Naamam : «in die eodem quo natus est Messias, fuit templum destructum».

Convenit dictus magister Ieronimus iudeum dicens : Ex hac quidem auctoritate patet manifeste quod doctor eiusdem intelligebat et concludebat Messiam venisse.

Supradicti rabini respondent sic dicentes : Clare patet et ma-

nifeste per dictam auctoritatem adventum Iesu nondum esse completum, nec in adventu Messie per iudeum spectati esse verificatum, nam in die quo fuit destructio templi, fluxerunt 73 anni quod Iesus natus fuerit.

Respondit magister Ieronimus ad hoc inquires: Hoc vocabulum *semolad* non vult dicere quod natus est, sed quod mortuus est; vocabulum quod significat destructionem non vult dicere quod destrueretur ipsamet domus sed quod destruerentur et tollerentur miracula que fieri solebant et ostendi in eadem.

Super hoc autem et simili altercant et disputant christianus et iudeus aliquo tempore.

Cum autem bene altercati sunt, et disputaverint, iudeus tacet, ut impendat debitam reverenciam. Verum, cum est in domo propria, cogitat in romancio supradicto seu dicta explanacione, et non contentus cum eo, remanet in eius credencia, et adhuc in ea corroboratur vigore dicte auctoritatis.

Et ex hinc, cum licencia et ex prefato mandato, cum maiori et humili reverencia qua possumus atque scimus beatissimi Patris, sui que sacri Collegii, cum honore eciam honorabilis magistri Ieronimi, transibimus per singulas dictarum auctoritatum, explicantes et monstrantes dubia sive argumenta aut obiecciones nobis super auctoritatibus prefatis ad presens occurrencia.

Prima namque auctoritas per dictum magistrum Ieronimum superius allegata est: «tana deve 'Elyau'» [E. Elyahu], etc. Quam quidem auctoritatem romanciavit dictus magister Ieronimus sub hac forma:

«Legitur in studio Helie: sex mille anni est mundus: duo mille de vanitate, duo mille anni de lege, duo mille de Messia. Et propter peccata nostra iam sunt elapsi qui vel quot sunt elapsi» (1).

Dicit rabi Ferrer et rabi Mathias: Optimum quo indigebat dictum romancium super illo vocabulo *deve*, superius nominatum est. Item deficit dictum romancium vel explanacio in uno vocabulo, scilicet, «multiplicaverunt», sic inquite auctoritate: quod «propter nostra peccata que multiplicarunt, seu multiplicata sunt, quia iam sunt elapsi de duobus mille annis dierum Messie numerus qui elapsus est».

Obiecciones autem quas habent dicti duo rabini contra glosam vel exposicionem per dictum magistrum Ieronimum super dicta

(1) Sanh. 97 a y b.



auctoritate factam, ut iudeus conveniretur et obligaretur ad credendum Messiam iam venisse, sunt hec sequentes :

Magister vero Ieronimus in sua glosa ponit quod prefata auctoritas fuit dicta antequam complerentur duo mille anni ultimi dictorum sex mille annorum, et quod actor ipsius de tempore futuro loqueretur. Et adhuc plus debet poni ut conveniat, ad hoc quod dicta auctoritas veritate nitatur, scilicet, ut habeat certitudinem quod sic fuit in re, quod Messias venerit tempore prenunciato seu per actorem assignato. Nam dicto actoris solius, si dubium esset, iam non oporteret dicere an falsum sit, non enim convenit vel obligat.

Vigore dicte auctoritatis per modum superius glosate vult dictus magister concludere Messiam iam venisse.

Dicti vero rabini respondent dicentes : Quod alicui textui continenti falsitatem in toto vel in parte non debet fides prestari aliquis, nec debet quis per eum regi vel operari.

Sed textus predicte auctoritatis, glosatus modo predicto, continet falsum.

Ergo non debet ei fides adhiberi, nec debet aliquis eo regi.

Veritas nempe premissa maioris est nota et manifesta.

Veritas autem minoris manifestatur et patet pro tanto dicendo quod, iuxta dictam glosam, non debebant esse dies Messie ultra duos mille annos. Et hoc duabus rationibus :

Una quidem, quoniam in dicta auctoritate dicitur : «duo mille anni de lege», quod debet exponi et declarari absque hoc quod sit adventus Messie infra eos ; nam, si non, non habet locum nec rationem attribuendi legem duobus mille annis mediis plusquam duobus mille ultimis.

2.<sup>a</sup> ratio : nam dicitur : «duo mille anni», et non plures, sive propter vocabula in se, sive quia presumitur quod actor nichil de diebus prosperitatis diminueret. Et secundum dictam glosam adventus Messie fuit intra duo mille annos ; deficiunt nobis duocenti et quadraginta quinque anni. Sequitur igitur quod dictus textus est falsus, nec debet ei fides adhiberi, nec per eum operari.

Si vero dicat dictus magister Ieronimus quod talis falsitas sicut ista potest bene tollerari, dicti rabini respondent : quod ipsi nolunt regi, ut mutant eorum legem, per textum parvam vel multam continentem falsitatem, cuiuscumque modi vel condicionis existat.

Ulterius inquit quod omnis glosa falsitatem inducens seu producens ipsamet est falsa et nulla.

Sed glosa superius dicta producit seu inducit falsitatem, ut dictum est.

Sequitur igitur quod sit falsa. Et talis est vitanda et segreganda.

2.<sup>a</sup> autem obieccio contra glosam prefatam est :

Omnis propositio implicans contradiccionem est annullanda et cassanda taliter per eam minime debet operari.

Sed dicta propositio seu auctoritas, per modum predictum glossata, in se implicat contradiccionem.

Sequitur quod est cassanda et annullanda.

Maior autem notoria est, et manifesta.

Minor enim est vera, cum in fine auctoritatis supradicte continetur : «et propter nostra peccata que multiplicata sunt, sunt elapsi quod sunt elapsi».

Videtur ex hac adiectione sive caudula, quod, cum illa auctoritas fuerit dicta, erant iam incepti duo mille ultimi anni.

Respondet prefatus magister Ieronimus ad hoc dicens : Dictam adieccionem vel caudulam non esse dictum actoris, sed alterius moderni doctoris vel rabini. Et ad huiusmodi dicti corroboracionem auxiliatur ex eo quoniam invenit in aliquibus libris paucis quod contineatur in eis numerus annorum qui iam effluxerant de ultimis duobus mille annis, absque adventu Messie, in quo quidem numero reperitur diversitas in libris.

Respondent dicti rabini dicentes : Quod iuxta tenorem quem ipsi reputant veridicum in predicta auctoritate, tenorem scilicet plurium librorum, quia non ponitur in eo aliquis numerus, cogitur magister Ieronimus concedere eius glosam esse nullam et nullius valoris, cum in prefata auctoritate, absque dubio, includat seu inducat contradiccionem. Opus est enim sibi ut applicet se vel adhereat tenori aliquorum librorum paucorum, et cum eis iudeum impugnare. Ad quod respondent dicti rabini dicentes : Qui vult informari ex aliqua veritate, erraret utique manifeste, si, tenore plurium librorum omisso, per tenorem paucorum regeretur, et reprehensione non modica esset dignus, et ebes demonstraretur atque rudis vel ignorans ; propter quod dicti rabini concordant se regi tenore plurium librorum et gubernari.

Ulterius dicunt prefati rabini quod tenore paucorum librorum bene ostenditur quod aliquis rabinus modernus voluit specificare numerum annorum qui preterierant de illis duobus mille ultimis, tempore suo, absque adventu Messie ; qui quidem numerus est occultus in tenore vel respectu plurium librorum. Sed non sequi-

tur ex hoc quod tenor plurium librorum non sit verus, iuxta cuius tenorem destruitur et penitus confunditur glosa predicta. Ideo rabini antedicti inquit quod ipsi non vident, nec reperiunt in Talmud aliquem rabinorum dixisse iam venisse Messiam.

3.<sup>a</sup> vero obieccio sive argumentum, reprobando vel dictam auctoritatem impugnando, quod 'in verissima' [E. verissima] ratio iuxta glosam superius dictam est hec :

Per nullam propositionem seu auctoritatem reprobata et impugnata per quamplurimos doctores et sapientes debet quis regi vel gubernari.

Sed prefata auctoritas per formam superius habitam glosata, reprobata est vel impugnata per quamplurimos doctores et sapientes. Sequitur quod prefati rabini minime regi debeant seu gubernari per eandem.

Maiores quidem est notoria et manifesta.

Minor autem verificatur per auctoritatem iubileorum. Sunt quamplurime alie auctoritates auctoritati illi, scilicet, «legitur in studio Helie», in toto aut in parte contradicentes, quod quidem clare patet in libro vocato Havodazara, et in libro vocato Sanhedrin, ultimo capitulo.



## SESION L

HIIS IGITUR per prefatum rabi Ferrer, nomine suo et eius consocii rabi Matathie, sic lectis et publice recitatis, supradictus magister Ieronimus ad errores seu cavillationes per rabinos Ferrer et Matathiam in prefata responsione clarius et plenius ostendendum et elucidandum, sic ait :

Me quidem oportet facere quoddam presuppositum, cum quo duo cavillationum modi evellantur, ex quibus rabini prefati in diversis partibus responsionis sue credunt adiuvari. Et ut dictum presuppositum cunctis possit clarius patere tale exemplum premitam :

Antequam sanctissimus dominus noster Papa de villa Paniscole veniret, duo erant homines in quadam fenestra alicuius palatii. Cuidam vero eorum visum est turbam magnam venire. Qui alteri sic affatur : Certe ibi deberet esse Papa veniens. Cui alter respondit : Non est verum, nam quod vides non sunt homines, sed rami vel arbores. Primo vero sic confirmante quod homines essent, alio vero arbores vel rami, diu sic altercati sunt, et ambo super hoc invicem vadiarunt. Deinde ad portam civitatis venientes, quosdam perinde transeuntes interrogaverunt quidnam esset illud quod apparebat. Qui transeuntes responderunt : Homines. Verumptamen an Papa cum eis vel ne, eis declarare nescierunt. Nunc, qui dicebat illud esse homines, dicebat se vadia lucratum esse, cum per testes iam probaverit illud homines esse. Alio vero hoc inficiente, cum sibi non probaverit quod Papa ibidem veniret. Et isto replicante, quod ipse non vadicaverat seu obligaverat se super Pape adventu, sed solum super hoc, scilicet, an illud quod per viam videbatur, an homines essent vel non.

Certum enim est quod nullus sit adeo tam parve rationis, quin iudicet illum vadium lucratum esse qui dixit illud tale homines esse vel fuisse.

Ad propositum vero redeundo, est verum quod finis, seu principalis intencio disputacionis presentis vel informacionis est probare Christum fuisse et esse verum Messiam, in lege promissum, et a prophetis prenunciatum. Verumptamen, articulus super quo fit presens altercacio, ad cuius probacionem talmudice auctoritates fuerunt inducte, et super quibus solum dicti rabini volunt cavillare, est scilicet : an iam venerit dictus Messias vel ne, nullo habitu respectu ad Christum seu ad quamcumque aliam personam.

Et sic, quando iudei in hac disputacione volunt aliam miscere materiam, ut puta, dicere an in Christo fuerit adimpletus adventus Messie vel ne, est sicut ille qui vadiaverat illud homines non esse quod oculis apparebat.

Et deinde iudeus volens excusari dicit : quia ibidem non venit Papa ; quod nempe nichil facit ad propositum vadii, quamvis a principio causa motiva ad vadiandum fuerit loqui de adventu Pape.

Ex hoc namque presupposito, immediate patet dictorum rabinorum cavillacio manifesta in principio dicencium : quod eos cogebam et at credendum compellebam in Iesu Nazareno fuisse completum ortum Messie promissi et per prophetas prophetati.

Non enim est verum quod amodo in presenti disputacione fuerit tractatum, neque de tali facto tractetur. Sed solum an Messias venerit vel ne.

Et hac quidem cavillatione uti volunt prefati rabini in quampluribus et diversis partibus sue responsionis, applicantes se cotidie rei non principali, et extra nostri materiam processus ; nam, ad presens, illius rei nullam facimus mencionem.

Unde patet dictos rabinos esse convictos super hoc articulo, scilicet, quod Messias iam venit, et ad subterfugiendum miscere volunt cum eo alium articulum, videlicet, an Christus Messias fuerit. De quo ad presens nichil est actum, tractatum, discussum, nec disputatum. Si ipsi tamen voluerint ad illum articulum nos transferre, Messiam iam venisse, super quo hec fuerit altercacio prima, oportet eos primitus confiteri. Ex tunc autem, divina gracia favente, illum relictum articulum, ita clare sicut istum, et plus, probare eisdem sum paratus.

Cum hiis autem, quam nobis Sanctissimus dominus noster Papa assignavit regulam, et eam in principio huiusmodi informacionis sequi mandavit, scilicet, an Messias venisset, deinde

scire quis sit et fuerit ille, observabimus inconcusse. Que quidem regula, tam per logicam quam per philosophiam naturalem et moralem est valde notabilis et approbata.

Per logicam quidem: sic omnis premissa precedit eius conclusionem, nam ideo dicitur premissa; et ideo probacio premissae debet precedere probacionem conclusionis, ut optime probat et notat Philosophus in libro Priorum. Ex hoc igitur sequitur quod probacio huiusmodi propositionis: Messias iam venit, quam credo recipere ut premissam ad probandum Iesum Christum esse et fuisse Messiam, debet illam precedere.

Per philosophiam quidem naturalem: Sic omnis nostra cognicio in rebus est ab universalibus et communibus, et ex illis venimus in cognitionem singularium et particularium, ut patet clare per Philosophum in Primo Phisicorum. Sed habere cognitionem quod Messias iam venerit est universale; et habere cognitionem quod fuerit talis homo, est particulare illi subordinata. Igitur.

Per philosophiam autem moralem, dico, secundum quod ponit Philosophus in Ethicis: qui vult alium in virtutibus habitare, opus est, antequam illud faciat, tollere ab eo vicia. Simile namque huic in rebus reperitur sensibilibus et terrenis; qui vult enim agrum seminare bono semine, oportet eum primo collere, et expurgare zizaniam omnesque herbas nocivas, cardones, spinas, tribulos vel similia, que in agro sunt antedicto. Hoc facto, seminabit semen bonum ibidem, et affert fructum centuplum.

Pari quidem forma, dominus noster Papa vult errores falsos, et opiniones quibus manifeste estis involuti et vinculati, evelere ac dissipare, quorum quidem errorum principalior atque universalior est credere, ymo temere et asserere nondum venisse Messiam. Illo siquidem de medio cordium vestrorum radicitus sublato, Sanctitati domini nostri Pape super cognitione verissima alterius conclusionis, scilicet, quis sit ille Messias, queve sint condiciones eiusdem, et subsequenter in omnibus fidei articulis orthodoxe, sua benignissima pietate et intima caritate placebit per se vel per quem idem sanctissimus dominus noster Papa duxerit deputandum, fundamentaliter et ad plenum informare.

2° vero cavillacio quam vos iudei, in vestro posuistis scripto, est in quamplurimis et diversis locis nominare quod condiderim certam glosam in prefata auctoritate sex mille annorum. Quod quidem, cum honore loquendo audiencium, non est sic, nam numquam eam glosavi, nec in processu hoc valebit reperiri; ymo eam simpliciter allegavi, ut patet ad literam posui nichil addito, nichil-

que remoto in eadem. Et ponendo eam simpliciter, absque glosa, sicut doctor eam posuit, sequitur optime conclusio mea. Vos autem, ut errori vestro appropriare valeatis, habetis glosare replecionibus textum excedentibus vicesies ultra.

Ideoque presuppositum presupposui supradictum, ut ubicumque vestre probacionis et obieccionis, quam fecistis contra me, fiat mencio aliqualis de quacumque harum cavillationum, non me oporteat respondere, sed dumtaxat ad prefatum presuppositum respondendo remittere.

Hoc si quidem fundato presupposito, vestram scripturam tres particulas principaliter et universaliter reperio continere :

Primam enim, credendo probare quod in dictis auctoritatibus, quas allegavi, non sequitur finalis conclusio presentis processus nostre informacionis, certas rationes inducere.

2<sup>am.</sup>, contra glosam per vos michi attributam, quam pretenditis me facere super dicta auctoritate sex mille annorum, tres obiecciones seu argumenta ponere.

3<sup>am.</sup>, prefatam auctoritatem et illam 85 iubileorum glosare, et quod illud quod ponitis seu dicitis sit intencio doctoris, credere pertinaciterque sustinere.

Prima quidem particula superius dicta, attente considerata, et adhuc per quamdam declaracionem per vos factam, quatuor continet rationes :

Primo namque, causa finalis informacionis iudeo facte per dictum magistrum Ieronimum super dictis auctoritatibus, videtur esse ut iudeus ad fidem orthodoxam convertatur ; hoc, scilicet, qualiter in adventu Domini nostri Iesu Christi verificetur et omnia compleantur de adventu Messie dicta et per prophetis prophetata. Sed in dictis auctoritatibus continetur oppositum. Igitur sequitur quod dictus magister Ieronimus non possit eis gaudere, nec ad informandum uti eisdem.

Ad quod immediate respondendo dico : hanc rationem esse vanam et frivolam, et penitus nullam, per rationes per me in presupposito prius positas.

Ad plenioram tamen satisfaccionem et huiusmodi declaracionem, dico quod, inter homines modum arguendi non ignaros, adhuc potest negari consequencia, et premissae etiam dicti argumenti. Verum, ad expedicionem brevioram, et ad nostram intencionem elucidandam, et ad reprehensionem verborum vestrorum, hoc esse monstretur, quamvis improprie loquamini, nolo tamen omnino negare maiorem, sed eam volo distinguere sub forma sequenti :



Dico quod est verum quod finis ultimus ad quem intendo, et circa [E. + quem] meus labor versatur in tota superiori informacione, est ille quem ponunt rabini, scilicet, dare eis ad cognoscendum qualiter in adventu Salvatoris nostri Iesu Christi completa fuerint ac verificata omnia per prophetas prophetata, et que futura esse dicebantur tempore Messie. Prefati tamen rabini negare nequeunt quod in una eadem re sunt quamplurimi fines, quorum unus est ultimus finis, alii vero sunt quasi via et medium ad illum, quia sicut ait Philosophus, quod est primum in intentione est ultimum in executione. Unde, et licet finis ultimus presentis informacionis ille sit quem ipsi dicunt, antequam tamen ad illum veniamus, sunt alii medii fines, antecedentes in executionem, tamquam premissi ad illum; quorum unus de principioribus est iam venisse Messiam concludere, sicut ratio superius dicta et ordo per Sanctissimum dominum nostrum Papam assignatus clare monstravit, et ut superius in presupposito laicius probavimus vel difuse.

Unde necessario sequitur quod pro nunc non debeamus curare, nec tractare nisi solum hanc: Messiam venisse per prefatas auctoritates probare.

Subsequenter, postquam hoc fuerit conclusum et per vos michi concessum, nostrum bonum processum gradatim, favente Domino, prosequemur, usquequo ad finem ultimum perveniemus, scilicet, quod in adventu Domini nostri Iesu Christi Salvatoris nostri, omnia que de Messia per prophetas fuere prophetata, sunt in eo ad plenum completa. Et hoc quidem sufficit quo ad primam rationem.

2<sup>a</sup> vero ratio, per vos michi facta, est ista:

Glosa alicuius auctoritatis vel declaracionis non debet committi fidem eidem non prestanti. Sed christianus in auctoritatibus talmudicis non prestat fidem.

Sequitur ergo quod declaracio earundem non debeat eidem committi.

Minor enim per partem adversam est concessa. Maior autem probatur sub hac forma:

Ille qui non dat fidem in aliqua auctoritate, non delectatur in eadem. Et si in ea vel cum eadem non delectatur, non edificatur nec investigat plenarie in eadem, ut ponit Aristoteles in X<sup>o</sup> Ethicorum. Et si non investigat plenarie in eadem, erraret de facili in declaracione eiusdem. Sequitur igitur quod sibi non debeat committi.

Ad hanc racionem 2<sup>am</sup>. respondeo: quod premissa maior po-

test calumpniari et falsa reputari, nam possibile est aliquem tempore aliquo uni auctoritati fidem prestare, et in eadem perscrutari seu investigare, et subsequenter ad declarandum eandem sufficiens reputari. Et deinde ad casum venire ubi illi doctrine, propter errores in eadem contentos, nullam fidem 'prestare' [E. prestaret] eidem.

Non tamen ex eo sequitur quod propter illud non debeat fides prestari et dari declaracionibus quas ipse faceret super auctoritatibus eiusdem, quemadmodum hodie sunt quamplures valentes ac notabiles Christi fideles et catholici, qui dum in cecitate iudayca permansissent, sciencia talmudica sine dubio valde imbuti et fundati, investigantes tamen in eadem, per quas regulas atque vias debebat sciencia talmudica seu Talmud intelligi ac glosari, et auctoritates eiusdem, et diurnis temporibus vacarunt in eisdem, nunc vero tam Talmud quam auctoritatibus eiusdem non immerito fidem nullam ipsi prestant, ymo eam dari reprehendunt. Non tamen exinde sequitur quod sciencia talmudica quam tunc temporis acquisierunt, glose et intellectus dictarum auctoritatum, sicuti vobis, non possint ita secure eisdem committi. Verbi adhuc gracia, si enim Aristoteles, magnus apud omnes in philosophia et in rebus eiusdem peritus, et non immerito approbatus, ad fidem fuisset orthodoxam conversus, certum est quod quamplures auctoritates philosophorum, ut puta, illam: mundus fuit ab eterno, et sibi quamplures similes, que contra fidem catholicam directe veniunt, revocasset, et illas falsas censuisset. Tamen cum illas per doctrinam philosophicam contingeret declarari, nemini dubium, quod ipse clarius quam alter, atque profundius, easdem declararet. Videmus autem quamplures fide orthodoxos philosophiam in quamplurimis passibus, ubi numquam fidem aliquam prestiterunt, optime illam et profundissime glosasse. Et eciam nonnulli iudeorum, ut rabi Moyses de Egipto, hoc idem, si bene attenditis, reperietis quod fecerunt.

Unde 'quod' [E. '—'] manifeste patet vestram premissam maiorem non esse veram. Ad probacionem enim quam facitis de eadem maiori, dicentes quod non delectatur cum ea, etc.

Respondeo dictam probacionem [E. + non esse sufficientem, quoniam non obstante quod isti vel illi] quos pro parte allegatis adversa non delectentur pro presenti, verumptamen olim, et magnis temporibus citra, delectati fuerunt et perscrutati in eisdem tantum, sicut et vos hodie, vel qui delectamini pro presenti, et adhuc plus. Et qui nullam prestat fidem in aliqua auctoritate potest optime delectari, et eam intelligere ad convincendum ex ea

dantem fidem in altercacione aut disputacione, que vertitur inter eosdem. Et ex hoc nempe sequitur, quod victoria sit quoddam delectabile valde, cum vos asseratis delectacionem esse causam melius rem intelligendi.

Sequitur, igitur, quod christianus qui recipit auctoritates talmudicas ad iudeum convincendum, eas debet melius et profundius intelligere, postquam magis delectatur in eisdem. Et, ex consequenti, ex vestris rationibus propriis, sequitur oppositum illius ad quod vos illas inducitis. Et sic videmus Aristotelem rationes suorum adversariorum, cum quibus ipse eos devicit, esto quod eis nullam fidem daret, ymo eas reprobabat, melius ac profundius quam ipsos intellexisse, ut patet Primo Phisicorum.

Et hoc quantum ad rationem 2<sup>am</sup>.

3<sup>a</sup> vero ratio per vos iudeos michi facta est :

Nullus vigore huiusmodi auctoritatis moveri debet ad operandum cum, facto opere, oporteat illud falsum reputare aut in totum aut in parte.

Sed iudeus cum aliquod opus fecisset per prefatam auctoritatem, haberet illud reputare ut falsum.

Igitur sequitur quod non debet moveri ad operandum cum eadem.

Hac eadem ratione, aliter tamen posita :

Opere quidem facto per virtutem dicte auctoritatis, oporteret notare seu reputare ut falsum.

Sed reputando illud ut falsum non debet operari per eandem [E. + rationem].

Sequitur igitur quod idem opus se ipsum retractat.

Adhuc prefati rabini inquirunt : Credimus namque quod hec eadem ratio retractare debet et christianum repellere informatorem nuncupatum ne de eisdem auctoritatibus gaudeat ad informadum.

Ad hoc quidem respondeo, quod esto quod maiori pro nunc cedatur, tamen minor est falsa in nostro proposito, quod est velle probare et iudeum compellere ad confitendum venisse Messiam. Nam dicta probacio ac iudei confessio est opus super quo iudeus convenitur, et vigore huiusmodi auctoritatis est requisitus ; et non est aliud opus ad presens. Non enim iudeum convenio, 'ne' [E. ut] huius auctoritatis vigore compellatur operari ut in continenti baptizetur, vel ad baptismum accedat, sed requiro eum vel convenio ut huiuscemodi auctoritatis vigore teneatur confiteri iam venisse Messiam. Quo opere sic completo, scilicet, facta dicta confessione, non sequitur ut postquam dictam confessionem fecerit

teneatur dictam auctoritatem falsam, ymo verius, quantum facit ad propositum, veriozem ac verissimam reputare.

Unde sequitur dictam rationem esse nullam atque cassam [E. + quod] ut concedatur Messiam iam venisse teneatur totam prefatam auctoritatem falsam reputare, ut superius dictum est.

Et hoc quantum ad 3<sup>am</sup>. rationem.

4<sup>a</sup> quidem ratio dictorum rabinorum est :

Sola auctoritas illa cuius omnes partes sunt interpretate et vulgariter iuste expresse potest servire aut sufficere ad informandum.

Sed dicta auctoritas non est iuste vulgariter expressa, nec declarata seu explanata.

Sequitur igitur quod non potest servire ad informandum.

Ad hanc rationem respondeo maiorem esse falsam, cum omnibus pateat manifeste quod, dato quod aliqua auctoritas male interpretaretur in aliqua parte aut vocabulo factum proprium seu propositum ad quod in titulo materiam tangente, non ideo conclusio de qua agitur 'immoratur' [E. moratur].

Verumptamen causa brevitatis volo eam iudeo concedere. Dico tamen premissam minorem esse falsam, quoniam prefatam auctoritatem verissime et iuxta veram significacionem vocabulorum sum intepretatus. Ad id vero quod vos iudei dicitis quod illud vocabulum *deve* non significat studium neque domum, ut ego romanciavi vel explanavi, dico quod ymo illud significat et nichil aliud ; quod probo tripliciter :

Primo namque examinatum est per rabinum auctenticum qui legit pro presenti, et diu est se Talmud legisse non minori tempore quam quisque vestrum, qui in presencia reverendissimi patris et domini mei Cardinalis Sancti Angeli, veridice deposuit dictum vocabulum *deve* domum vel studium significare.

2<sup>o</sup> Videtur ad hoc illud significare, nam sic scolariis per magistros in scolis eorum communiter declaratur, quod in diversis locis potest sine dubio probari.

3<sup>o</sup> Nam si illa non esset propria declaracio vel explanacio, videretur quod vos essetis magistri errorum et false doctrine.

Dato tamen, et non concesso, quod prefatum vocabulum id quod dicitis significaret, hoc enim non obstante, adhuc sequitur mea conclusio ex dicta auctoritate.

Et cum hac eadem solucione satisfat ad id quod dicitis quod in auctoritate dicatur : «et propter nostra peccata que multiplicarunt vel multiplicata fuerunt», quod ego non sic romanciaverim seu exposuerim. Dico quod verum est me sic dixisse vel expo-

suisse, «propter nostra peccata que sunt multa», quod valet tantum quantum hoc vocabulum multiplicaverunt. Et adhuc dico quod, esto quod dixerimus quod multiplicarunt, et quod non nominassem aliud, mea tamen conclusio non minus valet propter hoc, precipue cum homo possit dicere quod altercacio ista quam super romanciando seu illud explanando facimus sit superflua. Ego vero in hebraico allego vobis auctoritatem, et ex verbis hebraicis ostendo et intendo vobis hoc idem concludere; nam romanciatio aut expositio vel explanatio non fit nisi ad dandum intelligi hiis qui hebraicum ignorant. Unde tales rationes in platea seu consistorio simili minime essent allegande, sed eas deberetis servare abscondas, ut alias dixistis illas usque modo servasse. Impono hic igitur silentium responsionibus prime particule et eiusdem satisfaccionibus.



## SESION LI

DIE VERO MARTIS, trigesima ianuarii, prefatus magister Ieronimus proposuit dicens :

Secunda vero particula locucionis vestre est tres ponere obiecciones vel argumenta contra glosam michi impositam seu attributam, quam ut asseritis, fecerim super auctoritate sex mille annorum. Et antequam loquamini in dictis obieccionibus dicitis : Magister Ieronimus in glosa eius ponit quod de dicta auctoritate dictum est antequam incepissent duo mille anni, etc.

Ad illud vero quod michi imponitis, scilicet, quod glosam condidderim, in presupposito quidem meo satis credo respondisse, scilicet, quod nullam glosam noviter fecerim, ymo textum ad literam recepi simpliciter, nichil addito, nichilque inde remoto. Sic autem eam recipiendo, clare patet quod fuit revelacio Helie dicta seu revelata multo tempore antequam inciperent duo mille anni Messie, ut sufficienter superius satis probatum est.

Deinde dicitis : adhuc debet addere plus, ut dicta auctoritas sit verissima, scilicet, habere certitudinem quod sequatur ad rem quod Messias venerit, etc.

Respondeo iam me sufficienter probasse et 'concludisse' [E. conclusisse] adventum Messie preterisse, et realiter iam fuisse, et hoc ex virtute verborum actoris. Que quidem verba non debent falsa reputari, neque dubia, iuxta credenciam vel sectam iudeorum. Ecce igitur qualiter patet manifeste vestra pertinacia, nam non solum utimini cavillationibus, ymo eciam queritis rem valde grosam et ratione carentem. Nam si inducens aliquam auctoritatem ad eius fundandam intencionem, haberet ostendere qualiter ex ea factum ad rem ita sequatur sicut in auctoritate continetur,

excusabitur seu excusari poterit auctoritas, quoniam probato facto, et sic fuisse, iam utique probasset eius intencionem absque alicuius auctoritatis allegacione.

Verbi gracia : si dixerō alicui fidem in Biblia prestanti, scilicet, christiano aut iudeo, quod propter oracionem Helie descendit ignis de celo in monte Carmeli, et combussit bovem, unde fecit sacrificium ; subsequenter adversario dicente michi : proba illud ; et tunc allego sibi textum ystorie III<sup>o</sup> Regum, XVIII, ubi hoc ipsum dicitur ad literam (1). Respondet autem ipse : Non sufficit michi nisi probaveris hoc ita fuisse de facto. Manifestum enim est hunc hominem, sic petentem, grositudinem non modicam petere, et unum quid iniustum et irrationabile, postquam sibi constat et patet per scripturam auctenticam, per eum approbatam.

Ex quo hoc loqui in tam excellenti platea sicut est ista, valde est viciosum et ridiculosum.

Ex hoc eciam patet intencionem vestram esse magis ad subterfugiendum quam ad veritatem sciendum, postquam vobis ad literam dixerim, per vestrosque proprios doctores probaverim, idem insuper autem petistis seu petitis, qualiter illud de facto acciderit, vobis ostendam.

Deinde adhuc quamdam formatis racionem silogisticam ex maiori et minori, sic dicentes :

Nulli textui in parte aut in toto continenti falsitatem est fides adhibenda, nec aliquis regi vel operari debet per eundem.

Textus autem prefate auctoritatis, eodem modo glosatus ut dictum est, continet falsitatem.

Ergo, etc.

Respondeo quod, non obstante quod secundum logicam ambe premissæ possunt interimiri seu negari, pro presenti, ad vitandam prolixitatem, et ne limites materie transcendamus, fateri volo maiorem, minorem vero dico esse falsam.

Cum vero vos, iudei, eam creditis per duas raciones probare, quarum prima est quod duo mille anni legis debebant perfici ita quod in nullo eciam tangeret factum Messie, dico quod iam transcenditis metas materie seu presentis propositi. Hec autem est cavillacio ad quam vobis in presupposito respondi sufficienter, scilicet, quod arguitis de re de qua, pro presenti, nulla fit mencio.

2<sup>am</sup>. vero racionem inducitis ad minorem probandam dicentes : quod per meam glosam patet quod adventus Messie esset duocenti quadraginta et quinque anni infra annos legis.

(1) 3 Reg. 18,38.



Dico quod adhuc nichil facit contra me propter duas rationes : unam scilicet quoniam, ut supra dixi, nullam condiderim glosam ; 2am. vero quoniam, dato quod adventus Domini nostri Iesu Christi illo tempore, quo vos asseritis, fuisset, ante, scilicet, duorum mille annorum ultimorum, hoc quidem non repugnat nostre presenti conclusioni que est, scilicet, iam venisse Messiam. Et illud disputare esset contra primum presuppositum. Unde clare sequitur hanc vestram minorem esse falsam, nam postquam ex dicta auctoritate in nichilo michi serviverim pro presenti nisi dumtaxat ad probandum Messiam venisse, manifestum est quod, in quantum tangit hanc conclusionem, nullam continet falsitatem. Et iste est noster principalis articulus, et sic, primo articulo super quo disputamus per [E. + vos] michi concesso atque admissio, divina gracia favente, ostendam vobis qualiter nulla sit ibi repugnancia vel contradiccion inter auctoritatem et tempus adventus Domini nostri Iesu Christi.

2<sup>a</sup> vero obieccio quam contra me formastis est hec :

Omnis propositio implicans in se contradiccionem cassanda est et annullanda, taliter ut per eam minime debeat operari.

Sed dicta propositio seu auctoritas, per formam superius habitam glosata, implicat in se contradiccionem.

Igitur cassanda et annullanda.

Respondeo quod maior et minor sunt false. Maior quidem, nam non est verum quod ex propositione implicante in se contradiccionem non debeat aliquid operari, ymo est totum oppositum. Gracia exempli, sit aliquis qui Petrum occiderit, et cum interrogatur, confitetur dicens : verum est quod dederim sibi unum ictum cum gladio, de, vel ex quo, mortuus est, sed eum non occidi. Hec autem propositio vel confessio in se implicat contradiccionem, verumptamen magnum opus sequetur ex ea, scilicet, condemnare illum ad mortem. Unde sequitur maiorem esse falsam.

Pari autem modo est questio que vertitur inter nos de presenti. Nam postquam ad oculum cernitis contradiccionem et repugnanciam inter vestros rabinos esse, que loco confessionis debet dari seu censi, postquam eis eciam plenariam datis auctoritatem, merito haberi debetis pro convictis, tamquam si vosmet illud confessi essetis.

Ad minorem quidem dico quod, cum dicitis contradiccionem ostendi in quantum auctoritas fuit dicta postquam incepti sunt duo mille anni Messie, et sic sequeretur contradiccionem quod essent duo mille anni et non essent duo mille anni Messie. Dico vobis, iudei, quod valde vultis oculos gencium offuscare, et quod non

est dare ad intelligendum quod est. Clarum enim est istam contradiccionem seu repugnanciam ex auctoritate non sequi, si eo modo ponatur, quo in litera iacet, et quemadmodum eam hic publice allegavi; sed sequitur ex glosa quam vos facitis. Ponitis enim quod addicio est de essentia auctoritatis, et quod totum est dictum unius doctoris; et allegacio mea ponit quod sint verba doctorum diversorum. Insuper asseritis hoc fuisse dictum post duos mille annos ultimos, et quod eam dicens non erat Helias propheta. Ego dico hoc fuisse dictum antequam inciperent duo mille anni, et per Heliam prophetam; et illam addicionem fuisse dictam postquam fuerunt incepti duo mille anni.

Unde patet necessario ex glosa vestra venire contradiccionem, non autem ex parte mea, et iuxta meam intencionem.

Affirmatur ex diversitate in libris reperta, scilicet, in numero annorum addicionis, quam introduxi ad repellendum glosam vestram. Cum vero dicitis plures libri seu codices sint non facientes de aliquo numero mencionem, dico illud esse falsum, nam exhibui, et adhuc exhibeo libros in iudaysmo repertos, in quibus, sicut posui, reperitur.

Vos tamen, ad vestram intencionem fundandam, aliquem librum neque exhibuistis nec adhuc exhibetis vel monstratis. Et dato quod aliquem exhiberetis, meo dicto in nichilo obviaret; nam libri quos allegatis pro parte vestra obscure loquuntur, nullum numerum certum specificantes; quos autem ego exhibeo, certum numerum specificant. Isti igitur declaratores sunt, et non impugnatores. Verbi gracia: unus dicit: in armario vel teca illa sunt pecunie quotquod 'sicut' [E. sint]; alius vero dicit: in 'tecario' [E. teca] illo sunt quinquaginta mille solidi. Certum enim est quod iste secundus non contradicit primo, sed quod primus dixerat declarat. Ex quo non possum reperire qualiter in hoc sit aliqua contradiccio. Ymo ex libris per vos et me allegatis sequitur absque dubio mea intencio. Nam in aliquibus loquitur obscure, in aliquibus ponitur numerus determinatus et certus, qui est declaracio aliorum. Quiquidem numerus talis est et tam grandis quod nisi ad longum tempus postquam Rabasse auctoritatem in libro vocato Talmud scripsit, non potest verificari.

Unde necessario concluditur quod verba auctoritatis et addicio non sunt unius et eiusdem doctoris. Et hoc satis est manifestum, et in nichilo michi repugnat quod vos allegatis, dato quod sic essent quod plures libri 'sint' [E. sunt] qui non declarant numerum, quoniam 'unam' [E. unus] sufficit, quanto magis quod plures reperiuntur ad meam intencionem fundandam. Et sufficit mi-

chi quod per meos adversarios meam probaverim intencionem vel oppinionem.

Ad id vero quod asseritis, quod in vestro Talmud neminem rabinorum reperitis dicentem Messiam iam venisse, etc.

Dico quod isti vestro dicto duo deficiunt : Primum siquidem, quoniam non obstante quod rabini talmudiste non dicant istam propositionem materialiter, seu sicut iacet, Messiam venisse, ex auctoritatibus tamen allegatis et adhuc allegandis sequitur et vere concluditur ipsum iam venisse.

Secundum vero quod, dato et non concesso, quod ad literam dicerent nondum venisse, iam ex hoc non sequeretur illud esse verum, nec debet eis dari fides aliqualis. Unde tam ipsi quam vos pro presenti ceci estis in cognicione veritatis, ut Isaias prophetavit, capitulo VI dicens : «Exceca cor populi huius, et aures eius aggrava, etc. et oculos eius claude», etc. (2).

3<sup>a</sup> vero obieccio, quam contra me facitis, est hec :

Per nullam propositionem seu auctoritatem per quam plures doctores et sapientes impugnata et reprobata quis debet regi et gubernari.

Sed dicta auctoritas, per modum superius habitum glosata, est per quamplures doctores sive sapientes impugnata et reprobata.

Sequitur quod non debet regi quis seu gubernari per eandem.

Ad hoc argumentum respondeo maiorem interimendo, nam plures auctoritates verissime et catholice, a pluribus doctoribus et sapientibus reprobantur, ut puta, creacio mundi ex nichilo, et providencia divina cum libero arbitrio ; que quidem, et licet reprobentur a pluribus, tamen sunt verissime, et regimur per easdem.

Ad minorem vero respondeo, quod, non obstante quod prima facie auctoritas 85 iubileorum non conveniat in tempore cum auctoritate sex mille annorum, hoc tamen non repugnat in aliquo mee conclusioni ; ymo pocius ambe concordant simul et divisim in probando istud, scilicet, Messiam iam venisse. Discordanciam vero temporum, que ibi videtur esse, gracia divina favente, cum de illa materia loquamur, declarabo, ubi patefaciam manifeste quod non sit aliqua inter eas disceptacio vel discordia, ymo, quelibet earum loquitur cum maxima certitudine et vero effectum Messie. Ad presens autem sufficit quod, absque aliqua repugnancia, Messiam iam venisse debite concludatur. Et hoc quantum ad hanc secundam particulam.

(2) Is. 6,10.



## SESION LII

SUBSEQUENTER DĪE IOVIS, prima mensis februarii dicti anni millesimi quadringentesimi quarti decimi, prefatus magister Ieronimus in loco consueto :

Particula vero tertia, est predictas auctoritates sex mille annorum et 85 iubileorum glosare, et credere sustinere quod illud quod dicitis sit intencio doctoris. Vos enim iudei dicitis : Expli-  
cabimus glosam dicte auctoritatis, etc.

Dico quod sine magna consideracione, potest ostendere istam glosam nullum habere locum. Et hoc quinque racionibus :

Prima, quia implicat in se contradiccionem. Nam in uno loco, ubi ipsa asserit quod doctor loqueretur de tempore preterito sentenciando sensualiter et cum certitudine, in alio autem loco dicitur quod doctor loquebatur opinative. Satis est manifesta repugnancia quod in una eadem auctoritate, que est una propositio copulativa, loquatur assertive et dubitative, certitudinaliter et incertitudinaliter.

2.<sup>a</sup> ratio, nam hec glosa repugnat et contradicit dicto vestro superius habito, et per vos in processu concesso, dicentes quod auctoritas fuerat dicta opinative et non cum certitudine, nullam ponentes differenciam inter unam partem auctoritatis et aliam. Nunc vero dicitis quod pars quedam ipsius fuerit dicta certitudinaliter, et alia pars opinative et dubitative.

3.<sup>a</sup> vero ratio, dicitis enim in prefata glosa, quod peccata facta vel commissa tempore legis, tempus Messie retardaverunt. Hec autem ratio contra omnem est veritatem, cum in processu fuerit probatum quod tempus adventus Messie anticipari poterat propter merita, tempus tamen consignatum dilatari seu prorogari non

poterat. Et hoc patet per sententiam vestri Talmud ubi dicitur : «Si fuerint digni anticipabo illud, et si non fuerint digni veniet suo tempore» (1). Cuiquidem auctoritati nondum satisfacistis. Unde sequitur quod, dato quod populus non fuisset dignus, non poterat prorogari tempus eius antea prefixum et limitatum.

4.<sup>a</sup> quidem ratio, dixistis quod actor seu positor auctoritatis loquebatur de tempore preterito, etc. Quia sensibiliter viderat duos mille annos a creacione mundi preterisse, etc., ideo dicebat prefatus doctor quod opinio eius erat quod, si populus Israel non peccasset, in duobus mille annis secundis, etc.

Dico vobis hoc totum non modicam inducere admiracionem, quidquid per vos motum est vel inductum circa istam auctoritatem, cum nichil horum in libris vestris reperiri contingat. Ubi rogo, dicite, quesivistis, aut quis doctor, quisve fuit conditor 'huius-cemodi' [E. huiusmodi] dicti?

Super quo talem vobis formo racionem :

Aut dicta auctoritas venit per revelacionem divinam, ut ego confiteor, aut fuit dicta oppinative, ut vos ponitis.

Si autem per revelacionem, sequitur quod fuit valde constans et vera, et quod fuerit dicta multo antequam duo mille anni Messie inciperent, et per consequens addicio non sunt verba dicentis.

Si vero fuit dicta oppinative, ut vos ponitis se illud dixisse, de futuro loquendo propter iudicium de illo quod iam preterisse viderat, et quod tunc a creacione mundi quatuor mille et quingenti anni aut plus sine dubio iam efluxerant, interrogo vos, iudei : Unde iste presumpsisset, aut scivisset, quod mundus sex mille annis esset duraturus, nec plus nec minus?

Si vero responderetis quod iste presumeret vel presumpsisset eo quia sciebat tres in mundo esse temporum diferencias : legem scilicet nature, legem Scripture, et dies Messie, attendensque quod in primis duobus prefatis quatuor mille anni efluxerant, et iuxta illud considerabat quod dies Messie debebant esse duo mille anni, dico oppositum, nam iuxta illud quod viderat, maior ratio videbatur quod duracio mundi esset septem mille et quingentorum annorum, nam de facto videbat quod a creacione mundi usquequo Deus dedit legem Moysi preterierunt duo mille et quingenti, paulo minus, et non oportebat eum insudare et circuire, et facere quod lex inciperet ab Abraam.

Item videbat adhuc quod iam duo mille anni legis Scripture

(1) Sanh. 98 a.

et ultra effluerant iuxta glosam vestram. Unde poterat presumere dictam legem fuisse adhuc duraturam usque ad complementum duorum mille et quingentorum annorum, et per consequens quod dies Messie durarent aliis duobus mille et quingentis annis. Unde patet quod sermo vester aut glosa nullum habeat locum. Ymo dicens auctoritatem cum magna certitudine loquitur, dixitque sentenciando: «sex mille anni est mundus», non autem presumendo vel opinando.

Unde sequitur vestram glosam esse nullam.

5.<sup>a</sup> ratio: Vos namque dixistis quod duobus mille annis legis non fuit lex, etc. Hoc quidem contra omnem est veritatem, cum ex quo intrarunt babilonicam captivitatem, que fuit purgacio peccatorum usque tunc commissorum, ut supra in processu habito probavimus, usque ad complementum duorum mille annorum, ultra sexcenti anni efluxerunt, in quibus lex mosayca perfeccius et melius quam in tempore seculi fuit inconcusse servata. In toto autem illo tempore interfuerunt homines non modice discrecionis et sanctitatis, et in servicio divino devoti, propter quos Deus ingenicia fecit miracula. Sicuti in Babilonia, in principio templi secundi, fuerunt Aggeus, Zacharias, Malachias prophete, et Daniel et sui tres socii, Baruc et Mordecheus, Zorobabel, Josue sacerdos, Esdras, et Nehemias, et quam plurimi alii, ad complementum centum et viginti, quos viros congregacionis maioris in libro vocato Talmud iudei appellant. Post eos vero fuerunt Machabei, qui magni fuerunt Dei servitores. Et deinde venit alia congregacio illorum qui vocabantur tannaym doctores antiquissimi, ubi erat numerosa multitudo sanctorum hominum miracula faciencium, sicut Samay et Hyllel antiquus, qui erat avus Gamalielis magistri beati Pauli. Qui quidem Hyllel refert in Talmud quod habebat discipulos 80, ita dignos sicut Moyses et Iosue. Et subsequenter fuit rabi Hanina, filius Doça, et Huni Mahegal, et rabi Sadoc, et illi decem doctores martires, qui vocantur decem martires, et adhuc tota gens popularis qui permittebant se prius necari quam ydolatrare, ut legem sustinerent. Quod quidem fuit tempore secundi templi, in fine quatuor mille annorum. Et tunc, tam doctores et rabini, quam totus universus orbis, omnes de nullo alio loquebantur, non cesantes dicere: nunc est tempus Messie, nunc debet venire Messias, ut superius per vos iudeos est concessum in dicta glosa; adeo quod plures ipsorum opera et doctrinam veri Messie sunt secuti, alii vero quemdam nomine Barqoziva in Messiam receperunt.

Unde patet quod ab omnibus confitebatur tunc temporis ad-

ventum esse Messie. Ubi ergo erant tanti et tam excellentes viri iusti et sancti, qualiter esset presumendum quod peccata adventum Messie impedirent?

Igitur tempus eius tunc sine dubio erat, presertim cum in lege repperiatur quod Deus volebat peccata Sodome et Gomorre relaxare propter decem iustos, si tunc reperti fuissent.

Idcirco formo talem rationem :

In fine quatuor mille annorum erat tempus assignatum ut veniret Messias, nisi peccata impedissent.

Sed peccata non impedierunt.

Ergo tunc temporis venit Messias.

Maior quidem nota est per verba glose vestre. Minor autem per rationes superius habitas, scilicet, quod tam maiores quam populares temporis illius legem ad unguem custodiebant ; legem autem bene 'custodiens' [E. custodientes] non taliter 'peccat' [E. peccant] quod impediretur adventus Messie. Unde necessario concluditur quod adventum Messie peccata non impedierunt. Igitur iam venit.

Preterea, glosa sic facta, prorumpitis et hec verba : Iudeus stat et quiescit vel perseverat in hac glosa, cum sibi a predecessoribus suis et glosatoribus libri vocati Talmud per tradicionem est tradita, sicut fuit Salomon troianus, et quam plures alii doctores.

Ad hoc autem respondeo quod non reperio doctorem vel sapientem aliquem dictam glosam facientem ; ymo est prima invenio, quam vos proprio capite vestro facitis et pertinaciter tenetis ac predicatis ad placitum, non autem quod aliquis doctorum ponat vel rabinorum vestrorum ; neque adhuc rabi Salomon, quem vos allegatis, ponit hoc ; ymo asserit totum contrarium, nam modicum ultra post istam leccionem confitetur ipse quod tempus adventus Messie eodem tempore erat quo dicunt auctoritates, paulo plus vel minus, nullam ponens condicionem de peccatis aut de aliquo alio. Hoc namque reperire potestis in libro Havodazara immediate post principium sex mille annorum, ubi sic dicitur :

«Inquit doctor : post quatuor mille ducentorum triginta et unius annorum a creacione mundi, si quis homo dixerit tibi : accipe agrum unum qui valet mille solidos pro uno solido, non capias.»

Et dicit rabi Salomon in glosa sua : «Quare dixit doctor : non facias ? Nam tunc est terminus redempcionis, et congregabimini ad terram sanctam, et perdetur ille solido.» Et sequitur in eadem glosa calculando sua compota. Et in fine concludit tunc esse tem-



pus redempcionis; et in hoc nullam ponit condicionem de peccatis, nec alicuius alterius rei. Unde ex verbis suis concluditur intencio mea, non autem vestra. Numerus autem huiuscemodi auctoritatis venit de directo ad comptum ultimi iubilei 85 iubileorum. Unde patet quod omnes concordantie conveniant ad nostram verificandam conclusionem, que est scilicet, Messiam iam venisse.

Et attendite, rogo, qualiter vos, iudei, verba dicti rabi Salomón et textus talmudicos parum curetis diligenti studio perscrutari, cum in hac glosa dixeritis in duobus locis, quod non erant digni legem perfectam seu completam hereditare usquequo effluerant de duobus mille annis secundis quatuorcenti et octo anni; et cum honore audiencium loquendo erratis in numero 40 annorum, nam quadringenti quadraginta et octo anni fuerunt super duos mille annos primos. Hoc quidem patet clare per textum talmudicum et per comptum quem rabi Salomon extrahit ex libro Genesis. Et hoc est signum quod non perscrutamini diligenter, et non facitis nisi subterfugere. Nam certum est quod, si diligenter animadverteretis, clare reperiretis meam conclusionem fore verissimam, scilicet Messiam iam venisse.

Subsequenter dixistis super auctoritate 85 iubileorum: Respondent dicti rabini, etc.: in dicta auctoritate continentur due sentencie, etc., has duas sentencias declaravit Rabasse qui [E. + fuit] compiler ipsius Talmud, etc.

Respondeo quod hoc cum quo vosmetipsos defenditis, quia dixit Rabasse: «non expectes eum», et «expecta eum» (2), iam satis est superius revocatum, ut patet large supra in processu, et ibi fuit vobis probatum qualiter hec duo vocabula *tiztequi* et *zaqui* non significant spectare, ymo significant videre seu aspicere, ut patet per caldaycam translacionem ex textu ubi dicitur: «et respexit Abimelech» (2 bis), ubi est *beyztequi*.

Item ostendi vobis ad literam, magnam maliciam et obstinationem iniquam rabi Salomónis, qualiter locutus sit parcialiter in glosacione horum duorum vocabulorum *tiztequi* et *zaqui*; sunt namque eiusdem dirivacionis, et unum declaravit pro videre, et aliud pro spectare; et hoc ut bene sibi veniret in angustia in qua angustiabatur, videns quod tempus elapsum esset, et Messias iuxta eius oppinionem nondum venisset.

Verumtamen, hoc non obstante quod actum est in processu, adhuc insuper restat in hoc aliquo modo insistendum, et docere

(2) Sanh. 97 b.

(2 bis) Iudic. 9,43.

qualiter vos iudei, ut iuvaremini ex verbis Rabasse, maliciose falsificatis textum talmudicum dicentes et allegantes in processu disputationis textum sub hac forma: dixit Rabasse, ita voluit sibi dicere: «usque modo non expectes eum, deinde expecta eum» (3). Et ex verbis istis videbatur quod Rabasse hic declarat verba dicta per Heliam rabi Iehude. Deinde recognovi textum et reperio quod eum falsificaveritis in vestra allegacione sic: Rabasse dicit sic, etc., non autem quod ipse declarat verba Helie, nam illa clare dicunt quod in ultimo iubileo filius David veniret. Verum, quoniam Rabasse in fine ultimi erat iam iubilei, ut supra diffuse in processu probaverimus, et non videbat signa aliqua sui Messie, posuit hanc oppinionem a suo proprio capite, ut eius satisfaceret angustie. Cuiquidem oppinioni nulla est fides prestanda, nam angustia vel anxietas eum cogebat hoc dicere, sicut vos cogit hodie de novo invenire has glosas, vestris capitibus conceptas et contextas.

[CODICE GERUNDENSE].

Rogo, attendite, qualiter verba Rabasse declarata prout vos, usque hodie, 'declarastis' [V. declaratis], dicentes: «usque modo non expectes eum», nullum possunt penitus habere locum, nam contra omnes veniret antiquos tam doctores quam prophetas. Contra doctores namque: nostis enim quod omnes doctores antiqui, qui fuerunt antequam Rabasse, eorum tempore Messiam expectabant, in tantum quod rabi Aaquiba recipiebat in Messiam quemdam nomine Barqoziva; et hoc fuit ultra trecentos annos ante Rabasse.

Contra prophetas vero: videmus prophetam Abacuch dixisse oppositum, capitulo II, ubi dicit:

«Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet et non tardabit» (4).

Et ecce per proprietatem vocabulorum hebraycorum qualiter patet quod adventus Messie non debuisset diu tardare. Unde, prima facie, patet dixisse duo opposita. Ipse enim dicit: «si moram fecerit» (5). Unde patet quod tardaret. Et subsequenter dicit:

(3) Sanh. 97 b.

(4) Habac. 2,3.

(5) Habac. 2,3.

«et non tardabit» (6). Ex quo patet quod non tardaret. Sed est ita quod hoc vocabulum *ydmahmah*, id est, moram fecerit, significat proprie tardare modico tempore, quemadmodum alia plura vocabula sunt in Biblia; et vocabulum *yehaher*, id est, tardabit, significat diu, sive tempus longum.

Unde docuit nos propheta quod post eum poterat tardari adventus Messie aliquantulum et non multum. Certum enim est quod, ex quo propheta dicta est usque modo, efluxerunt ultra mille octingenti anni. Bene ergo potest dici tardari seu morari, et ultra tardari seu morari.

Unde concluditur ex hoc quod iam tempore Abacuch prophete expectabatur adventus Messie, qui fuit antequam Rabasse ultra sexcentos annos. Falsa ergo essent verba Rabasse, sicut vos declaratis, quia dicitis: usque modo non expectes eum. Sequitur quod declaratio vestra non est vera, nec glosa in eadem auctoritate per vos facta. Ymo predicta auctoritas remanet in suo esse, scilicet, quod Messias debebat venire in fine 85 iubileorum, et per consequens sequitur ipsum Messiam iam venisse.

Ad id vero quod dicitis: mirandum est de eo quod inquit magister Ieronimus quod per rabinos nostros monstratur quod in adventu Iesu Christi sit verificatus adventus Messie per iudeos expectati, etc.

Respondeo quod de hac materia nichil est locutum in processu informacionis, nec mei propositi est super eo loqui aliquatenus, donec huic conclusioni finem debitum imponamus, [V. + et] per vos iam venisse Messiam confiteatur.

Et cum hiis finem impono tercie particule vestre cedulae, et mea verba concludendo dico: quod ex quo rationes per vos facte in prima particula sunt annullate, item tres obiecciones factas contra me in secunda particula non conclusisse ostensum est, item glosas factas per vos in tercia particula ostenditur nullam habere efficaciam, sequitur quod auctoritates per me allegatae in suo vigore remanent, ex quibus omnibus sufficienter concluditur Messiam iam venisse.

---

(6) Habac. 2,3.



## SESION LIII

DIE VERO IOVIS, quintadecima dicti mensis februarii, pre-nominatis magistro Ieronimo et iudeis, presertim rabi Astruch Levi de Alcanicio qui pridie illicenciatus recesserat, in presencia domini nostri Pape, ut moris est, constitutis in loco consueto et congregatis, dictus magister Ieronimus alloquitur sub hiis verbis:

Quod cum dudum prefati rabi Ferrer et Matathias coniunctim, ac rabi Astruch per se ipsum divisim, licenciam a domino nostro Papa obtinuissent ea dicendi et que vellent proponendi contra dicta mea, et dicti Ferrer et Mathathias fuissent amodo expediti de hiis que contra me dicere seu opponere vel allegare voluissent ; idcirco paratum me offero eundem rabi Astruch in dicendis per eum audire, si que dicere, aut contra me opponere velit, et ad rationes suas, prestante Domino nostro Iesu Christo Messia ver-rissimo, respondere ac satisfacere.

Et sic prefatus rabi Astruch, de licencia seu mandato Domini nostri Pape, suam ordinacionem in quodam quaterno descriptam recitare incepit sub hac forma :

Contra 3um. vero punctum, dimissis primo et secundo quia erant ad materiam aliquam impertinencia, respondeo :

Quod si causa vera articulorum legis, vel conclusionum in ea contentorum, esset solum scire, sequeretur quod ex non scire vel ignorare totum oppositum concluderetur. Sed quia 'veritatis causa eorumdem' [E. y V. causa veritatis earumdem] non est scire sed credere, et fides bona adhuc quod sciencia non sit ibidem, postquam bona fides et credulitas remanet, veritas non recedit a suo loco, et conclusio aliqua in contrarium non potest inde oriri.

Item dico quod, propter nostrum ignorare, solum debet conclu-

di fore nos ignorantem et laycos, non autem nostram credenciam fore conclusam in contrarium. Nam sicut christiano in terra sarracenum habitanti de racionibus per agarenum vel sarracenum convicto, non sequitur eius credenciam fore confusam nec conclusam ad oppositum, sed solum ipsum esse ignorantem et nescientem, ita sequitur de nobis.

Item dico quod omnis disputacio in articulo legis est prohibita, ut non deviet homo ab articulis sue legis, inquit David, psalmo 36: «os iusti meditabitur sapienciam et lingua eius loquetur iudicium, lex Dei in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus eius» (1). Videtur quod sciencia solum debet disputari, et in racionibus poni; sed legem et credenciam debet homo cordialiter fidei commendare, non autem disputacioni, taliter ut non fugiat vel recedat quis ab ea; ymo oportet quod omnis homo faciat radicem et fundamentum in fide et ponat conclusiones illius validas, stabiles et non dubias, inquit enim David psalmo 119: «viam veritatis elegi, et iudicia tua non sum oblitus» (2).

Nos vero dicentes: «nescimus plus», et a disputacione cessantes, facimus quod iustum est cuicumque legem servanti. Faciendo autem quod iustum est et racionabile est, non debet concludi in oppositum. Igitur non debemus concludi vel non debet contra nos concludi.

Ulterius, nos non dicimus quod nescimus plus absolute; ymo dicebamus quod in supradicto per nos erat sufficienter responsum ad dubia per magistrum Ieronimum tollenda, et quod nos credenciam seu fidem tenebamus, et quod in presenti non sciebamus plus. Ergo secundum huiusmodi ignoranciam minime debebamus concludi:

Primo: nam factum nostrum remittitur ad credenciam, et dicimus quod illam tenemus. 2º: quoniam scire plus non est nobis necessarium multum ad dubia dicti magistri Ieronimi tollenda.

Item, dato quod diceremus illud «nescimus» absolute, non propterea debet sequi aliqua conclusio in oppositum nostrum, nam si bene inquit Philosophus in Ethicis quod ignorancia non excusat peccatum, solum inquit illud in ignorancia que non habet racionem ut sit. Sed talis ignorancia sicut nostra habet plures raciones et magnas causas:

Prima est quoniam sumus extra habitaciones nostras.

(1) Salm. 36, 30.31.

(2) Salm. 118,30.

2<sup>a</sup> est quoniam diminute sunt nostre facultates, et quasi ex toto sunt destructe.

3<sup>a</sup> est quoniam magnum defectum in nostris aliamentis vel congregationibus iudeorum generamus, ex quo ingens dampnum sequitur in eisdem.

4<sup>a</sup> quoniam uxores ac filios nostros perdidimus huiusmodi disputationis occasione.

5<sup>a</sup> quoniam multis nostrorum, tam in pecuniis ad eorum provisionem, sive ad nostram hic, sive ad domesticorum nostrorum, est [E. + pro] dolor] male provisum, adeo quod carent victu.

6<sup>a</sup> nam hic expensas agimus extraordinarias.

Ergo homines tot labores sustinentes qua ratione censentur quod propter eorum ignoranciam merito concludantur, altercando cum prefato magistro Ieronimo et sibi similibus, qui sunt omnes per oppositum cum immensa prosperitate et magnis deliciis?

Ad prefatum vero tertium punctum per prefatum rabi Astruch proxime recitatum supradictus magister Ieronimus respondit sub forma sequenti :

In prefato vero puncto, quinque rationes continentur in substantia et effectu :

Prima siquidem, cum dicit quod si forte causa veritatis articulorum legis aut conclusionum in ea contentarum essent solum scire, sequeretur ex non scire concludi ad oppositum. Sed in quantum causa veritatis eorumdem non est scire, sed credere, etc.

Ad hoc quidem dico : quod manifeste patet quod iudeus hoc dicens est male fundatus in aliqua sciencia naturali, et adhuc videtur in eo deficere ingenium rationis quod homines communiter habent.

Certum enim est quod credere, nec fides bona, ita parum sunt causa veritatis articulorum et conclusionum legis, sicut scire. Licet hoc sit clarissimum, tamen ut cunctis pateat fundamentum harum novarum rationum quas dixit se diu custodisse in scrinio pectoris sui, que etiam eum angustiabant, convenit eas recitare, ut audire volentibus defectus pateat non modicus earumdem.

Dico igitur quod, si hoc esset verum, quod credere et fides essent causa veritatis, etc., sequeretur hec incongruencia, scilicet, quod quociescumque fides seu credere hominis mutaretur, veritas illius rei credite mutaretur. Et sic, dato quod homines essent concordantes dicentes Deum non esse, cessaret Deus esse, vel non esset Deus, et sic de omnibus aliis articulis fidei. Nam si

credere est causa veritatis, remoto credere, cessaret veritas, cum cessante causa cesset effectus. Et quod hoc necessario sequatur ex illo dicto, patet clare ex eo quod in fine concludit quod, postquam fides et bona credencia remanet, veritas non recedit. Hoc enim tantum venit contra rationem quod non est in mundo utens ratione, cui hoc non pateat manifeste.

Ex suis dictis quamplura inconueniencia sequuntur et errores tam in logica et in philosophia quam in theologia. In logica nempe sequeretur error iste, quod propter affirmare vel negare hominum mutaretur aliquid in re quam affirmant vel negant. Ad idem sequeretur quod veritas rei dependeret a veritate propositionis. Quod quidem totum hoc est contra Philosophum in libro Periarmeneias.

Ex hoc idem in philosophia naturali sequeretur quod [E. + una] et eadem res respectu unius et eiusdem, esset prior et posterior. Nam si credere est causa veritatis, credere debet esse primum ut causa, nam omnis causa prior est suo effectu. Sed cum obiectum fidei sit veritas, debet precedere fidem. Et sic sequitur quod veritas sit prior et posterior, quod est contra omnem philosophiam naturalem.

In theologia ad idem sequerentur quamplures errores, scilicet, quod Deus non est eternus. Nam antequam essent creature, cessabat credere et fides, et per consequens, secundum dictum eius, deberet cessare esse Dei vel quod esset Deus. Et hoc idem sequeretur ex omnibus articulis fidei et conclusionibus et aliis in Biblia contentis, que communiter a christianis creduntur pariter et iudeis. Ex quibus, si credere et fides, quam ex dictis rebus contentis habemus, esset causa veritatis earundem, sequeretur quod antequam populo annunciarentur et ab eo crederentur quod non fuissent vere. Quod quidem totum hoc et quamplura innumerabilia inconueniencia que ex dictis prefati iudei sequuntur, sunt ita nota quod superfluum videtur et vanum amplius super hiis dicendi habenas relaxare.

2<sup>a</sup> vero ratio quam iste iudeus allegat est hec :

Dico quod propter nostrum nescire vel ignorare, solum debet concludi nos fore ignorantes et laycos, non autem esse nostram credenciam conclusam.

Dico hoc verum esse, quod credencia que nunc vera est, nunc falsa, non potest concludi. Nec dixi fore contra eam conclusum, nam ego non disputabam cum ea. Sed vos qui credenciam erroneam inuerecunde vultis sustinere potestis bene concludi, sicut de facto est, atque convinci. Nam si sic non esset, sequeretur



quod contra aliquem hereticum non poterat concludi ipsum tenere errorem, nam super se poterat recurrere ad dicendum: Nescio plus, iam, ex hoc, non sequitur quod mea credencia non sit vera.

Unde sequitur quod cum vos conamini cum potestate vestra ad narrandum errorem vestrum, et illud deffendere, finaliter deficiunt vobis omnes rationes, non solum remanetis ut ignorantes, ymo eciam sequitur vos esse conclusos atque devictos.

Tercia ratio, nam dicit iudeus quod omnis disputacio super articulo legis est prohibita, etc.

Dico hoc adhuc esse falsum pluribus racionibus:

Una si quidem, nam omnis sustinens legem, si locum tenet prelati vel magistri, tenetur reddere racionem ad suam credenciam sustinendam, precipue cum impugnatur per dicta et auctoritates illorum quibus, iuxta illam credenciam quam tenet, fidem prestare tenetur. Et ex hoc quod dictus iudeus inquit, sequeretur quod nunquam homo bonam credenciam habens, alium qui malam tenet et erroneam, ut reducat eum et deviet ab errore et ad veram fidem inducat deberet aliquatenus informare, cum talis informacio non possit fieri nisi altercaciones habendo, et hinc inde raciones. Quod est contra caritatem et Dei preceptum expressum: «diliges, scilicet, proximum tuum sicut te ipsum, etc.» (3).

Et quia ipsi inter iudeos magistrorum obtinent locum et doctorum, non immerito tenentur deffendere et raciones reddere ad ea que alios docent. Et textus David, quem prefatus iudeus allegat, est contra eum vel per oppositum, etc. Declarando autem eum hoc modo. Certum enim est quod David in dicto versu cum dixit: «Os iusti meditabitur vel loquetur sapienciam» (4) non intelligebat de sapiencia seu sciencia naturali, sed de sapiencia rerum divinarum, 'et rerum divinarum' [E. '—'] et legem divinam tangencium. Nam secundum fideles, illa dicitur proprie sapiencia, quemadmodum inquit Moyses Deuteronomii, 4 cap., ubi loquendo de lege divina sic inquit:

«Hec est enim vera sapiencia et intellectus», etc. (5).

Et hoc clare patet per verba textus cum inquit: «os iusti». Nam si de sciencia naturali intelligeretur debuisset dicere «os scientis», non autem «iusti»; nam sepe locuntur vel meditantur in ea qui non sunt iusti plusquam iusti. Et ideo sensus dicti versus est, quod os iusti loquitur sapienciam rerum divinarum,

(3) Lev. 19,18.

(4) Salm. 36,30.

(5) Deut. 4,6.

et lingua eius loquitur iudicium legis Dei. Et hoc quidem sequitur : nam «lex Dei est in corde ipsius» (6), ad demonstrandum quod ratio, propter quam iustus loquitur bene de divina sapientia et iudiciorum Dei, est pro tanto quantum lex Dei est in corde ipsius, que ipsum non permittit errare, nedum in credendo, verum etiam in loquendo in hiis que fidei sunt.

Unde bene sequitur quod istud quod dictus iudeus vocat credenciam et fidem, et quod asserit firmiter in suo corde tenere, non est lex Dei, nec vera credencia. Nam si vera esset, quod in tam excellenti platea deficerent rationes sustinentibus eandem, quantumcumque ipsi forent ignorantes, Deus minime tolleraret, quanto magis cum sitis maiores magistri et sapientiores qui in dicta credencia reperiantur pro presenti.

Et ad hoc quod dictum est, satis bene facit textus Psalmi ubi inquit : «Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar» (7).

Et sic patet quod, si illud quod Iudei nituntur defendere essent testimonia Dei, non essent sic conclusi nec verecundi ante conspectum Domini N. Pape, sicut sunt tales rationes et tam erroneas allegando. Et adhuc peccant, nedum contra legem et prophetias et contra eorum doctores proprios, verum etiam contra rationem naturalem et moralem, et adhuc contra humanum iudicium, ut superius in huiusmodi processu in locis diversis est diffuse ostensum, et valde clarius patet per hanc erroneam scripturam, quam iste iudeus modo 'ultimate' [E. ultimatum] obtulit. Et si hec ratio esset vera, valde errarent iudei in processu disputationis quem usque modo fecerunt. Nam cum eo reputaverunt falsam hanc opinionem, ut ipsemet ulterius allegat, cum magis auctenticum debeat censi quod sit de facto, quam quod dicitur verbo ; et premaxime cum omnes finaliter cederent disputationi, petentes solum informacionem, ipse solus ex presumptione elatus, abnegans informacionem, velit presumptuose disputationem sustinere, contra hoc quod nunc professus est.

Unde patet evidenter eundem iudeum vacillare, cum verba eius suis operibus non concordent.

Quarta enim ratio ubi inquit : Item dico quod nos non diximus quod nescimus absolute, etc.

Dico quod hec ratio non habet locum ; non enim dixi in processu nec epilogacione quod solum propter dicere ipsos, «nesci-

(6) Salm. 36,31.

(7) Salm. 118,46.

mus plus», sequatur eos esse convictos, vel, ut ipsi dicunt, conclusos; ymo forma mee rationis fuit hec:

Postquam rationes quas usque nunc dixerant erant tam insufficientes, et deinde dicebant quod nesciebant plus respondere, ex hiis duabus premissis sequebatur bene quod ipsi erant conclusi vel devicti. Et idem dico et confirmo nunc sicut tunc, et sic in nullo michi contradicit, quidquid ipse dicat.

Quinta vera ratio, ubi loquitur de ignorantia que eos debet excusare, etc.

Ad hoc primo dico quod cause quas allegat ignorantie sunt manifeste vane, et adhuc plures ex eis sunt contra eum; quantum ad ea per que dictus iudeus vult defendere eius ignorantiam, sunt adhuc vane et pluribus erroribus plene. Manifeste enim cuiuscumque patet iudicio rationis utenti, quod quicumque bene morigeratus, presertim qui est magister unde alii debent exemplum haurire et virtutes, inter quas una est de quatuor cardinalibus fortitudo maxime, que est impetus adversitatis sustinere. Unde sequitur quod virtuosus non deficit in tribulationibus, ut inquit Philosophus in *Eticis*, et Salomon *Proverbiorum*, cap. 12:

«Iustus in eternum non commovebitur» (8).

Et vos, rabi Astruch, postquam reputatis vos magistrum, deberetis esse exemplum aliis fortitudinis, et non vos debet commovere uxor vestra, nec aliqua quevis tribulatio. Et dato quod aliqua mutatio propter sensualitatem vobis accideret, modico tempore debuisset in vobis durare, cum sensualitas debeat vinci a ratione, que quidem ratio in adversitate purior fit quam in prosperitate; quod inquit Psalmista David:

«Bonum michi quia humiliasti me, ut discam iustificaciones tuas» (9).

Et sic patet quod cum homo est tribulatus, atque humiliatus, melius adiscit iudicia Dei. Et Boecius in *De Consolatione*, loquens in persona philosophie super bona fortuna et mala vel adversa, inquit: «Dicam tibi mirabile: credo quod utilior sit homini adversa quam prospera fortuna, cum decipiat prospera, doceatque adversa vel perversa, et hominem reddit cum exercicio adversitatis sapienciolem.»

Omnes tamen has omittendo rationes, sic dico: Aut tribulationes iste vos fecerunt perdere sensum [E. + aut non. Si vero perdidistis sensum] sicut maniacus irrationabile est vobiscum

(8) Prov. 10,30. Pero tanto E. como G. citan el cap. 12.

(9) Salm. 118,71.

disputare, et vos ad idem loqui in huiusmodi platea vel consistorio. Si autem sensum non perdidistis, quare estis magis ignorantes nunc quam in principio?

Et ut omnibus vestra non parva pateat cavillatio, qui habet aures audiendi, audiat si placet, et attendat qualiter in claram vos rabi Astruch incidistis contradiccionem. Namque dixistis in presencia domini nostri Pape quod maiorem partem responsionum in processu superius contentarum ordinaveratis, quamvis nobis constet quod alius tantum ordinaverit et [E. + adhuc] plus quam vos, quamvis non tamen 'gratuletur' [E. garruletur], nec se tantum collaudet per iactanciam. In quibus quidem responsionibus tunc temporis dicebatis, et adhuc nunc in hoc quaterno per vos oblato, quod satis erat de sufficiencia, et quod nolebatis ideo plus dicere, ut daretur intelligi quod erat per vos sufficienter responsum, sicut dicitis quod venter vester novis est responsionibus plenus, ut supra in prohemiao dixistis. Satis igitur claret contradiccio manifesta.

Dicitis adhuc quod labores et negocia vos turbarunt, et ex alia parte dicitis vos sufficienter respondisse, et quod adhuc bonis estis responsionibus plenus velut uter bono vino: Unde patet hanc supra dictam rationem vestram omnino a proposito deviatis, nam postquam rationes vestre erant insufficientes, nunc patet quod iusta causa esset ignorancie; et illo adhuc dato vel concesso, eciam non restaret quin vobis sit conclusum vel quod vos sitis devictus vel conclusus; ymo plus et pluries concluderemini, nam ignorancia neminem excusat. Et ratio vestra locum haberet si tractaretur de pena alicuius, ratione alicuius facti, et quod fecisset istud ignoranter allegaret. Tunc enim esset videndum, an ignorancia talis fuisset, quod merito penam debitam excusaret an non. Quemadmodum si hic proponens modo cognosceret se errasse contra fidem Domini Nostri Iesucristi, tamen dicit quod fecit cum ignorancia; tunc enim verum quod, non obstante quod ignorancia in causa fidei non excuset, precipue magistros, tamen leviter ei faceretur, sicut inquit Beatus Paulus Apostolus: «Ego, inquit, fui blasfemus et persecutor, sed indultum est michi, quoniam ignoranter feci» (10). Nam in tali casu ad tollendum penam, locum haberet allegacio ignorancie, non autem quod ex ea sequatur vos non esse convictos.

Hoc autem sufficiat de presenti pro responsione cuilibet quinque rationum predictarum in primo dicto contentarum.

---

(10) 1.<sup>a</sup> Timoth. 1,13.

Verumtamen ut defectus rationum predictarum clarius patefiat universis, et qualiter dictus iudeus animo sit magis cavilandi quam rationi vere adherendi, volo ostendere falsa fundamenta super que sue predictae rationes fundantur. Viso namque fundamento eius malo, debilitas edificii patefiet universis.

Primo namque dicte rationes fundantur super hoc, quod presupponitur quod hec propositio, Messias nondum venit, est articulus fidei iudeorum. Quod manifeste est falsum, et ipsi oppositum asseruerunt supra, in eodem processu, in responsione quam fecerunt die veneris, sexta mensis marcii, ubi dixerunt quod debere venire Messias est articulus fidei, sed tempus assignatum sui adventus non est articulus, etc.

Et dato quod hoc non asseruissent sequeretur per necessariam rationem sic esse. Nam si articulus esset fidei eorundem quod usque nunc nondum venit Messias, sequeretur quod antiqui eorum, qui ante hoc tempus eum expectabant et venturum credebant, errabant in articulo eius fidei.

Et cum hec presens disputatio sit solum ad concludendum venisse Messiam, de aliis condicionibus que in eo esse debent minime 'curandum' [E. curando], sequitur quod disputare super hoc articulo, non est super articulo sue fidei disputare, nec super aliqua conclusione certa in lege sua contenta. Quoniam ipsi dicunt quod res magis incerta quam ipsi habent, est limitare terminate tempus adventus Messie. Et cum dicere: «venit», vel «non venit», vel «venisse», vel «non venisse», sit solum contentio seu altercacio super temporis determinacione, sequitur quod hec disputatio ad articulum nec conclusionem quam ipsi certam 'reputant' [E. reputent] secundum legem suam non inducat.

Secundum enim fundamentum suarum rationum est quod credere est causa veritatis articulorum legis et conclusionum in ea contentarum. Quod quidem quantum sit falsum, absurdum et contra omnem rationem et intellectum humanum satis est supra ostensum diffuse, et amplius non indiget replicacione.

Tercium autem fundamentum est quod credencia non potest concludi, et ideo, quod sustinens aliquam credenciam non potest concludi. Unde secuntur plura inconveniencia, ut supra dictum est, et specialiter sequeretur quod quicumque posset sibi facere novam credenciam ad votum, et numquam ex eo ut hereticus possit condempnari. Ergo, secundum rationem dicti rabi Astruch, numquam possit probari nec contra eum concludi quod credencia esset falsa. Quod quidem est adeo inconveniens quod audire est absurdum.

Quartum quidem fundamentum est quod in facto fidei non est locus disputationi. Quod enim quantum sit contra veritatem satis patefactum est per extensum.

Quintum adhuc fundamentum est, quoniam ignorantia excusat ne sit conclusus nec convictus ille qui non allegat rationem sufficientem partis eius vel opinionis, quam defendere intendit. Quod quidem quantum sit etiam oppositum veritati et rationi satis supra patuit.

Super hec autem quinque falsa fundamenta, edificavit dictus rabi Astruch totum suum edificium in omnibus rationibus quas supra dedit in suo quaterno. Et hoc dicere in tam excellenti platea seu consistorio, hoc est valde ridiculosum sibi et cunctis iudeis qui sibi illud consenserunt.

Et hic facio punctum in hiis que tangunt primum punctum

## SESION LIV

DIE AUTEM SABBATI, decima septima dicti mensis februarii, dictus rabi Astruch in suis dictis continuavit in hunc modum :

Contra quartum vero punctum respondeo dicens : Quod magister Ieronimus in sua epilogacione universales rationes que oblate fuerant ex parte nostrorum respondencium omisit repetere, solum minima parte ex parte nostra dicta recipiens.

Primo quidem diximus quod totus tractatus prefati magistri Ieronimi, et plures probaciones eiusdem, super verba sermocionalia fundantur et fabulaciones, ut puta de mugitu bovis, et hiis similibus, quibus non tenemur fidem prestare nec auctoritatem. Rabi quidem Moyses dicebat : de passu ad passum non credo in hac fabula. Sapientes enim nostri aiunt quod non sunt in tali gradu quod ex eis aliquid debeat probari, nec contra eas argui, cum figurative loquantur et metaphorice.

Item diximus, et firmiter tenemus per viam tradicionis, quod Messias nondum venit, et hoc, quia non [E. + fuit] homo in toto orbe terrarum in quo omnes concurrerent actus Messie, neque operationes ipsius in propheciis expressate. Et dato quod aliqua verba in hac materia tangencia reperirentur, si autem illa cum propheciis, aut declaracionibus earumdem consonarent, approbaremus eadem ; et dato quod ab eisdem deviarent, oporteret ea exponere figurative, taliter quod fidei nullo modo obviarent nec credencie nostre. Et si illud exponere nesciremus, hoc esset ex defectu sciencie nostre, non autem ex defectu credencie.

Item diximus, quod omnes allegaciones quas prefatus magister Ieronimus inducebat, sunt ab hominibus qui firmiter tene-

bant et asserebant Messiam nondum venisse, ideoque plures sustinebant passiones et martiria. Si igitur aliquis homo bene auctenticus diceret: «Noveritis Messiam venisse; sed ego credo quod nondum venit, et propter hoc intendo sustinere aut tollerare martiria, aut passiones seu tormenta», non est dubium omnem hominem adherere ei iuxta eius credenciam et ad id quod ipse ponit in actu; dicendo verbotenus ipsum venisse, vult dicere quod veniet in brevi, si essemus digni, aut aliam quamvis expositionem. Sic etenim debemus nos sequi quemadmodum illi sequebantur et credebant, et eorum scripturis facere expositionem que consonet cum eorum actibus; maxime cum nullus eorum [E. + amodo] clare dixerit Messiam venisse, nisi solum dicere: «tot anni sunt de Messia», et similia. Et si intellexissent ipsum iam venisse, manifeste dixissent: «tot anni sunt quibus Messias venit».

Item, a quibus per viam tradicionis habemus legem mosaycam et glosam mandatorum cerimonialium eiusdem, ab eisdem met per viam tradicionis habemus que sint condiciones Messie et eius operaciones. Unde sequitur necessario Messiam nondum venisse. Sicut ergo in glosa per eos facta in mandatis cerimonialibus nullam ponimus dubitacionem, sic non debemus ponere aliquam in actibus Messie, et quidquid illi tradicioni esset dissonum debemus taliter exponere quod sit sibi consonum. Si autem ignoraverimus, non debet nos a fide nostra 'separare aliqualiter vel deviare et credulitate' [E. et credulitate separare aliqualiter vel deviare].

Has autem rationes diximus, pro maiori parte, ut reveletur disputacio totalis, et ut defendamur ab omnibus probacionibus magistri Ieronimi, aut pro maiori parte, tam sui tractatus, quam huiusmodi disputacionis, et dicere quod ex hoc toto nulla elicetur conclusio contra nostram fidem et credenciam, nec deberet elici.

Nunc ergo, domini, quilibet diligenter attendat, an iuxta has universales rationes sit aliqua ratio huiusmodi disputacionis, aut debeat ex eadem elici conclusio aliqua fidei nostre et credencie opposita. Certe [E. + iuxta] omne iudicium intellectus naturalis videtur michi quod non.

Item, particulares responsiones quas super auctoritate sex mille annorum fecimus fuerunt due glose, quarum prefatus magister Ieronimus in eius epilogacione non fecit mencionem nisi de una, et illius adhuc non induxit nisi unam solam racionem, nobis tamen plures alias inducentibus rationes ad probandum hanc auctoritatem dictam fuisse oppinative vel presumptive, sive per



eiusdem auctoritatis tenorem, sive per compilatorem, sive per impugnatores eiusdem.

Primo namque per tenorem, quia hec auctoritas est verbum simplex, non autem propheta, nec dicta per Heliam prophetam; et loquitur de re futura et de redemptione Messie, quod est quid occultum et secretum tam sapientibus per viam tradicionis, sive prophetis per viam prophetae, quam angelis per viam glorie. Inquit Rabi Moyses de Egipto in libro vocato Soffrim: «Super facto Messie omnia et hiis similia nescit homo qualiter erunt donec fuerint. Et sapientes non habent ex tradicionem, etc.»

Ex tenore igitur sequitur loqui auctoritatem oppinative vel presumptive, non autem certitudinaliter.

Secundo, patet per doctorem quem ipsemet allegat dicentem: «et propter peccata nostra, etc.» Unde patet quod non ex necessitate esse 'totaliter' [E. hoc taliter] oportebat, ita quod non aliter. Ideo enim patet quod diceret oppinando, et ideo dixit: «et propter nostra peccata, que sunt plura, exierunt seu efluxerunt quotquot inde efluxerunt vel exierunt, et filius David nondum venit». Si autem hoc dixisset determinando certitudinaliter, dicere debuisset: et propter peccata nostra, que sunt plura, Messias iam venit tot anni sunt, et eum non cognovimus.

Tercio, per compilatorem Rabasse, qui fuit positor vel compilator auctoritatis, nam glosat illud verbum iubileorum dicens: «Ex tunc aut deinde, expectate eum.» Videtur quod non teneret istam primam certam; nam si eam tenuisset ut certam 'aliter' [E. qualiter] diceret expectate eum, si iam venisset ultra ducenti anni efluxerant?

Item, quia credebat et sustinebat quod Messias nondum venerat.

Quarto, per impugnatores: primo enim sibi obviat auctoritas iubileorum, et quam plures alie; in eodem met libro vocato Sanhedrin legit Abimi: «dies Messie debent esse ad Israel velut dies ex quo creatus est mundus usque nunc» (1). Rabi Nahaman inquit: «sicut dies Noe usque nunc» (2). Et quam plurima verba alia que huic obviant.

Ergo ex hiis quatuor sequitur hanc auctoritatem esse oppinativam.

Preterea valida moveor admiratione qualiter aliquis ex hac auctoritate possit probare Messiam venisse. Et dico sic, gracia

(1) Sanh. 99 a.

(2) Sanh. 99 a.

exempli : Si quis dixerit : duodecim menses faciunt annum, tres de vere, tres de estate, tres de auptumno et tres [E. + dies] de hieme ; non est autem dubium quod, iuxta commune iudicium, non esset ita certus hiems sicut alia tempora, postquam non dixit tres de hieme sicut [E + dixit] tres de vere ; sed videtur quod dies illi sunt dñes qui secundum bonum et rectum iudicium debebant facere hiemem nisi quia dubitabat aliquem planetarum, vel signum aliquod concurrere quod tempus calefaceret.

Eodem modo, et hic cum dixit «duo mille anni dierum de Messia», et non dixit duo mille de Messia, sicut dixit duo mille anni de vanitate, videtur quod dies illi de bono et recto iudicio deberent esse de Messia, nisi quia dubitabat quod peccata impedirent, sicut dixit : «et propter peccata nostra», etc.

Ex hoc igitur manifeste patet quod non sit certum [E. + tunc] venisse Messiam sicut fuit lex certa in principio duorum mille secundorum ; non enim oportet dicere quod ex isto possit probari Messiam iam venisse.

Quibus per eundem rabi Astruch, ut premittitur, recitatis, prefatus magister Ieronimus respondit in forma sequenti :

Circa quartum vero punctum, in quo dictus rabi insudat principaliter impugnare per me superius factam epilogacionem, dico quod bene et diligenter perscrutato, quidquid in eius scriptura circa huiusmodi puncto per eundem oblata continetur diffuse, dicta eius impugnacio potest dividi in duas partes : In prima, videlicet, vult asserere quod quatuor racionibus generalibus et universalibus, per iudeum in processu superius positis vel recitatis, non respondiderim.

In secunda vero, glosas super auctoritatem duo mille annorum per iudeos factas, quod non sufficienter impugnaverim velle demonstrare.

Circa primam partem predictarum quatuor racionum, ad quas inquit prefatus rabi me non respondisse, dicit quia fuit allegatum pro parte iudeorum quod non tenebantur dare fidem auctoritatibus talmudistis per me allegatis, cum sint fabule et verba sermocionalia, in hebreo hagadoth, etc., nuncupata. Ad quod allegat dicta rabi Moysi de Egipto et rabi Moysi de Girona.

Ad hanc racionem immediate respondendo, dico quod, iuxta ordinem recte disputationis, postquam dicti iudei et maxime prefatus rabi nisus est approbare quod ex dictis auctoritatibus mea conclusio minime eliciatur, primo quidem deberet determinari,

et per eos confiteri vel decidi hec controversia, antequam veniremus ad demonstrandum quod teneantur prefatis auctoritatibus fidem prestare, ut sepe sepius in processu predixi.

Verumtamen, ut ad eorum effectum condescendam, nolo amplius dilatare, et antequam ad ulteriora progrediar, divina gracia favente, ostendam qualiter id quod prefatus rabi dixerat nullanitur veritate in hac parte; ymo iudei tenentur et obligantur fidem prestare auctoritatibus prelibatis, tamtam et maiorem sicut dictis prophetarum.

Et ut omnibus detur manifeste intelligi quod in materia hac allegare intendo, oportet vos scire qualiter hec doctrina, Talmud apud iudeos nuncupata, inolevit cum gens illa seu societas rabinorum phariseorum nominata, qui in templo fuerunt secundo, ut patere potest manifeste per eius adversam fortunam, ymo verius pertinaciam, non habuerunt noticiam veri Messie qui tunc venit, ymo contra eum odium gratis habuerunt non obstante quod magna miracula, que quotidie suo nomine fiebant, intuerentur. Quod quidem odium fuit causa destructionis templi, et eorum captivitatis, ut in quamplurimis locis librorum hebraycorum patet, ubi queritur que fuit causa captivitatis; ad quod respondetur, quod nulla alia est nisi odium gratis. Tenentes autem hunc errorem, declaratis hoc fuisse dictum propter odium quod inter vos invicem geritis, quod esset sufficiens ad vos inducendum in tam crudelem captivitatem, et vos retinere vel vinculare tanto tempore in eadem. Ymo causa verior et cercior fuit odium supradictum.

Deinde predicti rabini, postquam viderunt Messiam crucifixum fuisse et mortuum, cogitarunt quod ex tunc nulla mencio fieret ipsius, nec doctrine eiusdem. Deinde doctrinam eius videntes per universas mundi partes propter discipulorum predicacionem valde prosperari, et qualiter legem mosaycam declarabant, et sicut nunc observat Ecclesia observare mandabant, unde sequebatur cerimonias quas ipsi observabant annullari, cogitarunt ordinare et cerimonias illas in scriptis redigere. Quamquidem scripturam Misna, quod idem est quod lex secunda, appellarunt, ponentes famam quod totum hoc Deus dederat Moysei ex verbo vel verbotenus.

Videntes eciam quod fides catholica multo plus crescebat et aumentabatur, in tantum quod magna pars iudeorum tocius orbis, et totum romanum imperium, et Elena mater imperatoris, et omnes infideles de partibus Italie ad dictam fidem catholicam fuerunt conversi, in tantum ut maximam universi partem occupant, et paulo ante, Beatus Ieronimus qui cum magna diligen-

cia, divino cooperante auxilio, a diversis partibus climatis diversos codices Sacre Scripture congregavit, eosque de lingua caldayca et hebrayca in latinam linguam transtulerat. Cum autem hec omnia prefati rabini diligenter considerarent, se perditos reputantes, timentesque ne eorum doctrina perderetur, cogitarunt quod illa doctrina non esset suficiens primo facta, sed ordinarunt insuper vel addiderunt aliam cum illa ordinacione sibi inventam valde difusam, Talmud apud iudeos nuncupatam. In qua omnes alias cerimonias, qualiter observari deberent, sigillatim vel singularissime declaraverunt; plura que sciebant antiquos habuisse ex revelacione in ea ponentes, posuerunt insuper quamplura turpia, iniqua et nephandissima contra sanctam fidem orthodoxam, et contra Salvatorem nostrum Dominum Iesum Christum, et quam plures blasfemias et fatuitates, et plura alia que contra legem mosaycam et legem nature turpia et fetida, que nominare abhominacionem in auribus procrearent; quorum omnium intentio ultimata eorum fuit quia videbant doctrinam evangelicam prosperari et augmentari.

De hoc autem habetis auctoritatem rabi Moysis de Egipto in prologo de Maddag, ubi inquit quod causa cur lex oris fuerit posita in scriptis sit, quia viderunt regnum malum diffundi vel dilatari et per mundum prosperari.

Et ut dicto tractatui magna auctoritas pararetur talem receperunt cautellam dicentes, quod Deus nedum legem quinque librorum Moysi dederat, verum etiam aliam legem oris, sicut Talmud est, sibi dedisse. Et sic ita magnam in dicto Talmud prestant auctoritatem, quod dicunt istud quod in eo est scriptum, esse maioris roboris et firmitatis quam id quod in lege mosayca est scriptum.

Et ideo dicunt in libro Talmud quod maioris firmitatis sunt verba doctorum qui illud composuerunt et compilarunt quam verba legis scripte. Et iuxta presuppositum quod ipsi faciunt, scilicet, quod lex illa ex proprio resultat ore Dei, iuste enim agunt, ut presentent ei maiorem fidem et auctoritatem quam legi Moysi. Quoniam si Dominus noster Papa aliquid michi precipit literatorie, et ex parte alia michi aliquam rem precipit ex ore suo proprio seu verbotenus, non in dubium vertitur, et licet fatear utrique eorum obedire debere, maioris tamen roboris vel efficacie firmitatem ei quod ab ore eius proprio quam ei quod michi literatorie precipitur, infallibiliter et inconcuse prestabo.

Sequitur igitur quod is qui credit quod Talmud est lex oris maiorem fidem debet ei prestare quam mosayce legi.

Et adhuc inquiet rabini hoc solum intelligi in parte illa libri seu codici Talmud nominati, que est declaracio mandatorum legis, et qualiter cerimonialia eiusdem debeant observari, et quod illud venerit per Moysi tradicionem, et quod istud solum vocetur lex oris, et illud tenetur iudeus tantum credere et plus quam legem mosaycam. Sermones vero nec anunciaciones haggadot vocate, in quibus omnes iste includuntur auctoritates quas superius allegavi, in legem oris minime includantur nec veniant per Dei tradicionem Moysi, nec nobis a Moyse. Et ideo non tenemur eas credere.

Respondeo quod sic. Quod probo per diversas auctoritates : Et primo per librum Sanhedrin, ubi dicitur quod quicumque dixerit totam legem esse vel fuisse datam Moysi in Monte Synay, excepta una illarum tredecim naturarum consequenciarum que sunt in dicto libro vocato Talmud, cum quibus lex loquitur quod de eo dicitur in lege quod vituperaverit legem Dei et quod anima eius debet dampnari.

Item inquit rabi Moyses de Egipto in libro vocato Soffrim in leccionibus rebellium, cp. 3, similia verba : «Qui non credit legi oris non solum est rebellis, verum eciam est hereticus, et occidens eum meretur.»

Et certe in re tali, ubi tanta pena ponitur, si forte aliquę auctoritates inde deberent excipi hoc vere doctores isti deberent declarare in suis locucionibus. Sed postquam nichil inde excipiunt, videtur quod totum intelligatur. Et adhuc dicere possumus quod verba rabi Moysis et pena tanta ibi imposita pocius dicitur per haggadot quam per aliud, cum ille dixerit : Qui non credit legi oris vel legem oris. Et credere principaliter pertinet ad dicendum in haggadot, nam illi sermones in rebus divinis et in 'facto' [E. factis] Messie et resurreccionis et creacionis mundi et in inferno et in Paradiso, quia alia que sunt in Talmud, que ponitis ut magis auctentica, ut puta, litigia, iudicia civilia et criminalia, et observacio cerimonialium, non convenit hiis hec scilicet credere, sed pocius observari et operari. Credere vero magis proprium est in hiis que sunt credencie, et revelaciones, et non operaciones.

Ex isto igitur patet quod omnia verba talmudica sunt lex oris.

Verum, ut hoc vobis clarius patefiat, et ut vos tollam de falso tegumento vel velamento, quo velati estis vel nitimini velare, non quia iudeus sic illud fateatur, ymo fidem prestatis omnibus particularitatibus dicti Talmud, sed cum aliam evasionem invenire non valetis, conamini vos cum 'hac' [E. eo] palliare, ostendam igitur vobis quamdam auctoritatem que est in Medras Cohellet,

id est, Glosa morali Ecclesiastes, quam posuit rabi Osua, filius Levi, qui est unus de antiquioribus et magis auctenticis quos vos actenus habueritis. Que quidem auctoritas est super textu Salomonis, ubi dicitur, Ecclesiastes, 1 : «Nec valet quisquam dicere : Ecce hoc recens est ; iam enim precessit in seculis 'quod fuit ante vos' [E. que fuerunt ante vos]» (3) :

«Scriptum est Deuteronomio «dedit michi Deus tabulas lapideas cum digito Dei vel eius scriptas (4).» Et super eas sicut omnia verba 'hec' [E. (—)], inquit rabi Osua, filius Levi : super eas et super eas omnes, sicut omnia verba, preceptum, totum preceptum, ad ostendendum quod Biblia et Misna, et lecciones talmudice, et addiciones et annunciaciones, sermones, et quidquid doctor quicumque pro tempore docturus esset, et quidquid discipulus quicumque auctenticus esset memoraturus coram eius magistro, totum fuit dictum et datum Moysi in Monte Synay, quoniam textus inquit : «nec valet», etc.» (5).

Ecce manifeste patet qualiter dat sententiam claram iste doctor vester quod quidquid vos negatis venit per tradicionem Dei ipsi Moysi, et vobis a Moyse.

Unde formo talem rationem :

Quidquid dixerunt rabini, est lex oris.

De haggadot per me allegate sunt dicte per rabinos talmudicos.

Ergo haggadot sunt lex oris.

Maior probata est per rabi Osua. Minor est manifesta et patet ad oculum per libros. Igitur sequitur conclusio.

Probato autem quod haggadot sint lex oris, alium formo si-logismum talem :

Omnem legem oris, cum omnibus eius partibus, est obligatus iudeus ab observandum et credendum.

Sed haggadot sunt lex oris.

Ergo ad credendum et observandum haggadot est iudeus obligatus.

Maior probata est per talmudicas auctoritates superius allegatas, et per rabi Moysem. Minor satis est per me probata. Sequitur igitur necessario conclusio, scilicet, quod haggadot per me allegatas tenemini credere et observare.

Hanc credulitatem huius Talmud ad ulteriora produxerunt quod nedum Scripture legis Moysi volunt equiparare, verum

(3) Eccl. 1,10.

(4) Deut. 9,10.

(5) *Midràsh Kohelet Rab.*, in Eccl. 1,10.

eciam quod maioris sit sanctitatis, et maioris firmitatis volunt pertinaciter sustinere. Et quicumque eam transgressus fuerit, pena maiori venit plectendus seu puniendus.

Dicitur autem in Talmud, in libro Baba Meciha, capitulo quod incipit 'Hellsu Mecihot' [E. Ellu Meciot], quod magis obligatur ad honorandum magistrum suum, quam patrem suum. Et declarat rabi Salomon hoc intelligendum esse de magistro qui eum docuit Talmud seu de sciencia talmudica, non autem de eo qui eum docuit in Biblia.

Item dicitur in Sanhedrin, capitulo quod incipit Bençorer, quod negans aliquid legis non est dignus morte, sed negans quidquam talmudicum est dignus morte.

Unde sequitur magnum scelus vos commisisse vel perpetrasse, cum negaveritis vestri Talmud auctoritates, et magna estis digni punicione.

Et non tantum probatur quod teneamini credere sermones et haggadot talmudicas per auctoritates et rationes prefatas, verum adhuc per practicam plurium oracionum, quas in vestris dicitis Sinagogis, et plures cerimonias quas vos iudei observatis, que in et ex haggadot talmudicis fundantur, et resultare videntur, et a rabinis ipsius Talmud, potest manifeste probari. Certum enim est quod causa super quam oraciones fundantur debet esse valde iusta et sancta. Non enim presumendum quod oracio quevis fuerit ordinata nisi valida et auctentica.

Primo namque est una haggada, ubi dicitur quod Helias ipse met erat Finees, nepos Aaron sacerdotis. Et ponens eam fundatur super quadam similitudine que est in titulis unius cum altero. Nam Finees fuit tempore Moysis, et Helias tempore regis Acab. Verumtamen ex ista haggada sequitur quedam oracio in fine sabbati, et incipit ad incendendum lumen; que quidem oracio Haudala apud iudeos vocatur vulgariter, in qua Deum deprecantur ut veniat in brevi Helias, qui est Finees, cum Messia filio David.

Item die expiacionum, id est, indulgenciarum, quem reputant magis sanctum tocius anni, in oracione prima quam faciunt iudei, dicunt quamdam prosam, ubi fit mencio cuiusdam haggada que est in Sanhedrin, in capitulo quod incipit Cohen Gadol, que sic dicit: «*Quadragesima diebus antequam creatura formetur in utero, quedam revelacio vel vox celi exit dicens: Filia talis erit pro tali.*»

Item eodem die in prosis quas dicunt fit mencio de quadam haggada que est in libro de Nedarim in capitulo quod incipit Ar-

baha Nedarim, ubi dicitur quod in etate trium annorum habuit Abraham noticiam Dei.

Et hec prose et oraciones que in Sinagogis dicuntur, que super haggadot sunt ipsius Talmud fabricate, posset homo quam plura referre ; et nedum oraciones, verum eciam quam plures cerimonias ex haggadot resultantes.

Inquit enim in Talmud, in libro vocato Meguilla, quod cum decem filii Haman fuissent suspensi, in uno instanti separate sunt anime eorum a corporibus. Propter virtutem 'illius' [E. ip-sius] haggada sic insuper quedam cerimonia in Sinagogis quod die festi de Purim, cum rabinus legit istoriam de Hester, et in eadem nomina decem filiorum Haman nominari contingit, in qua quidem nominacione viginti et unum vocabula sunt, omnia illa viginti et unum vocabula tenetur rabinus legens sub uno anellitu vel sub uno spiramine vel sub una attraccione spiritus recitare et dicere sigillatim, non revocando vel detrahendo vel diminuendo anellitum vel spiritum in medio, nec pausam aliquam faciendo spiritus. Cum autem non fecerit sic, faciunt dictum legentem reassumere a principio. Et certe non est iudeus qui tunc esset ausus dicere : Non est ius, nec credo illam haggada. Nam si diceret, apud eosdem hereticus censeretur, et propter illud morte puniretur. Sed isti rabini, qui continue nobis negant talmudicas auctoritates, quando pro eorum sustinendo errorem non faciunt, nondum aliqua pena sunt puniti.

Est adhuc alia haggada in Talmud, ubi dicitur quod Deus mandaverit Helie quod quacumque hora circumcisio fieret aliquis iudei, quod dictus Helias ibidem assisteret.

Virtute huiusmodi haggada, talis fit cerimonia, scilicet, quod parentur due cathedre, scilicet, una ad manum dextram ubi debet sedere Helias, que valde honorifice pannis albis palliatur et sericis. Ad manum autem sinistram sedet quidam patrinus tenens puerum in genibus ad circumcidendum eum.

Et de similibus quam plures cerimonie vobis possent allegari.

Homines igitur qui de haggadot talmudicis tam magnam vim faciunt et firmitatem, tam in oracionibus quam in cerimoniis, qualiter non verentur, vel non timent in tam notabili et excellenti platea vel consistorio, eis inverecunde abrenunciare, vel negare eadem ?

Dignum namque et iustum esset, quod Sanctissimus Dominus Noster Papa, ad quem expectat quemlibet eius sectam vel credenciam facere observare, dictos rabinos, tamquam hereticos et contra suam propriam sectam vel credenciam venientes, et tamquam



hos qui falsam doctrinam docuerunt et docent, absque misericordia graviter condemnare, et contra eos, ut gravissime delinquentes, penas graves exercere. Et hoc quo ad primam rationem.

Secunda quidem ratio, quam dicunt per eos fuisse allegatam et eidem per me non stetisse responsum, est hec : Quod iudei per viam tradicionis firmiter teneant quod Messias nondum venit. Et hoc pro tanto cum non fuerit aliquis in mundo in quo omnes operationes Messie, et omnes actus ipsius, in propheciis expressate concurrerint. Unde concludere intendebant quod, esto quod per auctoritates talmudicas Messiam mostretur natum esse, quod deberent exponi figurative, ut propheciis minime contradicerent.

Ad hoc quidem respondens dico, quod patet dictum rabinum non bene studuisse in processu contentum, nam si illud fuisset diligenter perscrutatus, quod non sufficienter ad hanc rationem responderim minime dixisset. Ymo, dico quod, secundum quod in dicto processu patet, per eos fuit michi oblatus quidam quaternus in quo omnes prophecie quas ad ostendendum omnes illos actus quos ipsi dicunt Messiam acturum, poterant allegare, plene continebantur, volentes asserere quod usque modo illi actus non fuerunt adimpleti. Ad quod respondi, etc., ut supra large sequitur in dicto processu. Nam in rationibus quas ipsi in dicto quaterno obtulerunt, die Mercurii decima septima Maii proxime lapso, sex species condicionum que in Scriptura esse debebant in Messia posuerunt : Primam, videlicet, quod post captivitatem eorum, ad terram promissionis erat eos congregaturus, et habitaturus in eadem seu populari.

Secundam : quod in dicte captivitatis reductione erant miracula fienda.

Terciam : templum et Ierusalem materialiter erant edificanda.

Quartam : quod tempore Messie, 'cerimonialia' [E. cerimonie] legis mosayce sacrificiorum et rerum aliarum similiter que antiquitus fiebant, debebant observari.

Quintam : quod Messias toti Universo erat predominaturus.

Sextam : quod tempore Messie guerra de Gog et Magog erat fienda et exequenda.

Ad has autem sex probandas condiciones, quotquot textus vestris viribus et conatibus habere potuistis de Biblia allegare curastis. Quorum aliqui faciebant ad propositum, aliqui non.

Post hec vero, vigesima nona die mensis prelibati, vobis super hoc replicare incepti, meis dictis manifeste edocens, qualiter aliqui illorum textuum quos superius allegaveratis loquebantur de

tempore Messie, et aliqui non ; et quod illi qui loquebantur de tempore Messie completi erant in adventu Salvatoris nostri Iesu Christi, in omnibus actibus quos vos allegatis vel attribuitis eidem.

Primo, de congregacione populi perditum ad terram promissionis, et de templi Ierusalem edificacione. Intellectis quidem huiusmodi vocabulis, terra, scilicet, et Ierusalem, secundum propriam et veram significacionem assumptis, in propheciis hunc actum tangentibus. Que quidem vocabula per dicta rabinorum antiquorum talmudistarum, quod necessario debebant intelligi in propheciis per eadem met significacione in qua sancta fides orthodoxa recipit, difuse probavi.

Item, quod in eius adventu cerimonie que tunc temporis in lege antiqua observari solebant, essent mutande, et sacrificia animalium cessanda erant, vobis ad idem probavi. Et adhuc per veros textus, qualiter verum sacrificium tempore Messie Deo acceptabile solum panis et vini esse debebat, plene nichilominus patefeci.

Item, qualiter omnia miracula per Isaiam et ceteros ad tempus Messie prenunciata, in adventu Salvatoris nostri Iesu Christi probaverim fuisse completa. Que quidem hec omnia in processu superius latissime sunt contenta, taliter quod de hiis aliquid amplius replicare esset superfluum.

Insuper allegatis quam plures alias prophecias quas, ut asseritis, tempore Messie erant secuturæ, quarum plures sunt Deuteronomii 30º cap. ; [E. + alique Ezechielis, 28 capitulo], et 37 et 39 ; et Ieremie, cap. 16, et Michee 7 cap., et Isaie cap. 11 et 49 et 52, ostendentes quod omnes prophecie predictæ istam réductionem captivitatis expectatam ostendunt debere fieri per diversas mundi partes, et in terram illam reduci, et illam reedificari et consolari tantum et adhuc melius tunc quam prius.

Hiis etenim textibus respondi quod omnes textus predicti nullatenus de tempore Messie sunt intelligendi, sed omnes realiter, et de facto, in exitu captivitatis babilonice, et reversi sunt in terram, plene fuerant completi ; et quod tunc temporis fuerant congregati nedum a Babilonia, sed a diversis partibus et regionibus persarum et Medie et Asie et Egipti ; et tunc fuerunt completa bona omnia in hiis propheciis omnibus prenunciata. Et hoc ante per quam plures prophecias large probavi, et in una earum, scilicet Ieremias, cap. 29, ubi dicitur : « hec dicit Dominus : cum ceperint impleri in Babilone septuaginta anni, visitabo vos, et suscitabo super vos spiritum meum bonum, et reducam vos ad locum

istum. Ego enim scio cogitationes quas ego cogito super vos, ait dominus, cogitationes pacis et non afflictionis» (6).

Item inquit dictus propheta, cap. 42, loquendo de eodem genere :

«*Edificabo vos, et non destruam; plantabo et non evellam, iam enim placatus fui super malo quod feci vobis.*» (7).

Item Isaias, cap. 11, inquit :

«*Erit in die illa : adducet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi*», etc. (8).

Et ut hanc magis vobis corroborarem veritatem, et vobis clare ostenderem quod non vos oportebat Messiam amplius expectare, et quod omnes predictae prophetae preteriissent, publice per auctoritatem talmudicam et manifeste monstravi quod numquam populus hebraycus nisi bis tantum terram esset possessurus; et hoc per quamdam auctoritatem in libro vocato Yebamot, et ex alia parte in Ceder Holam, cuius tenor talis est :

«*Querit doctor : potest esse quod Israel habeat tertiam possessionem in terra, tempore futuro? Respondet : Non : Nam textus dicit Deuteronomii cap. 30 : «Et inducet te Dominus Deus tuus ad terram quam possederunt patres tui, et possidebis eam.*» (9). Quia nominavit nobis bis possessionem ostendit quod primam possessionem et secundam haberent in terra, sed possessionem tertiam numquam haberent.»

Tunc enim respondentes ad hoc dixistis quod hec sententia ligata erat cum alia sententia primiciarum terre Israel, et quod non erat sententia per se. Replicui ad hoc dicens quod ymo esset sententia per se, nam etiam quod in libro Yebamot stabat dicta sententia primiciarum, tamen in libro vocato Ceder Holam erat sententia per se met, non autem mixta cum alia quavis re. Et quod per illam manifeste pateret quod tempore Messie non eratis reversuri ad terram prefatam possidendum.

Unde necessario sequebatur quod ille prophetae in hoc casu per vos allegate, in secundo templo omnino debebant compleri, cum sunt reducti de babilonica captivitate.

Tunc recurristis ad dicendum et formandum quodam argumentum, et dicendum quod hec mea ratio nullum locum habebat, cum prenosticationes prophetae ad totum Israel extendebantur, et in prosperitate templi secundi solum fuerant illi qui re-

(6) Ier. 29,10,11.

(7) Ier. 42,10.

(8) Is. 11,11.

(9) Deut. 30,5.

ducti fuerant de babilonica captivitate, qui fuerant de tribu Iude, non autem omnis Israel.

Ego vero, ad hoc satisfaciens, dixi quod in libro Neemie 7 capitulo inquit : «Habitaverunt sacerdotes et levite et omnis Israel in suis civitatibus.» (10). Et ex quo inquit omnis Israel, qui totum dicit, nichil excludit. Unde sequitur quod bona cuncta et prosperitates promisse omni Israel fuere completa.

Postquam vero totum hoc preterisset, respondistis quod amplius quid dicere ignorabatis, ut sigillatim et difuse supra patere potest in processu ; et super hoc amplius insistere vel loqui est superfluum. Verumtamen ut super hac re profundius informemini, et possitis manifeste videre quod, non obstante quod ita sit quemadmodum vos asseritis, quod illa bona templi secundi non fuerint nisi solum de tribu Iuda, ostendam nichilominus quod cum toto hoc dirigebantur prophecie omni Israel. Et ad hoc inducam vobis quamdam auctoritatem que hoc idem ad literam dicit in libro vocato Midras Thehillim, id est, Glosa morali Psalterii, super Psalmo 75, ubi dicitur :

«Notus in Iudea Deus, et in Israel magnum nomen eius.» (11).

Dicunt sic Rabini : «In hora qua Dominus Noster facit misericordiam cum Iuda, ita est sicut si faceret misericordiam cum toto Israel, nam omnis Israel vocantur nomine Iude vel Iuda, quoniam quadruplici nomine Israel appellatur : Iacob, scilicet, Israel, Effraym et Iuda.»

Patet igitur manifeste ex hoc quod cum bona in dicta prophecia sint secuta in Iuda, quod prophecie sunt sufficienter complete.

Ecce igitur qualiter patet manifeste illud quod ille rabi inquit, quod omiserim repetere et repillogare, superius in processu sufficientissime expressatum et optime probatum. Quod resumere superfluum videtur, quanto magis cum ex verbis per dictum rabinum in quarta ratione explicatis et ex eo quod in secunda parte principali huiusmodi puncti asserit, et allegat enim rabinum Moysem de Egipto.

Ergo patet manifeste cecitas prefati rabini et qualiter sibi met contradicat. Nam in duobus locis primis asserit quod 'sicut' [E. sint] certi actus et operationes Messie in propheciis expressati, et quidem alii actus quos per viam tradicionis habent ab illis a quibus legem mosaycam et glosam [E. + eiusdem] habuerunt, etc. In secunda vero parte astruit dictum rabi Moysem, alle-

(10) 2 Esdr. 7,73.

(11) Salm. 75,2.

gando quod actus Messie qualiter erunt vel futuri sunt ignoratur donec fiant, cum valde sint occulti. Attendite, igitur, rogo, et videte quam manifesta sit hec contradicció : dicere scilicet nondum venisse Messiam quia non sunt adimpleti vel facti actus quos operaturus erat per prophetas declarati, etc. ; et ulterius asserere quod actus sunt ita occulti quod eos non potest quis scire donec sint facti vel completi, ut illud diffusius ulterius audietis.



## SESION LV

SUBSEQUENTER DIE LUNE, vigesima nona dicti mensis februarii, prefatus magister Ieronimus responsionem suam continuans, ad quartum punctum huius materie in statu quo ultima dieta remansisset reassumens, sequencia recitavit in loco consueto, sub hac forma :

Tercia vero ración, quam dictus rabinus dixit fuisse per iudeos allegatam, ad quam, ut ipse met asserit, non respondiderim, est hec : quod omnes allegaciones quas dictus magister Ieronimus induxit ad probandum venisse Messiam sunt ab hominibus qui credebant et firmiter tenebant nondum venisse Messiam, propter quod martiria vel tormenta sustinebant innumera, etc. Et ideo, non obstante quod eorum verba Messiam venisse dicere videantur, postquam illud inficiebantur, quilibet deberet sequi quod credebant amplius quam quod verbotenus explicarent, et eorum dicta taliter glosare, ut cum eorum credencia concordent. Ad quod prefatus rabinus unum tale induxit exemplum : Ponamus quod aliquis homo valde auctenticus diceret venisse Messiam, sed ego non credo. Tunc deberemus sequi quod credit ; quod autem dicit, glosare taliter, ut sibimet non contradiceret.

Ad hanc autem racionem dico quod si prefatus rabinus processum superius habitum attente fuisset perscrutatus, quod respondissem ad hanc racionem confessus fuisset. Nam, secundum quod in diversis locis prelibati processus potest patere, dixi, et adhuc dico, quod auctoritates per me allegate sunt ab hominibus qui magno tempore ante adventum Christi Iesu fuere, sive prophete fuerint, sive doctores.

Et primo, per prophetas et verba Scripturarum Bible Mes-

siam venisse satis sufficienter probavi: per verba Iacob in Genesi dicentis: «non auferetur sceptrum de Iuda», etc. (1).

Item per verba angeli ad Danielem loquentis et tempus septuaginta et duo ebdomadaram infra quod Messias esset venturus dicentis (2).

Item per verba Isaie dicentis: «Et Libanus cum excelso cadet» (3). Declarata eo modo quo vestri met rabini declarant.

Item per eundem Isaiam propheticè loquentem et dicentem: «Antequam parturiret peperit» (4). Eo modo quo Jonathan in caldayca translacione, qui fuit ante adventum Christi Iesu et Redemptoris Nostri, exprese declaratum.

Item, allegavi vobis auctoritates vestri Talmud, ab hiis hominibus qui ante adventum eiusdem D. N. Iesucristi fuerunt. Quod quidem clare patet per tenorem earundem; et non sunt eorum qui eas in dicto Talmut posuerunt, cum illi solum fuerint compilatores diversarum auctoritatum in diversis temporibus et per diversos doctores dictarum. Et si quid a suo proprio dixerunt capite, quod sit obvians ei quod dicunt auctoritates antique, non debet eis maior fides prestari quam uni horum rabinorum qui fuerunt post adventum Messie citra. Omnes enim favent, ac si essent adhuc presentes huic disputationi, in auxilium dicti rabi Astruch. Et ideo ex eorum dictis vel credencia sive secta, non potest dictus rabinus sibi in aliquo adiuvari, quod sua pro parte faceret, ita parum sicut ego contra eum possem me de dictis evangelistarum, apostolorum, martirum et doctorum sancte Matris Ecclesie me adiuvare. Qui multo maiora tormenta et graviora martiria, ut adventum verissimi Messie Iesuchristi iudeis et gentibus publicarent, ad diversas ac crudelissimas mortem et penas subeundas se voluntarie suscipere offerentes; fecitque Deus plura et innumerabilia miracula propter eos, tam in vita quam in morte; ex quo secutus est talis, et tantus fructus, quod universus orbis in veram Dei noticiam et ad credendum adventum et redemptionem Messie verissime fideliter pervenit, non obstante quod nunc, propter diversos eorum errores, nonnulli in diversas hereses inciderint; quemadmodum sunt sarraceni et nonnullae alie diverse naciones.

Sicut ergo prefatus rabinus quod aliquis istorum tantorum virorum in testimonium huiuscemodi rei contra eum inducerem,

(1) Gen. 49,10.

(2) Dan. 9,24-27.

(3) Is. 10,34.

(4) Is. 66,7.



quia eos parciales reputaret, in hac altercacione vel disputacione non consentiret, ita minus debet velle contra me se adiuvare vel succurrere de dictis tam paucorum et tam rusticorum hominum, sicut fuerunt rabini talmudiste qui fuerunt post adventum Iesu-christi D. N. ; qui et licet mortem passi essent et tribulacionem vel tormenta, ea tamen passi sunt fugiendo et se latitando, non habentes aliquid ad eorum evasionem. Non enim ea passi sunt in plateis predicando eorum fidem, nec per universum ad eandem predicandum publice discurrendo inter gentes, sicut nostri fecere Christi fideles.

Idecirco differencia que inter unam et aliam mortem discernitur, unius fructus et alterius qui inde secutus est patefecit vel demonstrat. Et ideo Psalmista David de morte rabinorum vestrorum loquens inquit : «Mors peccatorum pessima, et qui oderunt iustum delinquent» (5), scilicet Christum Iesum, qui solus dici potest iustus, cum non fuerit in eo macula peccati originalis nec actualis. Et bene potest dici sine dubio eos graviter peccasse in habendo odio dictum iustum. Istud namque est peccatum de quo propheta dicebat : «super tribus sceleribus Israel, et super quartum non parcam eis, etc.» (6). Ut supra in processu prefatus textus [E. + est] lacius declaratus ; et validissimis eos coegi rationibus ac verissimis, quod illud quartum scelus non possit intelligi nisi de morte et passione Iesu Christi, cum ille sit vocatus verissime iustus, et sic intitulatur Messias in diversis locis Sacre Scripture. Zacharias enim, capitulo 9, dixit : «Exulta satis, filia Syon ; iubila, filia Ierusalem : Ecce rex tuus veniet tibi, iustus et salvator ipse» (7).

Et glosat rabi Salomon dicens : «Iste iustus impossibile est quod possit declarari nisi de rege Messia.»

Unde clare patet quod cum David dicat quod qui oderunt iustum delinquent, quod de eis dicebat, et ideo non oportet dicto rabino facere festum de morte eorum, postquam David mortem eorum taliter condempnat.

Non enim est huiusmodi nature mors apostolorum, evangelistarum, ceterorumque aliorum omnium, tam iudeorum quam gentilium, fidem Christi Iesu sequencium, de quorum morte inquit idem David :

«Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius» (8).

(5) Salm. 33,22.

(6) Am. 2,6.

(7) Zach. 9,9.

(8) Salm. 115,15.

Bene namque dici potest preciosa, cum optime vendebatur ; nam propter privacionem unius modice vite temporalis, fuit eis data in precium vita eterna, nedum pro se verum eciam pro multis aliis et infinitis hominibus, qui propter sanctorum mortem ad fidem convertebantur, videntes magnam pacienciam et leticiam quam in eorum martiriis vel tormentis gerebant, et magna miracula que Deus propter eos faciebat.

Et sicut ex dictis omnium istorum martirum christianorum michi non possim succurrere contra dictum rabinum, verumtamen si quid quod pro parte sua faceret reperiret, posset de eo contra me 'iuvare' [E. adiuvere] optime, sic et ego ex dictis rabinorum suorum, qui fuerunt post adventum Christi Iesu, quibus ego nullam fidem exhibeo, possum indubie me succurrere, et de ipsis contra eum adiuvere, contra me vero ipse minime. Sic enim parti utrique conservatur equalitas, ut est rationabile.

Exemplum autem quod prefatus rabinus induxit ad dictam racionem confirmandam, implicat in se contradiccionem, cum presuponat quod sit homo bene auctenticus et quod loquatur vana, Messias scilicet iam venit, sed ego non credo. Presertim quod dictum exemplum in nullo sit dicto casui nostro vel proposito conforme. Nam, ut dictum est, hii qui dixerunt illa verba que docent Messiam venisse, non fuerunt illi qui credebant ipsum nondum venisse ; nam primi fuerunt post adventum Christi, secundi vero qui eum precesserunt. Sed ut exemplum materie esset consonans, dictus rabinus sic dicere debuisset : Ponamus quod aliquis sic diceret : Dico autem vobis, quod antiqui doctores vel prophete certitudinaliter mostrant Messiam venisse ; sed ego non credo. Et sic exemplificando, est exemplum conforme racioni. Et omnibus patet quod prefatum exemplum in hunc modum positum, venit de directo contra dictum rabinum.

Verumtamen posito exemplo in modum quem ponit ipse, venit contra eum ; nam cum dictus homo inquit Messiam venisse, iam profert sentenciam affirmativam, quam, iuxta dictum eius, asserit ipsam esse veram. Sed post, cum dicit, «sed ego non credo», non sequitur factum sic se non habere ; propter illud non credere, solum sequitur quod venit contra veritatem, quam ipse asseruit. Et hoc quidem est manifestum

Quarta enim racio, ad quam dictus rabinus dicit me minime respondisse, est hec : Item a quibus habemus per viam tradicionis legem mosaycam et glosam cerimonialium mandatorum eiusdem, ab illis met per viam tradicionis habemus similiter que sunt condiciones et operaciones Messie. Ex quo sequitur necessario

quod sicut non ponimus dubium in glosa facta per eosdem in mandatis ceremonialibus, minus ponere debemus in actibus Messie, etc.

Ad hanc rationem dico me respondisse in responsione rationis proximo lapse. Nam rabini qui fuerunt post Christi adventum in uno nec in alio non est eis fides prestanda, et multo minus in huiusmodi altercacione vel disputacione, ut dictum est. Et si dictus rabinus loqui intendit de doctoribus qui fuerunt ante Christi adventum, illi enim numquam actus nec operationes Messie, qui non conveniant optime Domino Nostro Iesuchristo amodo assignarunt, ut supra, cum de condicionibus tractaverim, diffuse monstravi.

Ad hanc igitur rationem hoc sufficit pro responsione. Verumtamen ex hac ratione est notandum quod dictus rabinus affirmat condiciones Messie quales esse debebant, et ipsis iudeis per viam tradicionis tradite, cuius in hoc eodem puncto asserit totum oppositum, ut supra lacius actum est. Hoc igitur sufficit quantum ad rationes quatuor in prima parte huius puncti positas.

Secunda vero pars huius puncti duo facit : Primo quidem vult ostendere quod auctoritas sex mille annorum fuerit dicta oppinative. Et in hoc videtur quod iudeus velit impugnare quamdam formam per magistrum Sacri Palacii superius habitam ad probandum quod dicta auctoritas non fuerit dicta oppinative ; inducendo ad hoc argumentum, tam ex parte tenoris et doctoris, quam impugnatorum, etc.

Ego vero pro presenti, nolo me intromittere circa illam formam defendendam quam prefatus magister ordinavit, quoniam fuit solum verbo posita, et verbotenus defensa. Tamen ad probandum optime non fuisse dictam oppinative, ymo magna cum certitudine, et ad defendendum rationes quas prefatus rabinus contra hoc facit, satis sufficit quod per me in responsione ad rabinos Ferrer et Mathathias dictum est superius, cum quibus materia hec largissime fuit tractata. Et ideo superfluum esset illud replicare pro presenti. Sed recurrat ad superius habita, illud cupiens videre. Tamen est hic unum, quod non licet omitti, scilicet, quod dictus rabi in principio huius partis secunde huiusmodi puncti ponit hec verba in forma : Quod redemptio Messie est quid occultum et secretum, sive sapientibus per viam tradicionis, sive prophetis per viam propheticam, et angelis per viam glorie, ut supra in eius scripto continetur. Verba hec rabi Moysis de Egipto in libro vocato Soffrim super facto Messie : «hec omnia et similia

ignorat homo qualiter futura sunt usque quo fuerint, nam sunt occulta circa prophetas, nec sapientes habent hoc per tradicionem».

Ecce igitur qualiter hic rabinus devius ambulet et incertus. Ipse namque dixit superius, in hoc eodem puncto, circa principium, quod actus Messie et eius operationes sint expressati in propheciis. Et in continenti dixit inferius quod per viam tradicionis est eis certum que sint condiciones Messie et eius operationes. Nunc vero in hac secunda parte inquit, sicut vidistis superius, quod redemptio Messie sit occulta, et sapientibus et prophetis et adhuc angelis secreta. Inquit insuper, allegando rabi Moysem, quod auctoritates de facto Messie loquentes, ignorat homo qualiter future erunt, nam sunt occulte, etc.

Qualiter igitur potest hec contradiccio tam notoria excusari? Nam si expressate sunt in propheciis et etiam per tradicionem, scitur certitudinaliter et expresse 'quod' [E. que] sint, et homo adhuc habet noticiam earundem, et que sint. Igitur non possunt esse occulta et secreta, hiis saltem qui dictam certam noticiam habent, et sunt eis expressa; multo autem minus prophetis qui eas expressarunt manifeste, et adhuc sapientibus qui eas dederunt per tradicionem. Et non oportet hoc dicere de angelis, qui maiorem in similibus habent noticiam.

Ad exemplum vero quod ponit dicens quod [E. + propter] asserere vel dicere duo mille dies Messie sequatur quod non sit certum realiter venisse Messiam, sed potuisse venisse vel venire nisi peccata eum impedivissent.

Ad hoc autem sunt plures responsiones, ut ratio eius nullius sit valoris:

Primo namque, quoniam in responsione per me facta ad rabi Ferrer, recolo me probasse quod peccata ipsum non impediabant, nec poterant impedire. Verumtamen, ipse concessit quod tempus illud esset verissimum tempus pro Messia assignatum. Deinde ipse tenetur probare impedimentum peccatorum, et non probat. Ymo autem probavi in responsione ad rabi Ferrer oppositum huius. Probato igitur quod nullum sit impedimentum, sequitur tunc temporis iam venisse Messiam.

Item quod hoc vocabulum «dies Messie», est vocabulum in toto Talmut ad tempus in quo Messias 'veniret' [E. venerat], non autem ad tempus in quo esset dispositus ad veniendum, ut ipse asserit. Et hoc reperitur in quam plurimis locis scripture eorum; tamen videri potest in oratione quam faciunt in nocte Pasche panis acimi, in quadam oratione Hallel vel Haggada anud eos nuncupata, ubi recitatur tota historia redemptiois Egypti:

et ibi fit mencio quod prefata redemptio nominabitur in eternum, nedum ante adventum Messie, sed adhuc postquam venerit; et nominat eam dies Messie. Et sic in pluris locis, ut patet in ultimo capitulo libri Soffrim, ubi incipit: «Non mediteris quod in diebus Messie debeat mutari cursus mundi, etc.» Ulterius dixit: In principio dierum Messie, erit bellum de Gog et Magog; et inquit: «omnes iste Scripture in actibus Messie sunt exempla, et in diebus Messie scietur quid erunt exempla».

Sequitur igitur quod tempus in quo Messias de facto iam venit, proprie et vere dies Messie nuncupentur. Unde sequitur eius argumentum nullum penitus habere locum, nec alicuius efficacie esse nec valoris. Et per consequens omnia quecumque dicta sunt per eo in dicto puncto sunt cassa et vana, et sibi invicem obviancia. Et hoc quo ad primum punctum.



## SESION LVI

DIE VENERIS, VIGESIMA TERCIA mensis februarii, prefato magistro Ieronimo et iudeis in loco consueto pariter congregatis, dictus rabi Astruch proposuit in hunc modum :

Contra quintum punctum dico quod in disputatione in scriptis facta nulla fit mencio de tali racione nisi de ea ubi dicitur : Inquit Rabasse etc. (1). Et in ea affirmavimus omnes, et nunc adhuc ego firmo seu adhereo. Que quidem glosa est necessaria, nam auctoritas, si certitudinaliter loqueretur, sicut dixit «non est mundus minus», quod demonstrabat magnam certitudinem, dicere debuisset : non addet mundus super hoc tempus sine Messia. Sed quia non dixit nisi, «in iubileo ultimo filius David veniet», videtur quod non loqueretur certitudinaliter. Et ideo dixit Rabasse : «deinde expecta eum».

Mirandum est igitur de magistro Ieronimo, qui scriptum processum repilogat, qualiter repetat que in processu non sunt, nec mencio de eis fiat aliqualis.

Verumtamen cum toto hoc dico quod subiectum aptitudinis est populus israeliticus tunc temporis, et sicut unus sarracenus aut gentilis quinque annorum audiens hanc informacionem vel disputationem non esset aptus incontinenti ut converteretur virtute huiuscemodi disputationis ad fidem christianam, cum autem esset viginti annorum, et bene introductus ad intelligendum et ad advertendum in racionibus in disputatione contentis, esset aptus natus ut converteretur ad fidem christianam, bene sic intendebat ille sermocionator quod populus Israel ante tempus illud non erant apti nati ad opera meritoria facienda, nec ad habendum

---

(1) Cf. Sanh. 97 b.

illam contricionem que ut veniret Messias pertinebat, et merebatur; et ulteriori tempore erat populus israeliticus aptus natus ad operandum vel agendum opera meritoria, ut veniret Messias. Et quemadmodum ille homo non convertendo se ad fidem christianam non sequeretur ipsum non esse aptum natum, similiter non veniendo Messias illo tempore non sequitur quod populus Israel non fuerit aptus natus ad agendum opera meritoria.

Contra sextum quidem punctum respondeo dicens: quod ex auctoritate rabi Osua filii Levi (2), probatur Messiam nondum venisse, sive per practicam sive per logicam:

Primo quidem per practicam. Dico sic: Practica autem est omni homini tam prophetarum quam alterius persone cuiuscumque nobilis condicionis existat, quod si aliquis in aliquo articulo legis dubitans ad eum qui scit venerit aut errans, in eodem dictus sapiens eum dirigit et documentat clarissime, taliter ut ex tunc nullatenus hesitet atque erret.

Rabi Osua autem, filius Levi, venit ante Heliam prophetam et ante Messiam, nedum dubitans an Messias venisset, sed determinando quod nondum venerat; et ipsi non removerunt eum clare ab hac oppinione, ymo responderunt sue oppinioni concordando.

Videtur igitur quod Rabi Osua non errabat in eius oppinione, cum ipse quereret quando veniet Messias. Nam videtur quod 'habetur' [E. haberet] pro determinato Messiam nondum venisse. Debebat enim sibi Helias respondisse: Tam diu est quod venit, et veniet [E. + nunc] ad te si vocem eius 'audieritis' [E. audieris]; [E. + et non debebat sibi respondere: hodie si vocem eius audieritis], quia videbatur respondere ad interrogata per eum, scilicet de adventu universali et corporali, et dicebat «hodie si vocem eius audieritis» in plurali. Et hoc magis eum in eius errore confirmabat quam amoveret ab eodem. Nam rabi Osua, cum peteret quando veniet Messias, de adventu universali petebat; quia si adventus ille sibi erat certus, et solum querebat de singulari adventu, non oportebat querere quando veniret, quia factum ex eius conversione pendebat, scilicet, ut quam citius ad eum converteretur.

Item per logicam: Dico quod 'verum est bene' [E. bene verum est, quod], si rabi Osua poneret in questione an Messias venisset vel ne, quod non posset determinari an venisset vel

---

(2) Cf. Sanh. 98 a.



ne : Sed rabi Osua non ponebat in questione quod non venisset Messias, ymo ipse illud clare asserebat, et tenebat ; sed solum dubitabat an moram faceret multam aut parvam.

Ad quod probandum talem formo racionem :

Omnis qui petit tempus rei, asserit rem claram fore et determinatam.

Rabi Osua, filius Levi, petebat de tempore in quo erat venturus Messias.

Ergo rabi Osua tenebat clarum et determinatum quod nondum venisset Messias.

Item dico quod, licet diceretur in auctoritate : «Vade et pete ab eo», et quia dicitur ubi est, scilicet in porta Rome, non mostratur venisse Messiam. Alias sequeretur quod rabi Osua filius Levi, sibi met esset repugnans, et quod solucio facta per dictum magistrum Ieronimum non sufficeret. Et dico sic :

Rabi Osua vidit quod Messias esset in porta Rome. Item audiuit Heliam : Vade, pete ab eo. Et hoc totum docet Messiam iam venisse. Ergo rabi Osua vidit atque sensit quod Messias iam venisset. Rabi enim Osua petebat quando veniet Messias. Qui autem talem interrogacionem facit clare tenet et videt quod Messias nondum venerit. Sequitur igitur quod rabi Osua intelligebat Messiam nondum venisse, et iam intelligebat et videbat quod venisset. Ergo rabi Osua esset sibi contrarius.

Hec autem contrarietas oritur ex eo quod dicitur quod propter hoc, quia Messias erat ad portam Rome, probatur ipsum iam venisse. Sequitur igitur necessario quod propter stare ad portam Rome minime probetur venisse. Et hoc est clarum ex se, quod propter existere Messias in aliquo loco, et non sit operatus actus Messie, quod Messias venisset non diceretur. Nam christianus, propter venisse Iesum Nazarenum in Bethleem, si mortem et passionem ad redimendum animas de inferno non recepisset, non diceret Messiam venisse. Et iudeus propter Messiam venisse in aliquem locum, et non congregasset iudeos in terram promissionis, non diceret Messiam venisse.

Item dico quod prefata auctoritas dicta est in modum visionis et revelacionis, quam habuit dictus rabi Osua, sicut aliam auctoritatem quam inquit rabi Osua : «Accessi cum Quipot angelo ad infernum et Paradisum» (3). Et hoc est impossibile aliter esse quam per modum visionis et revelacionis. Intencio autem prefate auctoritatis est [E. + quod rabi Osua] cogitabat quod

(3) *Bereshit Rabbá* de Darshán, par. 60, in Gen. 24,67 (ed. B. N. 64-65).

adventus Messie attribueretur certo tempore, et quod esset impossibile alias quam in tempore illo iam ordinato vel prefixo; et respondit sibi Helias in predicta visione vel revelacione, quod adventus Messie non esset in tempore certo, ymo adventus eius erat valde promptus vel proximus, in tantum quod ab eo poterat petere quando veniet; qui dixit quod stabat ad portam Rome inter pacientes infirmitates, ad significandum quod adventus Messie debet esse christianis, cum sit populus potencior et sublimior, et liberabit populum Israel qui sunt pacientes infirmitates.

Item videbatur rabi Iosue in eius visione, quod loquebatur cum Messia, et quod petebat ab eo quando veniet, et quod respondit sibi hodie. Et in hoc docuit eum factum Messie esse presto, et quod non tardaret nisi quia non sumus digni.

Contra septimum punctum, respondeo et dico quod accipiendo auctoritatem arabis (4) prout ponit magister Ieronimus in suo tractatu, glosa facta per iudeum est optima et sufficiens, absque aliqua falsitate. Et nedum dico quod dicere *ytvelid* vult dicere dispositum nasci, vel ad nascendum; sed dicere *haribet megdesach* in hebrayco, quod idem est dicere quod destructum est sanctuarium, vult dicere ordinatum et sentenciatum ad destruendum. Et hoc quia certum est quod destructio templi facta est in magno tempore, non autem repentino nec subito; et cum fuit destructum, ymo magno tempore ante, sciebatur per universum Israel, et non erant necessarii arabs nec mugitus bovis ad notificandum illud. Sed videtur hoc fuisse ante templi destructionem, et mugitum primum fuit sibi divulgatum per sua auguria quod templum esset destruendum vel diruendum. Et dixit huic iudeo quod boves disiungeret, ut sibi ostenderet quod terra Ierusalem et promissionis destrueretur et devoraretur, et quod nullum opus ibi fieret.

Per secundum vero mugitum fuit ei divulgatum fore determinatum quod Messias nasceretur, et esset reedificator templi. Qui quidem, postquam illud reedificasset, numquam amodo destrueretur. Et ideo dixit ei ut iterum iungeret boves eius, ut ostenderet sibi quod adhuc rediret templum ad suum esse primum, et quod duraret in perpetuum. Et hoc [E. + est] quod dicitur in fine auctoritatis: per me fuit destructum et per me reedificabitur.

(4) Cf. J. Berakot, 5 a.

Item dico hanc glosam fore necessariam propter illud quod dicitur in auctoritate prefata : «Quid oportet nos adiscere ab arabe? Nam textus clarus est in quo dicitur : «Et Libanus cum ex-cciso cadet», etc. (5).

Et formo talem racionem : Omnes due allegaciones, quarum una de preterito loquitur, et alia de contingenti materia, id est, de tempore futuro, sicut de ortu vel nativitate Messie [E. + statim] post destructionem templi, hic nichil deficit, nam sic est in cedula iudei nichil addito nichilque remoto.

Allegacio prophecie loquitur de futuro tempore. Per consequens sunt probaciones distinte. Qualiter ergo inquit : Textus est clarus vel textum esse clarum? Ergo oportet nos dicere quod sicut propheta locutus est de futuro, ita ad idem loquitur arabs. Ergo glosa per iudeum facta est vera et bona et sufficiens, et absque ulla falsitate. Accipiendo auctoritatem sicut iacet in libro vocato Echarabethi (6), videtur michi quod debeat intelligi metaphorice et figurative. Et hoc propter aliqua dubia que possunt moveri in eadem :

Primo, quoniam dicebat mater filio : ille erat infelix quoniam, hora qua natus est, destructum est templum. Mirandum namque est qualiter inter tantam multitudinem gentium esset Israel tunc temporis, quod non nasceretur aliquis alius die illo quo templum destrueretur, nisi Menahem.

Item, quia dicit quod propter puerum illum fuit destructum templum. Mirabile est adhuc qualiter puer unius diei, die eodem quo natus est, aliqua commisisset propter que merito veniret puniendus, nec reperimus eciam quod, die quo natus est, iudei facerent sibi talia propter [que] templum destrui mererentur. Item quia dicitur in auctoritate, quod post aliquod tempus insurrexissent venti validi, et illi proiecerunt in extremis terre (7) ; et hoc patet manifeste in figura, et quidquid pro maiori parte in prefata auctoritate continetur.

Figura autem prefate auctoritatis michi videtur quod sit hec : Iudeus autem, qui arabat cum dictis bobus, Israelis universitatem significabat, in terra promissionis congregatam, que conservabatur propter virtutem quam habebat in duabus naturis hominum, quoniam ibi erant homines singulares solliciti circa mundana, et homines clerici solum de servicio divino curantes. Mugitus vero unius bovis, excessum significat quo gens secularis, id est

(5) Is. 10,34.

(6) Cf. *Eka Rabbati*, par. 1, in Lam. 1,16.

(7) J. Berakot, 5 a. Cf. *Bereshit Rabbá* de ha-Darshán, in Gen. 30,38.

prevaricatores, excesserunt super gentem devotam et bone vite, id est, phariseos. Et ideo mandavit sibi iungere boves denunciando et significando sibi quod esset magna discordia inter phariseos et prevaricatores, et magnum odium gratis, quod causa esset destructionis templi, et sic fuit. Secundus vero mugitus, significabat quod si forte homines devoti et bone vite exclamarent devote et supplicarent Domino Deo Nostro, et tolleretur odium gratis ab eisdem, et unanimiter vel invicem concordarent, quod esset istud causa ut veniret Messias; et cum [E. + hoc] esset paratus ac si esset natus, idcirco dixit: 'Disiunge' [E. iunge] boves, cum iam natus sit rex Messias. Deinde subiunxit, quod nomen Messie est Consolator, filius fortitudinis Dei, cum ostenderet populo Israel duo fore necessaria: unum videlicet, quod non desperet de gracia Dei, ymo consoletur, et firmiter corroboretur; secundum vero, quod magnam fortitudinem habeat et potestatem in paciendo vel tollerando labores et tribulationes. Et hoc ait ei, ut sibi ostenderet, quod populus staret magno tempore in captivitate, et 'suffirent' [E. sufferrent] vel paterentur plura infortunia, et labores. Deinde dicit quod vendidit boves: Hoc significabat qualiter cum destructum fuisset templum, sunt destructi tam pharisei quam prevaricatores. Et dicit quod ibat de villa in villam, id est quod populus Israel irent captivi de regno in regnum. Subsequenter dicit quod factus est mercator, ut ostenderet quod sicut mercator vivit de modico thesauro cum magnis et [E. + cum] parvis, sic populus Israel viverent cum modico, et cum suis omnibus laboribus haberent noticiam et transirent vitam suam sive cum magnatibus, sive cum popularibus.

Istud vero quod inquit quod matres omnium emebant pro filiis suis, etc., michi videtur quod significet multitudinem magne sciencie quam habent omnes alie gentes, taliter quod quidquid locuntur, cum magna firmitate et constancia locuntur, velut parvulus qui bene est calceatus potest secure firmare pedes suos, et qui est discalceatus valde modicum impedimentum facit eum inclamare et cadere. Ita qui non habet scienciam, valde modica questio est sufficiens ad eum proiciendum. Israel vero non curabat de sciencia. Et secundum hunc modum possumus dicere quod quia omnes libri vel codices scienciarum fuerunt de gente israelitica et ab eis totus habuerit universus, idcirco dicitur quod facta est venditrix caligularum. Et quod dicit quod homo erat infelix, etc. Hoc dicit quoniam respectu magne duracionis et magne prosperitatis aliarum gencium, bonum quod Israel habuit fuit valde modicum, in tantum quod bene poterat dicere quod

hora qua natus est, destructum est templum, id est, in principio eius prosperitatis, taliter quod immediate sinivit. Et hoc quidem annotavit vel attribuit adverse sue fortune, alio vero respondente, quod hoc fecisset propter eius peccata, et quod propter eius merita totum recuperaretur.

Deinde dicit quod eiecerunt eum venti et fortune ad extremitatem terre, ut demonstraret eius longitudinem captivitatis et quod essent dispersi atque divisi a terra promissionis.

Posset dici etiam hoc fuisse in primo templo, et duo boves significabant regem et sacerdotem, qui regebant regnum. Et unus mugitus fuit signum ad rebellionem, quam fecit Sedechias, qui fuit causa destructionis, et secundus fuit signum ad conamen victoriae Machabeorum. Et id quod dicit «et recipit eum», significabat templum secundum.

Hec autem figura et similis fieri debet in hac auctoritate et [E. + huic] similibus. Unde ex eadem nec eidem similibus potest concludi Messiam natum fuisse, apparuisse nec venisse.

Item dico quod dato quod reperiretur sermo aliquis in aliqua fabula que diceret manifeste ad literam Messiam natum esse vel fuisse, victoria tamen quo ad nostram questionem [E. + nulla] sequeretur, cum unam de duabus opinionibus in hoc habeamus: [E. + scilicet], quoniam aliqui credunt quod quolibet tempore mundi reperitur inter iudeos unus virtuosus et valde bonus et valde bone vite, qui, si forte Israel essent meritorii, Dominus Deus Noster reindueret vel restitueret eos titulo Messie, et redimeret eos de captivitate.

Alia vero est quod aliqui credunt quod Messias est iam natus et quod est in Paradiso; et quacumque hora qua nos essemus meritorii, ipse esset paratus ad redimendum nos de captivitate. Et hoc est quod dicitur in Echarabeti: «Si ex vivis est, David est nomen eius; si ex mortuis, David est nomen eius.»

Et christianus qui credit Messiam esse Deum et hominem, et plura alia ad que intellectus non sufficit naturalis intelligere, nisi sola fides, non debet mirari de hiis duobus opinionibus. Et secundum quamcumque harum duarum opinionum iudeus nullatenus potest convinci per aliquam auctoritatum superius allegatarum per dictum magistrum Ieronimum.

Ad octavum vero punctum, respondeo dicens, quod responsio prehabita per respondentes in processu disputationis est sufficiens; adhuc tamen michi videtur quod optime possit corroborari.

Et dico quod non modica moveor admiracione de magistro Ieronimo, qualiter credat probare ex hoc Messiam fuisse discopertum ante destruccionem templi.

Ponamus enim casum quod quedam mulier debuisset habere unum filium, quem cum magna crudelitate occidisset, ex qua ipsa esset martirizata et passionata per plura martiria et passiones, esset aliqua ratio quod propheta diceret quod propter illos dolores et passiones ante doletet quam parturiret. Certum nempe est quod si dolor est propter malum quod factura esset filio postquam fuerit natus, quod ante haberet parere filium. Hoc autem diceret non puerulus, minus igitur hoc diceret propheta. Et secundum intencionem magistri Ieronimi certum est destruccionem templi fuisse propter odium quod Israel habuit cum Messia; quid ergo oportet dicere quod discooperietur Messias, antequam Israel habuisset odium gratis cum eo?

Item, quia secundum intencionem prefati magistri Ieronimi non debuisset dicere textus nisi: prius pariet et postea parturiet vel dolebit. Nam dicendo: «antequam parturiret peperit», non sequitur quod dolores paciantur post. Verbi gracia, si quis dixerit de aliquo studente: antequam sit magister erit bacallarius, [non] sequitur quod postquam fuerit bacallarius sit magister, quoniam possibile erit quod numquam promovebitur ad gradum magisterii.

Item, ubi dicitur: «antequam parturiret peperit» (8), videtur quod dolorem quem naturaliter habere debuerat primo de partu, illum eundem postea haberet; et illum quem Israel habuit post adventum Messie, impossibile erat quod haberet primitus.

Item, adventus Messie debebat esse salus doloris illius, quemadmodum et nativitas masculi medicina est doloris parturientis. Et hoc quidem non fuit sic, ymo dolor crevit in eius adventu, et ille numquam reparatur.

Preterea, adhuc valde miror de magistro Ieronimo qualiter nos annotat quod simus dure cervicis, quia fidem nostram non dimitimus et credenciam, quoniam hominibus qui sustinuerunt fidem et credulitatem quam hereditate possederunt a predecessoribus suis, qui fuerunt homines valde excellencie magne et discrecionis, et optime vite, et homines habentes revelaciones divinas et virtuosas magnarum virtutum; hoc autem eis debet attribui vel notari ad constanciam et stabilitatem bone legalitatis, et non curare de bonis temporalibus nec terreri a fortunis et laboribus, non

---

(8) Is. 66,7.

ad duriciam, nec ad maliciam; hoc enim non debet imputari vel reputari ad deordinatam perfidiam, et cervicis duriciam.

Item dico quod quicumque bonus naturalis intellectus qui nulli parciū esse possit parcialis, 'aut' [E. ut] michi videtur iudicare dictum magistrum Ieronimum minime conclusisse iudeo in 'conclusionē' [E. questione] venisse Messiam, scilicet, per auctoritates superius allegatas, tam in processu quam in presenti responsione.

Hoc est enim quod ego Astruch Levi ad presens respondeo, non ignorando insufficienciam meam malaque labores que in me occurrunt ad omnem scienciam et ad omnem intellectum tollendum seu privandum, sed velut is quem rationes prefate anxiant vel angustiant, et fidelitas fidei mee artat vel me constringit.

Et credo quod cum hac responsione sim excusatus ad ulterius super hoc actu huiuscemodi disputacionis minime respondere, propter rationes universales in presenti responsione contentas. Et iam propter hoc, nostra credencia, que est Messiam non venisse, non minuitur nec confunditur. Illam namque qui sumus iudei firmam tenemus et veram.

Et humiliter vestre Sanctitati supplico, pater sancte, quod hanc meam responsionem processui disputacionis adiungi mandetis, tamquam illam quam credo esse confirmatoriam responsionum per alios rabinos et per me ordinarum et deffendendo illas ab obieccionibus per magistrum Ieronimum contra eas factis.





## SESION LVII

PREFATUS VERO MAGISTER IERONIMUS ad huiusmodi per dictum rabi Astruch proximo recitatis, respondit sub hac forma :

Circa quintum punctum, in quo videtur dictus rabinus velle facere duo : primum in glosa per eos super auctoritate iubileorum data se refirmare, dicens quod prefata auctoritas, in quantum tangit adventum Messie, non loquebatur certitudinaliter ; et ad probandum dictam glosam nedum esse veram, verum eciam quod necessario sic debet intelligi prefata auctoritas, prefatus rabinus talem format rationem :

Si dicta auctoritas certitudinaliter [E. + loqueretur], quemadmodum dixit «non est mundus minus» demonstrabat magnam certitudinem, debebat enim dicere : non adiciet mundus super tempus istud sine Messia. Sed quia non dixit nisi «in iubileo ultimo filius David veniet», videtur quod non loqueretur certitudinaliter. Et ideo dixit Rabasse : «ex hinc expecta eum».

Ad hanc quidem rationem respondeo dicens quod, secundum quod magis large in processu superius ostenditur, hec glosa quam dicti rabini condere vel texere voluerunt, nullius esse coloris, et est verbis auctoritatis opposita. Et presertim destruitur et confunditur dicta glosa per interrogacionem in fine auctoritatis positam, scilicet, quia fuit interrogatum an veniret in fine ultimi iubilei aut in principio ; et fuit responsum quod in fine. Omnibus igitur patet quod aliquo dicente huiusmodi verba : crastina die recedet Dominus Noster Papa de civitate Dertusensi ; interrogaretur ab eo an recedet mane vel vespere, notum enim est quod iste homo non incerte, ymo certe vel certitudinaliter loque-

retur, velut de hoc certam habens noticiam quia dixerat ei Papa vel quisvis alius, cui fides merito erat prestanda. Aliter enim, si certe non loquebatur, facta sibi interrogacione predicta, respondere autem debuisset : non sum certus an cras sit recessurus, sed istud saltem sic presumo, et ideo nescirem respondere an recedet mane vel vespere. Certum enim est quod ad recognicionem rerum particularium descendens maiorem habet noticiam earundem.

Racio autem quam inducit dictus rabinus ad confirmacionem dicte glose sue de directo omnimode est contra eum. Nam ipse inquit quod si dicta auctoritas loqueretur cum certitudine debuisset sic dicere : Non addicet mundus super hoc tempus absque Messia. Omnibus ergo patet evidenter, quod si quis : non transibit quadragesima 'ante quam' [E. absque hoc quod] rex veniat Dertusam ; [E. + aut sit : rex veniet Dertusam] hac quadragesima ; nulla ratione potest excusari quin verba quarumlibet harum proposicionum equalem non demostrent certitudinem. Et postquam prefatus rabinus concedit quod si primo modo fuisset dictum magnam demonstrasset certitudinem, ad idem tenetur concedere quod dicendo in secunda forma magnam omnino demostret certitudinem, omni penitus seclusa dubitacione.

Valde etenim admirandum est, unde prefatus rabinus habeat quod verbum hoc *veniet* non demostret certitudinem. Certum enim est apud latinos gramaticos quod verbum hoc *veniet* sit modi indicativi, quod significat demonstracionem. Quo quidem modo non alius cercior modus ad loquendum et mentis conceptum exprimendum. Secundum vero gramaticam hebraycam, auctoritas dicit : filius David *ba* ; et hoc vocabulum *ba* significare potest tempus presens, dicendo : filius David venit ; vel potest significare preteritum, quod idem est quod iam venerat. Et in quacumque istarum significacionum est modi indicativi, qui semper loquitur cum demonstracione. Et sic patet quod prefatus rabinus voluntarie moveatur ad loquendum, in tantum quod adhuc gramaticalia principia, que adhuc pueruli non ignorant, conatur funditus destruere.

Secundum autem, quod dictus rabinus conatur facere in dicto puncto, est aliam glosam per iudeos supra in prefata auctoritate iubileorum voluntarie factam suis viribus deffendere, inquires quod cum dicitur «filius David veniet», vult dicere : erit aptus natus ad veniendum. Que quidem glosa fuit diffusius superius in processu et in repilogacione per plures raciones reprobanda, quas ad presens repetere superfluum non sine causa videretur.

Verum inter cetera fuit dictum quod si illud quod dicit *ve-*

*niet* significaret aptum natum, etc., illa aptitudo semper fuerat ante tempus illud, tam ex parte temporis, aut alterius cuiuslibet consideracionis, ut supra lacius dictum fuit in processu. Nunc vero prefatus rabinus ad dictam glosam erroneam quomodolibet defendendam sic inquit, quod subiectum aptitudinis est populus israeliticus tunc temporis, velut quidam parvulus quinque annorum, aut gentilis, qui presentem audiret disputacionem vel informacionem, non esset aptus natus immediate ad se ad fidem orthodoxam convertendum. Sed cum in vigesimo anno constitutus existeret, esset aptus natus ad se convertendum. Sic enim de populo israelitico, ante tempus illud non erant apti nati ad faciendum opera meritoria, ad hoc ut Messias veniret; et quod post illud tempus est aptus natus ad illa facienda; et tamen ex hoc non sequitur quod qui est aptus natus ut convertatur ad fidem christianam, de facto convertatur.

Ad hanc quidem racionem respondeo dicens: Quod hec ratio defficit multis modis:

Primo siquidem, in proprietate et significacione vocabulorum. Certum enim est quod nullus aptus ad fidem converti, nec ad alios actus similes a voluntate seu inclinacione nature dependentes, cum aptum natum sit illud cui natura dat agere aliquem actum, quemadmodum homini ridere aut videre, dato quod sit cecus, aut quod aliquo impedimento impeditus non possit ridere, nam non propter hoc cessat esse risibilis, aut aptus natus videre iuxta suam naturam. Sed in hoc casu non habet locum aptus natus, ymo est valde improprium.

Verumtamen, improprietate vocabulorum omissa et iuxta intencionem ad quam illud dicit prefatus rabinus accipiendo, dico quod illa eius ratio non habet locum. Nam verba auctoritatis non paciuntur talem exposicionem; quoniam si talis exposicio, sicut est ista, possit fieri in auctoritatibus et dictis Sacre Scripture, nulla esset conclusio que per eam posset probari, ymo 'quod' [E. quodquod] hereses vellet sustinere posset quilibet per eam defendere, omnia que Sacra Scriptura recitat fuisse facta glosando, dicendo scilicet, quod non vult dicere quod fuerint facta, sed quod possent fieri, aut habuit aptitudinem ad illud, et illud idem ad ea que futura sunt. Quantum autem hoc sit contra omnem racionem est notorium et manifestum.

Et eciam sequeretur quod si quis diceret: Petrus comedit aut Petrus dormit, aut aliud huic simile, quod esto quod Petrus nec comederet nec biberet tunc temporis, omnes iste proposiciones essent vere, dicendo quod Petrus comedit significabat quod

aptus erat ad comedendum. Quod quidem adeo est contra rationem, quod non de eo est iuste loquendum.

Ad maiorem tamen dicte rationis confusionem, dico quod aut prefata aptitudo quam dictus rabinus inquit quod tunc temporis in populo illo esset, aut vult loqui de aptitudine intrinseca, scilicet, quod voluntates eorum essent promptiores ad faciendum opera meritoria amplius quam ante istud tempus, aut vult dicere de aptitudine extrinseca, scilicet, quod haberent ea que necessaria essent ad prefata opera meritoria facienda, et minus impedimenta que eos impedire posset ad faciendum.

Si enim loquitur de hac secunda aptitudine, manifeste dicit contra id quod per dictos iudeos in hac publica platea vel consistorio pluries extitit concessum, scilicet, [E. + quod] propter esse in captivitate non potest facere opera tam meritoria, 'nec' [E. neque] cerimonias legis mosayce observare ut deberent. Et nedum hoc videtur esse verum per dictum vestrum, verum etiam rabi Moyses in libro vocato Madda, in capitulo penultimo, illud idem inquit, quod propter hoc quia populus Deum dimiserat venerunt sibi maledicciones legis, et perdunt eius tempus in turbacione et pavore, et non habent spacium ad observandum legem Dei. Et ideo sequitur quod perdant hoc seculum et aliud; ut exeant ab hac tribulacione et ut possint Deo bene servire adventum Messie desiderant, ut a subiugacione regni nequam requiescant, et possint bene observare legis mandata.

Hucusque sunt verba rabi Moysis.

Ergo, cum tempus ultimi iubilei et citra ipsi continue fuerint in captivitate, qualiter potest dicere dictus rabinus quod maiorem habuerint aptitudinem extrinsecam quam habuerint ante dictum iubileum, cum fuerunt in eorum libertate, et tenebant templum, et sacrificia faciebant, etc.?

Et ut in responsione prelibata ipse clare patefecit, rabi Ferrer facta, quod numquam scilicet amodo lex ebrayca fuerit inconcusse servata, quemadmodum fuerit ante illum iubileum ultra octingentos annos; et ex tunc citra est per oppositum, propter ea que dicta sunt superius. Qualis igitur est sufficiens ad dicendum quod primo tempore ut Deo servirent non erant dispositi, et post, cum propter impedimenta captivitatis minime poterant ei servire, veniebat eis dispositio et aptitudo?

Et sic de prefata aptitudine nullatenus potest eius ratio verificari.

Et pari modo dicta glosa esset falsa et si forsitan dictus rabinus vellet loqui de primo modo aptitudinis, videlicet, quod vo-

luntates populi ab illo tempore citra, essent prompiciores ad faciendum opera meritoria plusquam ante. Sequitur quod cum voluntas hominum sit illa proprie quam Deus puniat aut premiet, quoniam si populus iudeorum habuerit intrinsecam aptitudinem in bonam voluntatem habendo in servicio divino, et ab illo tempore citra opera fecissent, et non propter alia impedimenta habita, Deus esset iniustus quia tantum retinisset adventum Messie.

Et sic nullo modo dicta auctoritas patitur talem glosam proprio vestro capite contextam, quam dictus rabinus se credit defendere, et verba ipsius hoc non paciuntur.

Unde de necessitate illius glose sequitur auctoritatem esse falsam aut Deum fore iniustum.

Ecce igitur quanta sit vanitas et cavillatio quam rabinus predictus facere nititur, quod nedum glosam impropriad atque vanam super verbis auctoritatis positis temptat facere, sed adhuc peius, verborum novorum, que in prefata auctoritate nullatenus sunt reperte, invenciones nititur formare.

Ex subsequenter condit adhuc glosam vanam atque impropriad super verborum suorum invencione.

Auctoritas autem inquit quod Helias 'in' [E. '—'] sententiando dicit quod in ultimo iubileo 85 iubileorum filius David veniet, et quod fuit ab eo petatum an in principio iubilei veniet an in fine. Et respondit : in fine.

Attendat igitur unusquisque si predicta verba poterunt esse clariora ad hanc intencionem ostendendam.

Inquit enim dictus rabinus quod hic debent poni verba ista, quod in ultimo iubileo populus incipiet facere opera meritoria. Deinde glosat ipsemet quod facere opera meritoria non vult dicere quod de facto facient, sed quod populus erit aptus natus ad faciendum, ut finaliter sequatur adventus Messie.

Et hoc est simile ac si quodam egrotante, qui continuam febrem pateretur, et veniet medicus ad eum dicens quod secundum vera signa medicine hic infirmus septima dia febris habebit optimum sudorem et perfectum, unde curatus remaneret. Tunc patre dicti egrotantis interrogante, an in principio diei septimi aut in fine sudor predictus veniret, dictus medicus respondet quod in fine. Deinde superveniens alius homo dicit : Noveritis quod intencio medici, cum dixit quod paciens vel egrotus haberet sudorem perfectum septima die, erat quod paciens die septimo se incipiet disponere ab bonum regimen observandum et incipiet

recipere xarupum digestivum, ex quo sequeretur quod sibi proveniet sudor aliquo tempore propinquo vel remoto.

Ecce igitur an istud intelligatur, et sustineant verba medici.

Pari forma est in nostro proposito. Et hoc sufficit iuxta dictum punctum, simul cum eo quod superius in processu iuxta hanc materiam est scriptum.

Ad sextum autem punctum veniendo, ubi dictus rabinus conatur ostendere quod auctoritas per me allegata de rabi Osua, filio Levi, non probat Messiam venisse, ad quod talem format rationem :

Quicumque viderit aliquem in articulo fidei errantem, debet insudare vel laborare ipsum ab illo errore suis viribus revocare. Ergo rabi Osua, cum interrogaret quando veniet Messias, videbatur firmiter tenere nondum venisse. Sequitur Heliam sibi debuisse respondere : Non erres in eo, quoniam iam venit universaliter, et adhuc ad te veniet particulariter, si vocem eius, etc. Sed cum dictus Helias sibi responderit : «Vade, interroga ipsummet», videtur quod interrogacio quam dictus rabinus faciebat esset bona, et quod non errabat in oppinione quam tenebat, scilicet, quod Messias nondum venerat.

Et ad huius rationis confirmacionem dictus rabinus fimbrias suas extendit credens rationes facere logicales, et exempla ponendo, et glosam aliam novam in auctoritatem texendo. Quorum recitacionem ad presens omitto causa brevitatis, idcirco quia cum unica solucione quidquid iste rabinus in hoc sexto puncto fabricatus est enervatur.

Ideo, ad totum hoc respondendo, et dico quod cavillationes quas dictus rabinus vult inducere ad excusandum probacionem quam dicta auctoritas facit circa hunc articulum quod Messias venerit, haberet aliquem colorem si non esset in ea amplius quam istud. Patet in quo dixit Helias : «vade et pete ab eo».

Si autem dictus rabinus vellet respicere dictam responsionem secundam, per dictum Heliam factam, cum dixerit : «hodie, si vocem eius audieritis», de necessitate cogitur intelligere dictam auctoritatem eo modo quo in diversis locis nostri huiusmodi procesus superius declaravi. Et facio talem rationem :

Si enim verum esset quod prefatus rabinus dicit, scilicet quod per dictam auctoritatem et verba Helie non probaretur Messiam iam venisse, sequeretur universaliter quedam talis perplexitas seu dubietas : Messias hodie veniet si vocem eius audierint, id

est, si eius doctrinam observaverint. Sed vox Messie non potest audiri nec eius doctrina observari usquequo venerit. Et sic, secundum hoc, adventus Messie est impossibilis secundum perplexitatem. Ex quo sequitur responsionem Helie de adventu particulari intelligi, qui sit singularibus qui vocem eius audiunt. Que quidem vox et doctrina preterit et precessit in universali adventu.

Ad id vero quod prefatus rabinus inquit, quod Helias debuisset clare respondere ut eum ab illo errore deviaret, etc.

Dico quo hoc non habet locum in materia de qua loquimur, in qua prophete et alii de ea loquentes semper verba aliqua licet obscura posuerunt, taliter ut qui vellent adventum Iesuchristi maliciose inficere, possent aliquam conficere vel facere cavillationem ad eius cordis pertinaciam defendendam, ut per Isaiam dictum est: «Indura cor populi», etc. (1).

Hoc siquidem bene intellecto, satisfit omnibus rationibus per dictum rabinum in hoc sexto puncto diffuse positus.

In septimo quidem puncto sic inquit: Quoniam certum est quod templi destructio facta est in magno tempore, et cum destructum fuit, ymo multum ante, sciebatur per totum Israel, et non erat necessarius arabi mugitus bovis ut notificaret vel revelaret, sed videtur hoc ante destructionem fuisse, etc.

Dico omnia ista esse contra veritatem, cum destructio templi fuerit in die uno. Nam, et licet Titus tenuerit Ierusalem sub obsidione, verumtamen quotidie exhibant ad bellum interiores cum exterioribus, et bella magna fiebant, donec civitatem obtinuerunt, et die eodem, subposuerunt templum igni, ut hoc totum lacius patet per Iosephum. Sequitur igitur quod destructio templi non fuerit in magna distancia temporis, ut ipse ponit.

Item ad secundum quod ipse dicit, quod incontinenti fuit scitum per totum Israel, et non oportebat arabum hoc dicere vel publicare.

Dico hoc falsum esse, nam quemadmodum ponitur in Talmud quod terra israelitica duravit quadringentis leucis, ergo locus erat in terra qui magis distabat a Ierusalem, quam duabus vicibus hinc ad Granatam. Ponamus igitur quod rex Aragonum teneret situatam terram Granate magno tempore. Certum est quod sarracenus habitans Dertuse semper expectaret quod non

(1) Is. 6,10.

posset illam conquestare vel in conquestam suam acquirere. Verumtamen cum conquestaverit, aliquis dies antequam publice Dertuse preteriet seu laberetur, et cum ad illum sarracenum dertusensem pervenerint nova, quod scilicet Granata sit capta manu bellica, non est dubium sarracenum tristari, et se reputabit quasi derelictum. Si autem in eodem instanti alia nova ad eius aures pervenerint sub huiusmodi relacione: Ecce quod Soldanus Babilonie venit cum multitudine classium magnarum ut Granatam recuperet, et est in strictu vulgariter nuncupato de Gibiltar, absque dubio prefatus sarracenus vires suas reassumeret et cor valde consolaretur. Pari quidem forma est de arabe cum agricultore vel laboratore. Unde merito potest concludi rationem dicti rabini fore nullam.

Preterea inquit adhuc unum quid vanum et irrationabile, dicens quod si dictum arabis de tempore preterito loquebatur sequeretur quod essent probaciones distincte, et quod ex hoc non adaptaretur dictum doctoris dicentis: quid oportet nos hoc probare per arabem, cum sit textus Isaie, etc.

Ad hoc dico esse verum probaciones arabis et Isaie fore distinctas, non tamen minus ex eo dictum doctoris, ymo melius adaptatur, quemadmodum si aliquis esset qui alteri vellet probare quod sibi debebat centum florinos super quo in iudicio produxisset optima instrumenta, et deinde vellet producere testes ad idem probandum, et tunc diceret sibi advocatus eius: in vanum laborasti aut laboras ad produccionem testium, cum intentio tua sit satis probata per sufficiencia instrumenta, esto tamen quod probes per instrumenta et testes, sunt probaciones distincte. Simile enim est in nostro proposito. Non obstat 'cum' [E. quod] inquit dictum prophete fore de futuro, cum dictum propheticum per verbum futuri temporis sit ita certum fidem ei dantibus ac si iam esset preteritum.

Ad figuram autem et metaphoram quam predictus rabinus nunc sompniavit, in qua magnam philacteriam occupat scripture, dico quod excusandus venio respondere, cum sit capitosa invencio in nulla auctoritate et ratione fundata. Verumtamen, ut vacillacio eius clarius elucescat, dico quod cum in principio figure supra dicte inquit duos boves communitatem significare Israeliticam, que conservabitur in duarum unitate naturarum, scilicet, hominum phariseorum et hominum ad Dei servicium dedicatorum, et aliorum hominum particularium de rebus temporalibus curancium, etc., hoc namque patet clare, apud intuentes, fore figuram impropriam, quoniam cum boves utrique fuerint



eiusdem nature seu speciei, qua ratione duas habent naturas hominum significare?

Et ut id quod dictus rabinus inquit aliquem haberet colorem, debuisset solus esse unus bos et unus asinus.

Deinde dicit adhuc quod discordia seu odium, quod gentes singulares 'seu' [E. vel] particulares contra devotam gentem et bone vite, qui dumtaxat servicio vaccabant divino, habuerunt, fuit causa destructionis templi. Et si hoc esset verum, sequeretur Deum esse valde iniustum, quod 'per' [E. '—'] personis ecclesiasticis existentibus bonis, destrueret templum aut Ecclesiam, ex quo seculares eos odio haberent. Certum quidem est non fuisse huiusmodi, nec esse solent Dei condiciones quod propter malos puniat iustos, ut patet in illo de Sodoma et Gomorra, aliisque quam plurimis locis Sacre Scripture.

Et statim in eius scripto plures implicat contradicciones, dicens phariseos fuisse bone vite ac devocionis, et ulterius dicit quod Deum si invocarent, et odium gratis tolleretur ab eisdem, quod Messias veniret.

Attendat igitur unusquisque diligenter qualiter homo bone vite ac dileccionis Dei vel devocionis, apud se retineat odium gratis sicut isti, cum odium gratis sit maius peccatum quod possit in universo reperiri.

Deinde sequeretur quod cum nostris modernis temporibus inter iudeos ille due naciones seu condiciones hominum ut iungi valeant, [E. + sequitur] quod boves numquam amodo iungerentur, et Messias numquam amodo 'veniret' [E. veniet].

Et quidquid sequitur in scriptura eiusdem est magis vaticinari quam racionari, et continet in se plura mendacia manifesta, quemadmodum ibi cum dicit cum omnes libri scienciarum fuerint de gente israelitica, et totus mundus ab eisdem habuit, et quam plura alia mendacia, que non indigent impugnatione, cum ipsa de se eorum falsitatum sint contentiva.

Verum si ad condendum figuras novas processerimus, faciam adhuc prefati auctoritati, ut in textu ponitur talmudico, aliam figuram verbis doctoris magis consonantem quam ea quam predictus rabinus vaticinando confecit, sub forma sequenti:

Per terram enim quam iudeus cultivabat, vel colebat, populus designatur ebreorum, cum sic eum vocaverit Malachias, 3.<sup>o</sup> capitulo, ubi dicitur: «Eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus» (2).

(2) Mal. 3,12.

Item Deuteronomii, 32 cap. : «Pars autem Domini, populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius» (3).

Et comparat eos terre, nam terra est magis palpativum et materialius elementorum, et sicut iste populus recipit legem divinam iuxta significacionem materialem et eius temporalitatem, de spiritualitate quidem modicum curantes vel nichil. Iudeus vero qui terram illam cultivabat, significabat legis peritos phariseos, sapientes nuncupatos : nam sapientes habent onus gentem vel populum custodiendi, et in eo semen bonorum virtutum seminandi vel inserendi, sicut agriculator in agro. Qui quidem pharisei doctrinam Talmud nuncupatam in populo illo seminarunt, in qua, cerimonias et regulas cum quibus populus debebat vivere, posuerunt. Qui quidem agriculator dictum semen seminabat duobus bobus mediantibus in collo iugum gerentibus. Illud enim iugum legem significat et doctrinam eiusdem, nam sic Ieremias in Lamentacionibus appellavit dicens, 3.º capitulo :

«Bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescencia sua» (4).

Duo vero boves, duas significant talmudicas compilaciones : unam quidem factam Ierusalem, aliam vero Babilonie. Aut posunt duo boves Rabinam scilicet et Rabasse significare vel designare, qui dicti Talmut fuerunt compilatores, per dictos phariseos ordinati. Et comparat eos bobus, quoniam in maiori parte quam ipsi dixerunt sunt bestialiter locuti, 'in' [E. et] nulla ratione fundati. Duo vero mugitus bovum, duas vocum naturas que in dicto Talmut resonant videntur significare : Una quidem vox est verbum quod contra veritatem et fidem catholicam venit. Alia vero vox, cetera que veniunt in confirmacione earumdem. Per arabem enim voces seu mugitus illos intelligentem, et iudeo illam declarantem, christianum predicatorem significat. Et intitulatur nomine arabis, nam hoc nomen dictum est ebrayce Harabi et derivatur ab hac dictione harebuth, quod idem est quod res valde sapida et placida, et sic predicator cum magno sapore et cum magno gaudio vult vobis illas duas voces vel mugitus declarare. Per primam vocem vel mugitum, que est de abhominacionibus et cerimoniis irrationabilibus quas Talmut preconizat, datur vobis intelligi et declaratur quod debetis boves disiungere et solvere. Et quod vestrum sanctuarium destruitur, significat quod, causa illorum, anime vestre perdantur, cum anima sit quid

(3) Deut. 32,9.

(4) Lam. 3,27.

sanctum quod est in homine, per quod [E. + vobis] datur intelligi quod illam hereticam perperam 'ac' [E. atque] iniquam vocem, que in libro Talmut est, sequencium vel sequentibus, sanctuarium vestrum, scilicet, anima vestra gloriam perdat spiritualem.

Secunda scilicet vox quam dicti boves prorrumperunt seu mutus, significat quamplures annunciaciones que in dicto Talmut sunt: sic est per diversas auctoritates verum tempus Messie aduentus ostendere; et qualiter in Bethleem ex virgine femina miraculose esset nasciturus; et qualiter esse debebat verus Deus et homo verus; et qualiter legem et doctrinam novam erat daturus; et qualiter, passione et morte receptis, ut per eundem genus totum humanum restauraretur vel redimeretur.

Illa quidem vox secunda hec omnia significat, per duos boves nunciata in quam plurimis locis talmudicis, ut vobis lacius superius ostensum est in duodecim interrogacionibus in processu factis. Dictam enim vocem declarat vobis prefatus arabs dicens significare Messiam iam venisse, et in Bethleem esse, et quod vocatur Menahem filius Ezechie, vobis adhuc innuente quod hac mediante voce habebitis consolacionem et Dei fortitudinem in animabus vestris, ut clare datur intelligi per hoc vocabulum Menahem et Ezechias. Et ad hoc autem faciendum inquit quod iungatis boves, hoc est, quod diligenter perscrutemini libros unius Talmut et alterius, omnes auctoritates ad hanc materiam facientes et invicem concordantes. Tunc enim reperietis veritatem, unde sequetur sine dubio salus animarum vestrarum.

Hec quidem figura vel exposicio est verissima, ac verbis auctoritatis consonantissima, non autem vestra.

Quod enim in fine dicti puncti dicitur, quod esto quod Messiam natum esse probaretur, ex eo tamen magister Ieronimus non probaverit suum intentum, cum inquit quod iudei circa hoc duas habuerint oppiniones: Primam scilicet quod quolibet tempore ipsi habeant unum hominem ad essendum Messiam aptum natum, etc.

Dico quod talem oppinionem minime potest monstrare in aliqua scriptura repertam. Et esto quod sic esset, hec propositio, «Messias natus est», in similibus hominibus quos ipse dicit, minime potest verificari.

Secunda vero oppinio in qua dicit: Est in Paradiso, etc.

Fateor hoc esse verum, nam per quosdam rabinos ebraycos reperitur dictum fuisse eum in Paradiso esse, alios vero Rome; hoc enim totum cum fide concordat orthodoxa, quod, scilicet, est

Rome auctoritate vel auctoritative, et in Paradiso per essenciam vel essencialiter. Et hoc quo ad hunc punctum.

Ad octavum vero punctum et ultimum, dico quod propheta per me allegata, scilicet, «antequam parturiret, etc.» (5), simul cum caldayca translacione, necessario meum probat intentum, scilicet, Messiam venisse.

Cavillationes autem quas rabini fecerunt ad subterfugiendum ab huiusmodi probacione, satis fuere impugmate, ut patet in supra contentis in processu.

Idcirco non indiget replicacione.

Verumtamen certis racionibus quas dictus rabinus ponit, que videntur caldayce translacioni obviare totaliter, cui quidem translacioni iudei tenentur fidem prestare, et ideo prefatus rabinus deberet merito cessare contra eam arguere, et similiter excusatus ego censerer sibi supra hoc aliquid respondere. Unde sufficit michi quod per dictam translacionem meum probetur intentum.

Verum ut cavillationes dicti rabini clarius patefiant, dico quod ratio prima quam facit contra dictam translacionem, ubi inquit quod, postquam dixerim causam destruccionis templi fuisse odium et inobedienciam quod contra Messiam habuerunt, excusandus esset propheta dicere quod ante nasceretur quam templum destrueretur. Nunc pateat, rogo, universis quam ratio ista sit manifeste puerilis. Certum enim est quod dato quod dixerim, prout est verum, quod causa destruccionis templi fuerit odium et contemptus vel inobediencia quod contra Messiam habuerunt, etc., tamen tempore quo dicta propheta fuerat dicta non erat notorium hominibus sic futurum esse, ut propheta ab hoc prophetizando excusaretur, cum tempus logum preterierit quod fuit factum, et tamen dictus rabinus et ceteri iudei hoc impudenter negant. Qualiter ergo propheta veniebat excusandus, cum adhuc quando prophetizatum et opere completum est, hoc credere sunt pertinaciter renuentes?

Ad aliam nempe racionem in qua habetur quod quia dicitur ante pariet quam parturiat, non sequitur quod postea parturiat, ad quod inducit quoddam exemplum, etc.

Ad hoc dico quod, dato quod sic esset, nichil contra me facit. Non enim induco auctoritatem illam ad probandum quod iudei erant passuri dolores in templi destruccione, etc., nam dolores

(5) Is. 66,7.

isti satis sunt manifesti, et ipsi idem confitentur. Pari quidem forma in exemplo per eum posito, scilicet, quod quis non possit esse magister sine quo primo sit bacallarius, dato quod sit bacallarius non ex eo sequitur quod erit magister, tamen bene sequitur quod si iam est magister quod primo fuerit bacallarius. Sic quidem est in nostro proposito: si ante quam destrueretur domus debebat discooperiri vel manifestari rex Messias, certum namque est, quod quia discoopertus est Messias, non sequitur de necessitate templum debere destrui, cum non destruetur ymo reparabitur seu reparari debebat, nisi pecassent contra Messiam. Bene igitur sequitur quod si templum sit destructum, et dolores captivitatis venerunt etc., quod Messias discoopertus fuit, vel manifestatus ante dictam destruccionem. Et sic dicta ratio cum eius exemplo facit de directo pro me et contra eum.

Alie vero due rationes, quas prefatus iudeus facit, nullum penitus habent locum. Nam id quod dicit, quod dolorem quem passus est Israel, post adventum Messie, impossibile esset 'qui' [E. quod] primitus habuissent, dico quod hoc est verum et concordans cum dicto meo; non tamen ex eo cessat quod propheta non debuerat sic prophetizare, ut iudeos ab errore deviaret quem adhuc pertinaciter hodie tenent, credentes quod primitus templum esset destruendum vel diruendum, et ipsi captivari, et deinde quod Messias erat venturus, dictam destruccionem vel captivitatem reparaturus. Et ideo dicebat eis propheta: ne erretis in hoc, quia reddo vos certos et securos quia non est venturus ut talem reparet destruccionem, ymo dico vobis, quod tempore ante veniet, vel precedet, et operabitur omnes actus quos est acturus vel operaturus, antequam fiat destruccio et captivitas.

Et hec quidem ratio, scilicet quod hunc errorem adhuc pertinaciter teneant, probatur et valde bene fundatur per hoc quod dictus rabinus statim inquit in ratione sequenti, scilicet quod adventus Messie esse debebat salus vel medella illius doloris. Quod non est sic, ymo dico quod iste est error quem servant, quem propheta volebat ab eis tollere, et ab eodem remove eosdem in propheta superius habita, ut supra dictum est.

Et in verbis per eum in fine positis, scilicet, ut edificarent fidem a suis predecessoribus traditam et habitam, et ut non recederent ab eadem, non ideo debent duri seu dure cervicis nuncupari, etc.

Dico quod ista ratio parum facit ad articulum de quo agitur vel disputatur. Verum ne transeat absque responsione, dico certum esse quod fides et credencia minime acquiratur iure heredi-

tario. Nam si hoc esset verum, cur Scriptura Abraham tantis laudibus attollebatur, cum dimiserit sectam patris, suorumque predecessorum? Cur adhuc fuerunt sibi tot premia promissa in eadem, cum potius non modica erat reprehensione dignus? Circa quod, quidquid prefatus rabinus dixerit, vanissimum est censendum, et nulla indiget responsione, certificando eundem quod si convertatur ad fidem orthodoxam, minora bona temporalia quam putat acquirat vel acquisiturus est; ymo ex tunc non vocabitur ab hominibus rabi, et titulo privabitur sciencie talmudice, per quam nunc apud iudeos attollitur, et vitam suam maxima in re-putacione producit. Caveat igitur ne asserat quod eum vellim ad fidem nostram orthodoxam cum bonis temporalibus alliciendo inducere. Ymo dico quod ex tunc omnem sui rabinatus abiciat ambicionem, et temporalium rerum quas nunc possidet procul pellat honores, ut bona lucretur spiritualia, scilicet, gloriam paradisi.

Ex quibus omnibus dico quod prefatus rabinus, una cum aliis rabinis iudeorum, sufficienter et optime conclusum esse, atque probatum iam venisse Messiam, super quo ex hinc amplius dicere non intendo, nisi rabinus predictus ad hoc velit respondere. Tunc namque, divina favente gracia, ad plenum sibi satisfacere viribus meis procurabo, ut decebit.

## SESION LVIII

DIE VERO VENERIS, secunda mensis marcii, anni Domini millesimi quadringentesimi quartidecimi, prefatis congregationibus seu aliamentis in loco ad disputandum consueto constitutis, in presencia Domini Nostri Pape tociusque eius universalis Curie, dictus magister Ieronimus retulit sub hiis verbis :

Quod cum dictus rabi Astruch in recitatione materie proximo habite, scilicet, octo punctorum prenotatorum, primum et secundum dictus rabinus ex causa recitare ommisisset, ex eo maxime quia non multum videbantur ad propositum pertinere ; verum quia presens dieta ad hoc assignata fuisset, idcirco paratus erat eundem rabinum audire, si illa recitare volebat, eisque satisfacere ut deberet.

Et tunc prefatus rabi Astruch dicta, primum scilicet et secundum, puncta recitare incepit sub forma sequenti :

Et ego, rabi Astruch, presentem dividens quaternum in octo puncta, dico super primo quod, ut clarius presens disputacio patefiat, convenit ut in bono ordine ponatur. Totus autem processus fundatus est super unum sillogismum quem magister Ieronimus facit in suo tractatu, qui est iste :

Ille homo cui conveniunt omnes prophecie et condiciones dicte de Messia, est Messias.

In homine vocato Iesu Nazareno concurrunt vel conveniunt, etc.

Ergo Iesus Nazarenus est Messias.

Inter magistrum Ieronimum proponentem et rabinum respondentem magna fuit altercacio super maiori premissa sillogismi presentis, magistro Ieronimo illam probare credente, dicto

autem iudeo se excusante et defendente, et predicti magistri Ieronimi non esse probaciones necessarias tamquam nichil probantes ostendendo. In fine autem processus iudeus respondens, minorem premissam dicti sillogismi negavit. Nunc prefatus magister Ieronimus credit probare illam dicens quod pars illarum condicionum attribuantur Iesu Christo in libro vocato Talmut, et adhuc quoniam sarraceni concedunt Iesum esse Messiam.

Ad hoc enim respondeo, quod nescio, nec in Talmut vidi omnia hec que in cedula per prefatum magistrum Ieronimum oblata superius fuerunt posita.

Item, esto quod sic esset, quemadmodum ipse inquit, dico quod nichil sue intencionis probaverit, cum ex eo quod pars condicionum in Iesu fuerit reperta, non sequitur ipsum fuisse Messiam. Alias sequeretur quod plures essent Messie vel Messias. Et hoc ideo quoniam multi nati sunt in Bethleem; plures enim fuerunt veri homines antequam ipsi venirent, scilicet qui interfuerunt in adventu Iesu, et anime illorum qui tunc nascebantur in infernum descendebant, iuxta fidem christianam; et paulo post quam ipsi in mundum venissent, templum fuit destructum, pluresque fecerunt miracula. Omnia autem hec sunt Messie condiciones, iuxta intencionem prefati magistri Ieronimi, et si sic esset quod hii, in quibus pars condicionum Messie reperirentur, essent Messias, omnes isti fuissent Messias. Racionem formo sic:

Omnes illi in quibus reperitur pars condicionum Messie, sunt Messias.

In omnibus istis reperta est pars condicionum Messie.

Igitur omnes isti sunt Messias.

Hec autem conclusio est falsa, quoniam unus solus est Messias. Falsitas quidem non provenit a minori, nam notoria est per se visibiliter. Ergo necessario debet sequi ex maiori premissa. Premissa namque que sequitur ex conclusione falsa necessario est ad idem falsa. Igitur premissa maior est falsa.

Preterea ad id quod inquit de sarracenis, qui dicunt et concedunt Iesum fuisse Messiam, dico quod iudeus respondens, nedum negat minorem premissam sillogismi christiano, verum etiam cuicumque venisse Messiam asserenti. In hac quidem questione, an scilicet Messias venerit vel ne, et an ipse fuerit Iesus vel non, sarracenus parialis est et suspectus, et sic eius relacio non est admittenda.

Item iudeus respondens nichil aliud negat pro presenti, nisi negat minorem premissam sillogismi per dictum magistrum Iero-



nimum facti. Et finaliter prefatus magister Ieronimus inducit probacionem de sarraceno ad conclusionem, non autem ad minorem premissam; et sic respondet ad quod iudeus non interrogat. Et plus eciam, quia inducit sarracenum in testimonium qui non concedit minorem premissam, ymo certitudinaliter eam infatetur: Primo, quia sarracenus negat Iesum fuisse Deum verum. Secundo, negat Iesum mortuum atque passum. Tercio, negat quod omnia prohibita in lege essent licenciata atque soluta post eum, ymo concedit quod porcus et carnes lupaticas, vel quas recipit lupo, sint abominabiles et prohibite. Quarto negat salvationem hominum solum fieri per baptismum, ymo servant circumcisionem. Que nempe omnia sunt de condicionibus Messie iuxta intencionem dicti magistri Ieronimi. Has autem condiciones negat sarracenus in Iesu fuisse. Igitur sarracenus negat minorem premissam, scilicet, omnes vigintiquatuor condiciones Messie, quas prefatus magister Ieronimus ponit, in Iesu nazarenno concurrisse.

Ecce igitur qualiter in presenti casu prefatus magister Ieronimus gaudere possit de sarracenorum intencione. Nam tam christianus quam sarracenus asserunt atque tenent Iesum Nazarenum fuisse Messiam, et ex una premissa per magistrum Ieronimum posita, et ex alia per sarracenum, necessario sequitur Iesum non esse Messiam. Et arguo sic:

In Iesu Nazarenno non sunt secute omnes ille vigintiquatuor condiciones Messie per magistrum Ieronimum posite.

In Messia debebant esse omnes vigintiquatuor condiciones Messie.

Ergo Iesus Nazarenus non est Messias.

Premissa minor est oppinio sarracena. Maior autem est magistri Ieronimi. Et ex coniuncione utriusque sequitur Iesum non esse Messiam.

Verumtamen dico quod prima facie videretur quod si concessum esset quod vigintiquatuor condiciones Messie fuissent de necessitate, sequeretur fuisse hominem in mundo in quo omnes concurrissent, et ad hoc probandum talis ratio potuit formari:

Non potest esse Messias nisi in eo concurrerint omnes condiciones Messie.

Una enim condicionum Messie est post modicum sui adventus templum secundum esse destructum.

Ergo non potest esse Messias nisi post modicum tempus sui adventus destruat templum secundum.

Et si necessario oportet quod Messias sit, sequitur de necessitate quod paulo antequam templum destrueretur fuerit aliquis homo qui fuerit Messias.

In Messia vero non potest esse quin in eo reperiantur omnes condiciones.

Ergo in fine templi secundi fuit aliquis homo in quo omnes vigintiquatuor condiciones fuerunt.

Hec autem ratio videtur michi 'verius' [E. melius] probare quam id quod prefatus magister Ieronimus proposuit supra. Hoc tamen non obstante, dico quod ista nichil valet. Et hoc quia sunt sillogismi circulares vel circulatim, nam ad probandum aliquem hominem fuisse in mundo qui fuerit Messias, est necessarium dicto magistro Ieronimo quod probet hanc premissam quod fuerit aliquis homo in quo omnes vigintiquatuor condiciones concurrerint. Hec quidem premissa, iuxta mea superius dicta, non potest probari nisi probando quod in mundo fuerit homo qui fuerit Messias: Et per consequens sillogismus est circularis vel circulativus. Iudeus vero respondens negat premissam minorem, qua mediante potest probari fuisse hominem in mundo qui fuerit Messias. Sed non negat premissam que potest probari mediante et tenendo quod fuerit aliquis homo in mundo qui fuerit Messias. Item ex hoc non probaretur Iesum fuisse Messiam.

Item dico quod premissa minor non est universalis, nam non est verum quod omnis homo in quo concurrant omnes vigintiquatuor condiciones Messie sit Messias. Alias sequeretur quod si duo homines reperirentur in quibus essent condiciones Messie, quod quilibet eorum esset Messias, et quilibet eorum esset Salvator humani generis. Hoc quidem nullatenus potest esse, quoniam si unus salvat genus humanum, alius nichil facit in eodem; et si unus non salvat absque alio, sequitur quod non sit Messias aliquis eorum, non enim oportet esse quod uterque. Si autem premissa maior non est universalis, non sequitur de necessario conclusio vera sillogismi facti in prima figura.

Item per verba met dicti magistri Ieronimi videtur maior premissa universaliter non esse vera, quoniam in fine primi capituli sui tractatus dicit quod si non reperiremus alium hominem in quo sint omnes condiciones Messie nisi solum in Iesu, de necessario sequitur Iesum esse Messiam. Videtur ex hoc quod ipse dicit quod si hominem in quo omnes vigintiquatuor condiciones Messie contingat reperire, quod non obstante quod in Iesu sint

reperite, non sequeretur de necessitate Iesum esse Messiam. Ergo premissa maior non est de necessario universaliter vera.

Preterea valde miror de magistro Ieronimo qualiter esse destructum templum post modicum tempus eius adventus sit condicio Messie, cum dictus magister Ieronimus in suo tractatu dixerit atque ponat quod condicio duodecima sit quod templum erat destruendum post modicum tempus adventus Messie, et decimatercia quod captivitas esset propter odium gratis quod haberet Israel contra Messiam, et decimaseptima quod ydolatRIA post adventum Messie deleretur vel tolleretur. Quod quidem fuit bene ultra centum annos post Iesum, secundum fidem christianam, cum scilicet omnes gentiles conversi sint ad fidem Iesus Nazareni. Et iuxta hoc valde adhuc est admirandum, nam certum est quod cum condicionibus Messie debet Messias cognosci. Ergo non destruendo templum, non tollendo ydolatRIam, non habendo odium gratis contra eum, non posset cognosci quod Iesus esset Messias. Valde igitur est admirandum cur templum fuit destructum et iudei fuerunt captivitati subiugati si nondum complebantur in eo condiciones Messie ut ipse cognosceretur.

Item condicio decima tertia sibi met est repugnans, et ad hoc probandum talem formo racionem :

Si Messiam fore est necessarium, ergo ipse et eius condiciones erunt necessarie.

Consecuencia est notoria per se. Antecedens vero ab omnibus est concessum. Ergo consequens est verum. Ergo sequitur quod condicio decimatercia sit necessaria. Si autem est necessaria, odium gratis non est dignum punicione, et captivitas non fuit punicio. Ergo captivitas non est propter contemptum vel inobedienciam et odium gratis. Sequitur de necessitate condicionem decimamterciam implicare contradiccionem et sibi met repugnare.

Item, adhuc propter aliam racionem, implicat contradiccionem condicio decimatercia, et facio talem racionem :

Condicionibus Messie in homine vocato Messia non completis, ille adhuc non est Messias.

In Iesu Nazareno cum habuerunt odium gratis contra eum nondum complete erant condiciones Messie.

Ergo Iesus Nazareus, cum iudei habebant contra eum odium gratis, non erat Messias.

Captivitas igitur non fuit propter invidiam nec odium gratis habitum contra Messias.

Contra secundum punctum dico non esse dubium quod repugnancia que est in substantia et quidditate rei sit valde maior quam repugnancia que est in accidentibus ipsius. Repugnancia quidem que est inter christianum et iudeum, an Messias sit Deus et homo aut solus homo, et an sit filius Virginis, et an actus Messie sit animas salvare aut corpora, est repugnancia in substantia et quidditate Messie; repugnancia autem que est inter eos si iam venerit aut venturus adhuc existat, est repugnancia in tempore sui adventus, et exinde oritur unum de accidentibus Messie. Sequitur igitur quod maior repugnancia sit inter christianum et iudeum in titulis essentialibus Messie, quam illa que est in eo, scilicet, an venerit vel ne.

Preterea nulli est dubium quod repugnancia que est magis durabilis, sit maior quam illa que est minus durabilis. Repugnancia vero que est inter christianum et iudeum in essentialibus titulis Messie est perdurabilis; repugnancia vero que est inter eosdem, an sit venturus vel iam venerit, tolletur cum noster Messias venerit; tunc in nullo obviam erimus nisi dumtaxat an sit Messias, non autem an venturus existat, nam omnes confitebimur illud quod iam venerit. Ergo sequitur quod maior est repugnancia que est in titulis essentialibus Messie quam illa que est an Messias venerit aut venturus existat.

Item non est dubium quod illa repugnancia que est in eo propter quod pars quecumque negans, secundum legem suam esset heretica censenda, si oppositum assereret, est valde maior repugnancia quam illa que est in eo, cuius si aliqua parcium oppositum crederet non censeretur heretica. Ideo repugnancia que est inter iudeum et christianum in incarnatione et Trinitate est in eo propter quod quecumque parcium negans heretica censetur iuxta fidem eorundem, si oppositum assereret; controversia vel repugnancia que est inter eos an Messias venerit aut venturus existat est in eo cuius si iudeus crederet oppositum non esset hereticus. Nam si quis iudeus assereret Messiam iam venisse, ut verbi gracia, is qui confrontant cum illo vulgariter nuncupato presbitero Iohannes de Indiis, nisi quia iudei huius regionis, propter eorum peccata, nondum habuerint redemptionem, quamvis non esset bona opinio nec vera, tamen non esset heretica. Et per consequens sequitur repugnancia que est inter iudeum et christianum in Trinitate et incarnatione maiorem fore quam ea scilicet an iam venerit, aut sit venturus Messias.

Nam cum dicitur maior repugnancia est hec quam illa, aut hoc dicitur quia [secundum] substantiam repugnare est maioris gra-

us, aut hoc dicit quia est tempus maioris duracionis, aut quia sequitur ex ea maius inconueniens. Et ego probaverim tam per substanciam, tam per tempus, quam per inconueniens, repugnantiam in hoc, scilicet, an Messias venerit aut non, non esse maiorem repugnantiam que sit inter iudeum et christianum.

Item dico: et licet iudeus repugnet christiano in eo quod dicit Messiam iam venisse, quoniam iudeus credit quod nullus qui fuit vel erit, 'sit' [E. sic] habens tales condiciones ut ponit christianus in Messia, nec adhuc speratur esse; et similiter de actu adventus Messie secundum quod christianus credit, scilicet, quod est extrahere vel redimere animas de captivitate inferni; iudeus vero hoc negat, et nedum inficitur sententiam per christianum positam, scilicet quod Messias venerit, sed adhuc repugnat terminis eiusdem dicens quod nullus sit, fuit vel esse speratur talis. Verumtamen cum toto hoc non repugnat christianus iudeo dicenti et asserenti nondum venisse Messiam, nam Messias, de quo iudeus loquitur, est quidam homo excellentissimus, filius hominis carnalis, cuius actus sue salvacionis est corpora de captivitate extrahere et populum ponere in prosperitate perdurabili, et edificare templum, et illud in excellencia sustinere. Et cum hoc certum est ipsum nondum venisse, et adhuc est venturus. Ergo Messiam quem iudeus expectat, et dicit nondum venisse, christianus non negat. Ut quid igitur magister Ieronimus dicit quod maior repugnantia que inter iudeum est et christianum, est quod iudeus dicit Messiam venturum esse, christianus iam venisse?

Item dico quod non repugnant. Qualiter enim repugnant, cum termini sententiarum utriusque sint diversi? Nam hic terminus *Messias*, secundum sententiam et opinionem christianorum idem est quod Deus et homo; terminus autem *Messias*, secundum opinionem iudeorum idem est quod homo excellentissimus atque discretissimus, filius hominis carnalis. Terminus vero positus in sententia christianorum idem est quod extrahere vel redimere animas de inferno; terminus autem positus in sententia iudeorum, idem est quod extrahere corpora Israel de captivitate. Et si christianus diceret unam personam, que est Deus et homo, extraxisse animas de inferno, iudeus vero unam personam, que est homo excellentissimus atque discretissimus, filius hominis carnalis, nondum extraxisse corpora populi Israel de captivitate, numquid repugnant? Certe non. Pari quidem forma sequitur de necessitate quod nunc non repugnent.

Quibus sic per prefatum rabi Astruch iudeum, ut premititur, recitatis, predictus magister Ieronimus respondit ut sequitur in hunc modum :

Sanctissime Pater, ac reverendissimi patres ceterique prelati et domini : Bene percepistis qualiter super hoc primo puncto rabi Astruch agit contra me ex eo quod in primo tractatu meo, et adhuc in processu, 'fuit' [E. fuisset] largissime principalis materia, alia collateralis occurrente. Talem formabam rationem :

Ille homo, in 'quem' [E. quo] propheticæ et condiciones de Messia dicte concurrunt, est Messias.

In homine Iesu Nazareno vocato concurrunt omnes, etc.

Ergo Iesus Nazareus est Messias.

Conditioes 'enim' [E. quidem] Messie, ut in dicto tractatu meo posui, esse vigintiquatuor, ut laicius ad literam ibi patent. Maiorem autem mei sillogismi claram. Minorem, scilicet, quod omnes vigintiquatuor condiciones in Iesu Nazareno concurrerent in dicto tractatu large probavi.

In fine processus ad idem allegavi dictas condiciones concurrisse, et de facto in Iesum Nazarenum, partim per Talmut, [E. + partim] per sarracenorum sectam, partimque per auctoritates auctenticas et communes asserciones aliarum gentium, fuisse probavi.

In presenti vero puncto dictus rabi Astruch contra me arguendo insurgit, credens probare dictas vigintiquatuor condiciones in Iesu Nazareno minime fuisse completas. Addiciens me aliquas communes condiciones in Iesu ponere, tam sibi quam aliis pari forma convenientes. Unde sequitur, secundum dictum suum, condiciones Messie minime fuisse, cum ceteri ad idem essent sicut idem Messias.

Ulterius vult arguere contra probationes quas de secta sarracenorum induxi, nam et si nonnullas condiciones per me positas in Iesu Nazareno fuisse sarracenus profiteatur, nonnullas tamen infitetur penitus, ut puta istam : Ipsum esse Deum verum, passionemque ac mortem sustinuisse, etc. Et hoc modo procedens, diversa in huiusmodi puncto contra me diversimode format argumenta, que valde modicam pariunt efficaciam.

Postquam igitur, sanctissime Pater, dictus rabinus tangit contra dictam minorem meam, scilicet, quod in Iesu Nazareno omnes dicte condiciones minime concurrant, suis cunctis viribus conatur insurgere, et materia presens, an in Iesu Nazareno omnes prefate vigintiquatuor condiciones fuerint vel ne, non sit de presenti proposito et questione principali, scilicet, an venerit

Messias vel ne, supra quod noster fundatur processus, cum hoc sit de directo 'et' [E. de] principali materia; propter quod essem ad hoc respondere merito excusandus. Verumtamen cum hunc articulum concluderimus, et in alio, scilicet, an Iesus nazarenus fuerit Messias vel ne, Deo prestante fuerimus, non immerito servare debeo responsionem.

Verum, ne absque responsione transeat aliquali, intendo quantum ad dictas condiciones Messie est tangens, universaliter et succinte aliquid explicare, sic dicens: Quod in summa condiciones Messie possunt dividi in tres partes:

Prima quarum est quod quedam earum sunt personam ipsius et sue essencie respicientes, ut puta, natum esse de Virgine, et non esse genitum de semine humano, et esse filium Dei, et in eo esse humanitatem et divinitatem.

Secunda vero pars est condicionum officium et operationes seu actus Messie tangencium, ut puta, magna et solemnia miracula facere; mortem et passionem pro salute animarum preteritorum iustorum et presencium recipere; ad infernum, ut extraheret animas inde iustorum ibidem existencium, descendere; tertia die resurgere, ad celum ascendere, novam legem dare, gentes per Baptismum aque et Spiritus Sancti salvare, et alie quam plures illis similes operationes et actus Messie respicientes.

Tercia vero pars sunt condiciones personam Messie quantum ad eius essenciam, et personam eius, officia et operationes seu actus Messie non respicientes, sicut prime et secunde, sed solum personam et essenciam eius, quantum ad circumstantias loci: quemadmodum in Bethleem nasci, et in Nazareth nutriri, passionem in Ierusalem recipere; aut quantum ad circumstantiam temporis: sicut est quod in tempore sue duracionis plura et diversa destruerentur, aut paulo ante, aut paulo post, et quod iudei tunc temporis romano Imperio essent subiecti, et quod paulo ante tempus eius fuisset templum destructum, et quod in captivitatem intrarent, et quod tunc temporis ipse predicaret, et quod haberent sibi odium gratis, et plura alia, que pro tunc, aut circa illud tempus debebant [E. + occurrere].

Prima quidem pars huius distincionis predictarum condicionum solum vero Messie, et nulli alteri potest appropriari. Sum etenim, divina favente gracia, paratus, cum in dieta fuerimus propositum illum tangente, scilicet quod Iesus sit Messias, sine dubio probare ad plenum has condiciones, ut vere de facto verificantur de eodem, in Iesu esse completas, et in nullo alio; et quod est impossibile in aliquo alio verificari.

In secunda vero parte condicionum eciam verificantur solum de ipso et non de alio. Et hoc eciam paratus sum probare in suo tempore.

Pars vero tertia dictarum condicionum, circumstanciam loci aut temporis designacium aut denotancium, potest de vero Messia verificari, et de aliis quampluribus, ut puta, nasci in Bethleem, et in Ierusalem mori, etc. Veruntamen dicuntur condiciones Messie, quia prophete in Scripturis specificè dicunt has in vero Messia esse complendas. Non tamen sequitur ex eo, quod de alio non possint verificari. Dicemus namque certitudinaliter has, cum ceteris omnibus ad numerum usque vigintiquatuor, in Iesu fuisse completas, et quod est, et erat impossibile in aliquo alio quovis homine omnes simul compleri.

Hoc igitur diligenter perscrutato, sequitur prefatum rabinum, quia plene non investigavit nec consideravit in prefatis distincionibus, talia contra me inania formasse argumenta, et nullius omnino efficacie.

Et quia materia condicionum Messie, an sint in Iesu verificate, non est nostri principalis propositi, et ut una materia cum alia non misceatur, iuxta mandatum Domini Nostri Pape, idcirco huic puncto pono hic finem, et quia divisione et distincione super prefatis distincionibus per me facta diligenter inspecta et intellecta, omnibus racionibus per prefatum rabinum contra me obiectis credo me summatim sufficienter respondiisse.

Ad secundum autem punctum veniens, in quo dictus rabinus unum dictum, prout asserit, in quodam meo tractatu, in primo capitulo eiusdem, quod imponit me dixisse, conatur impugnare atque reprehendere, et nedum ibidem, sed adhuc in prologo huiuscemodi processus disputacionis, scilicet, quod maior repugnancia aut altercacio que inter christianum et iudeum esse dicitur, est, an Messias iam venerit aut non; et ad prefatam contra me impugnationem seu reprehensionem dictus rabinus certas condit raciones, quas, ut eius intencio meaque ad eandem responsio singulis patere possit et universis, adhuc ponam in forma:

Prima namque racio quam iudeus vult facere est hec:

Omnis controversia aut repugnancia potest dici maior dumtaxat uno de tribus modis: Aut quia substanciam est de maiori gradu, aut quia controversia est de maiori duracione temporum, aut quia ex ea sequitur maius inconveniens.

Repugnancia aut controversia que est inter christianum et iudeum super eo, scilicet, an Messias venerit vel ne, non est



maior quam relique controversie aut repugnancie que sunt inter eosdem per aliquem istorum modorum trium maioritatis.

Ergo optime sequitur quod non sit maior repugnancia, etc.

Consecuencia autem est clara. Maiorem non curat dictus rabinus probare, forsitan quia sibi videtur sufficienter probata, quia divisio in ea contenta videtur sibi sufficienter esse notoria.

Ad probacionem autem minoris dictus rabinus tres facit rationes in hac forma :

Maiores repugnancia est altercari super quiditate et substantia rei, quam super accidentibus ipsius. Sed cum habere controversiam vel repugnanciam scilicet super hoc, an Messias fuerit filius Virginis vel ne, aut si est Deus et Homo, est repugnare super substantia. Messie, et altercare an Messias venerit vel ne, sit repugnancia super accidenti ipsius. Igitur sequitur quod quilibet harum controversiarum predictarum, que sunt inter iudeum et christianum, sunt maioris gradus quantum ad substantiam quam hec controversia, venerit an ne.

Preterea, cum Antichristus venerit, aut quisvis alius, quem iudei recipiant in Messiam, cessabit hec controversia, an Messias venerit vel ne. Verumtamen quilibet controversia aut repugnancia alia supradictarum est durabilis. Sequitur quod hec controversia sit minoris duracionis tempore.

Item si in aliis controversiis aliquid quod christianus diceret, iudeus confiteretur, de necessitate in lege sua hereticus censeretur. Sed propter confiteri Messiam venisse, esto quod in eo non teneret bonam opinionem nec veram, non ex eo esset hereticus, nec prefata opinio heretica censeretur.

Optime igitur videtur minorem esse probatam, scilicet, quod dicta controversia aut repugnancia non sit maior quam alie per aliquem modorum supradictorum.

Unde sequitur de necessario dictum magistrum Ieronimum in dicendo prefatam repugnanciam fuisse et esse maiorem, verum non dixisse.

Ad hoc autem respondeo dicens :

Non esse verum quod prefatus rabinus michi vult opponere, scilicet, quod dicta controversia sive repugnancia fuerit maior, etcetera. Neque prefata verba in dicto tractatu, neque in alia scriptura tocius huiusmodi processus valent reperiri. Verum quidem est me dixisse, prout adhuc assero, controversiam, vel repugnanciam, a qua omnes et maior pars dependent controversiarum seu repugnanciarum que sunt inter christianum et iudeum, fuisse ac esse, an Messias scilicet venerit aut ne. Et ex

hiis verbis minime sequitur hec sit maior controversia. Nam si aliquis homo demirando quamdam columpnam super quam aliqua magna fabrica fabricaretur, diceret : «A firmitate huius columpne omnia dependent edificia in hac fabrica fundata», non ex eo sequitur ipsum dixisse illam columpnam esse maius edificium tocuis illius fabricae. Et sic patet evidenter dictum rabinum falsum testimonium contra me perhibuisse, quod non dixerim opponendo vel imponendo.

Verum, ut voluntati dicti rabini condescendam, et ut rationes quas ipse credit subtiles, ac subtiliter fecisse, quod credit 'fabricari' [E. se fabricasse] clausuram puncti secundi, et ne absque solutione transeat, volo asserere quod ipse michi imposuit, aut etiam dico de novo. Ad rationem namque supra dictam respondeo dicens :

Primo : quod maior sui argumenti est falsa, eo quod divisio sit insufficiens contenta in eadem. Et ideo argumentum de sufficienti divisione, quod ipse facere videtur, probata insufficiencia divisionis, probatur nullius esse valoris ; ac si aliquis diceret : omne animal, aut est asinus, aut equus ; tu non es asinus 'nec' [E. neque] equus. Ergo non es animal. Nam demonstrato quod ibi sit animal quod non sit asinus 'nec' [E. neque] equus, statim falsitas maioris patet, et per consequens, totum destruitur argumentum.

Sic enim est in proposito nostro. Volo enim ostendere quod una controversia potest dici maior quam alia per alium modum qui non sit aliquis illorum trium quos dictus rabinus ponit.

Quod probo per similem casum : Cum aliquis homo est recessurus, et tenetur magno itinere ambulare, dicitur vulgariter quod maior dieta, quam facturus est, est exire de villa, et hoc non est quia sit maior quantum ad substantiam nec ad duracionem temporis, nec propter inconveniencia que ex ea sequantur, sed dicitur maior uno de duobus modis : aut quia ipsa preparat viam aliis, et alie non sibi, aut quia in ea plura accidunt inconveniencia quam in reliquis.

Sic est in proposito. Dico quod controversia vel repugnancia que est inter christianum et iudeum, scilicet, an Messias venerit vel non, potest dici maior quam quevis alia per dictum rabinum nominata, scilicet an Messias debebat esse filius Virginis, aut Deus et Homo, etc., idcirco quia iudeum concedendo venisse Messiam magnum sequitur preparatorium ad tollendum omnes alias controversias ; et concedendo aliquam aliarum, non sequitur ita magnum preparatorium ad tollendum hanc controversiam.

Nam certum quod, iudeo concedente Messiam venisse, cum non possit dicere aliquem alium fuisse usque nunc, cui possit hunc titulum attribuere, nisi solum Christus Iesus, rationabiliter habebit dicere Christum fuisse Messiam. Quo concesso de necessario tenetur concedere eius doctrinam esse veram. Et hoc sic concesso, de necessario tenetur concedere ipsum Deum et hominem esse, et quod sit filius Virginis; et sic de ceteris in eius doctrina contentis.

Bene ergo videtur quod hunc articulum concedendo et confitendo, sequitur magnum preparatorium ad omnes alias controversias vel repugnancias tollendas; quod non est sic in aliqua aliarum controversiarum. Nam iudeum confitendo quod Messias esse debuit filius Virginis, non ex eo tamen sequitur quod venerit; et sic de ceteris controversiis.

Unde patet quod hec prefata controversia, scilicet, an Messias venerit vel ne, potest dici quod est maior controversia que sit inter christianum et iudeum, secundum hunc respectum qui modo dictus est. Et per consequens, divisio quam prefatus rabinus fecit in maiori argumenti sui non est sufficiens, et sic eius argumentum penitus nichil valet.

Verumtamen ad maiorem gratiam dicto rabino faciendam, volo eius voluntati condescendere, et maiorem sui argumenti gratia collacionis sibi concedere. Et dico, hoc non obstante, quod argumentum eius nichil omnino valet, quoniam minor est falsa, scilicet, cum inquit quod hec controversia an Messias venerit vel ne, non potest dici maior per aliquem illorum trium modorum maioritatis quos ipse ponit in maiori dicti argumenti. Ymo, dico quod hec repugnancia vel controversia, potest dici maior, et maioris gradus circa subiectum et substantiam eius, quam aliquis aliorum modorum quos ipse ponit.

Et cum ipse arguit ad probandum dictam minorem propositionem sic inquit: Altercari super hoc, an Messias venerit vel ne, est altercare super accidentibus Messie. Et altercari super hoc, scilicet, an sit filius virginis, etc. est disputare super quidditate et substantia ipsius.

Ad hoc autem dico: quod ad hoc quod dictus rabinus sit magister [E. + in] Israel, locutus est grosso modo. Certum est quod controversia que inter christianum et iudeum est, super scilicet an Messias venerit vel ne, non est controversia super accidente, ymo super substantia et subiecto Messie tantum et plusquam aliqua aliarum controversiarum vel repugnanciarum que inter eos vertuntur. Certum enim est quod iudeus negans

Messiam venisse, intendit negare eum non esse in rerum natura; sed disputare super eo, scilicet, an sit vel non sit, certum est quod tangit magis Messie substantiam quam altercari super eo, scilicet, an sit filius virginis vel ne.

Et id quod prefatus rabinus inquit, haberet locum cum christianus et iudeus concordarent super hoc, scilicet, quisnam esset Messias; et deinde altercarentur super eo, scilicet, an venisset Dertusam, aut si esset Barchinone; nam tunc temporis talis controversia esset super accidentibus, et non super substantia Messie. Sed omnibus notum est dictam repugnanciam vel controversiam, que est inter christianum et iudeum, non esse huiusmodi nature, ut dictum est. Iudeus enim asserens Messiam nondum venisse, intendit asserere nichil esse vel fuisse in orbe quod fuerit vel sit Messias. Et per consequens videtur optime quod talis controversia seu repugnancia sicut 'est' [E. '—'] ista, est super quiditate et substantia Messie, et 'sit' [E. sic] et fuit plusquam aliqua alia controversiarum seu repugnanciarum: nam repugnare seu altercari super eo scilicet, an sit Deus et homo, aut sit filius virginis, certum est enim minime tangere ad substantiam, sicut est repugnare vel altercari, an sit vel non.

Et proinde dico quod, esto quod maior sui argumenti esset vera, eius ratio nichil valet, cum minor sit fasa.

Et ratio, quam ad eam probandum inducit, magis pro me facit quam pro eo, nam per eam probatur de directo mea intentio, arguendo in hunc modum:

Omnis controversia que magis tangit substantiam et quiditatem rei, debet dici maior.

Ista autem controversia, an Messias venerit, etc. magis tangit substantiam et quiditatem Messie.

Ergo ista controversia debet dici maior.

Minorem superius probavi. Maiorem enim prefatus rabinus concessit. Et consequencia est bona. Sequitur igitur dictum rabinum suis propriis rationibus esse conclusum atque devictum.

Ad aliud vero quod prefatus rabinus dicit de duracione temporis, non est necessaria responsio, cum sufficiat istam controversiam posse dici maiorem per aliquem dictorum modorum, quos ipse ponit, et non oportet omnes modos de eodem verificari. Nam omnibus constat quod propter unam controversiam magis posse durare quam aliam, non sequitur quod sit maior, cum, durante illa tali controversia, sit maioritas eiusdem consideranda. Plures namque [E. + sunt] controversie, tempore modico durantes, que sunt multo plus maiores dum durant, quam alique alie multo

tempore durantes. Nam propter hoc quod quis magis iuuenis existat quam alius, dato quod naturaliter possit magis durare in mundo, non ideo dicimus ipsum esse maiorem, ymo antiquitatem fratrum vel germanorum communiter vulgares maiorem appellant. Et super hoc nolo plus insistere, cum transcendat limites materie.

Ad id vero quod ex aliis controversiis maiora secuntur inconueniencia, etc.

Ad hoc dico, ut dixi in racione proximo posita, quod, esto quod ita sit, nichil facit ad intencionem quamlibet ad quam prefatus rabinus credit illud inducere, nam ut supra dixi, satis sufficit quod dicta controversia sit maior aliquo modo maioritatis, non obstante quod omnes modi maioritatis non concurrant in eadem.

Verumtamen unum restat notandum, quod prefatus rabinus in hac racione tertia inquit, quod propter hoc quod iudeus concederet venisse Messiam, et hanc solveret controversiam, que inter christianum est et iudeum, non ideo hereticus censeretur, adhuc quod esset opinio erronea, etc. Unde videtur quod dictus rabinus non loquatur super hac materia ut cupiens scire veritatem, sed tamquam is qui vult, si sciret et posset, cavillare. Nam in tercio puncto huiusmodi sui scripti immediate confessus est quod iudei habent pro articulo fidei et pro conclusione certa, que sequitur ex articulis sue fidei vel credencie, Messiam nondum venisse. Et hic dicit quod iudeus qui oppositum teneret et crederet, adhuc quod talis oppinio esset erronea, non ideo censetur hereticus. Unde omnibus luce clarius patet contradiccionem notoriam. Nam si Messiam nondum venisse esset articulus fidei sue, et conclusio certa, etc., de necessitate sequitur iudeum oppositum credentem tenere oppinionem hereticam. Et sic patet rabinum prefatum, cum super uno puncto scriberet, quod in alio dicebat inconsiderate attendebat.

Et hoc sufficit quantum ad primum argumentum in dictis racionibus fundatum.

Secunda vero ratio principalis, quam prefatus rabinus facit in dicto puncto secundo, est hec :

Messias, quem iudeus expectat et dicit nondum venisse, debet esse homo carnalis, de genere David natus, ex viri semine, et purus homo, sicut quivis alius, excepto quod erit discretissimus, et extrahet populum israeliticum de captivitate in qua est, et edificabit templum, etc. Sed hunc hominem nondum venisse christianus non infitetur. Sequitur igitur inter christia-

num et iudeum nullam esse controversiam seu repugnanciam super eo, scilicet, an Messias, quem iudei expectant, iam venerit vel ne. Et si super hoc inter eos nulla est controversia seu repugnancia, optime sequitur quod non sit maior controversia que sit inter eosdem.

Ad hanc quidem rationem respondens, dico nullum habere locum, cum in se contineat falsitates cavillosas. Quoniam predictus rabinus, ut patet per suprascriptam eius rationem, vult subiectum Messie diversificare secundum diversitatem actuum sibi attributorum secundum fidem orthodoxam et secundum cecitatem hebraycam, et sic predictus rabinus plures vult facere Messias, unum scilicet christianorum, alium vero iudeorum. Et hoc quam sit falsum ac cavillosum clare patet intuenti, ideo quia tam christiani quam iudei confitentur unum Messiam, a patriarchis diutissime spectatum, a prophetis prenunciatum; et ex hoc, scilicet, an venerit [E. + iam] vel ne, questio vel controversia inter christianos et iudeos existat, christianis quidem quod iam venerit, prout verum est, firmiter asserentibus, et repromissiones patriarchis et prophetis factas in Iesuchristo fuisse completas; iudeis ex adverso hoc negantibus, et quod nondum venerit, et quod prophecie non sunt complete, nec repromissiones in eisdem facte, ymo quemdam hominem in 'quem' [E. quo] compleri debeant nasciturum esse, qui erit Messias, pertinaciter confitentibus. Que non immerito christianus fideliter negans, dicit talem hominem amodo 'non' [E. numquam] esse, in quo dicte promissiones dictarum propheciarum compleantur, cum iam diu est sint complete in Christo Iesu Domino Nostro.

Omnibus igitur patet quod eo modo quo iudeus negat christiano venisse Messiam, eo modo christianus iudeo negat ipsum esse venturum. Nam iudeus dicit quod est venturus quia nondum venit, christiano dicente numquam esse venturum cum iam venerit. Et sic patet quod diversitas quam predictus rabinus vult facere inter christianum et iudeum, dicendo quod christianus non negat iudeo quod Messias per eum expectatus non sit adhuc venturus, non est vera, ymo falsa, in se continens cavillationem satis grossam et puerilem.

Tercia vero, et ultima ratio, quam dictus rabinus facit in dicto secundo puncto, est hec:

Hic terminus *Messias*, modo quo capitur a christiano, supponit et significat aliud, quam modo quo sumitur a iudeo. Nam iuxta iudei intencionem, significat unum purum hominem, qui corporalem captivitatem est reparaturus, etc. Secundum autem

christianum, Deum et hominem significat, qui animas est redempturus, etc., et debet eas salvare. Sequitur ergo quod sicut dictum vocabulum *Messias*, secundum christianum unam habeat significacionem, et secundum iudeum aliam, quod cum christianus dicit Messiam venisse, secundum quod ab eo sumitur hoc vocabulum *Messias*, et iudeus dicit nondum venisse secundum significacionem in qua iudeus recipit illud, quod huiusmodi propositiones non sint opposite in se, vel contrarie. Et per consequens, patet quod iudeus et christianus non contradicant super eo, scilicet, an Messias venerit vel ne. Si non contradicunt super illo optime sequitur hanc non esse maiorem que inter eos est controversia.

Ad has autem rationes respondeo dicens: Quod adhuc quod in verbis aliqua pateat diferencia inter racionem per dictum rabinum proxime factam et istam, tamen unus est effectus omnium istarum, et super unam et eandem fundantur cavillationem. Et ideo quod respondi ad aliam racionem est sufficiens responsio ad istam.

Ad maiorem tamen declaracionem dico diversitatem quam dictus rabinus intendit facere minime locum posse habere, postquam utraque pars concordat quod una sola persona debebat esse Messias, in lege promissus et prophetatus.

Et ut sue responsionis fallaciam clarius elucescat pono huiusmodi exemplum: Oppinio namque est philosophorum an sol sit substancia intellectualis vel ne. Ponamus igitur quod duo sint homines, quorum unus credat solem esse substanciam intellectualem, alio hoc inficiente. Verumtamen uterque credit non esse plures soles, ymo quod unus est sol. Accidit enim quod summo diluculo surgentes de cubiculo, hii duo altercantur et disputant, an sit sol ortus vel non, uno hoc asserente, alio vero inficiente. Postquam autem de lecto surrexerunt an sol ortus fuerit vel ne vadunt videre et reperientibus quod sic, is qui ortum esse negabat dicit quod in controversia illa non est convictus, cum dum ipse diceret sol nondum est ortus, intelligebat per solem significari quamdam substanciam intellectualem, et postquam alius non credebat quod sol ille esset substancia intellectualis, sequitur quod non sit inter eos aliqua controversia super hoc, scilicet, an sol fuerit ortus vel ne, eo quia iste terminus *sol* diversas habet significaciones iuxta diversas oppiniones quas de ipso habebant altercantes. Ecce igitur nunc si sit aliquis in universo qui tantam dixerit bestialitatem, quod propter eorum diversas oppinio-

nes tenere circa substanciam aut solis condicionem, dimittant super hoc, an ortus sit sol vel ne, altercacionem habere.

Sic enim est in nostro proposito. Certum namque est unum solum esse Messiam verum; et qualium condicionum esset, aut si esset in eo divina substantia aut non, est diversitas inter christianum et iudeos; sequitur igitur quod christiano venisse Messiam asserente, iudeo hoc negante, quod non sit inter eos controversia, postquam in condicionibus quas Messias erat habiturus minime concordent. Certe insanus esset, aut perfidus, qui talia diceret.

Et sic huic puncto secundo finem imponens, prefatum rabinum multipliciter remanere confusum eadem reprehensione quam contra me, prout per dictum prefati rabini patet, quantum in se fuit, conatus est exercere maliciose, et etiam dictis omnibus suis rationibus in octo punctis contra me per eundem conditis, sic iam per me lucidissime confusis, ut superius clarissime patuit, et debito modo annullatis, sequitur in principali ac presenti questione nostra, scilicet, quod Messias iam venerit, dictum rabinum esse sufficienter convictum.

Hiis autem per eundem magistrum Ieronimum recitatis, idem magister Ieronimus dictum rabi Astruch, in conspectu omnium, an de hiis que 'ultimate' [E. ultimam] predixerat copiam vellet, et ad illam respondere, interrogavit. Quo audito, dictus rabi Astruch quandam cedula papiream obtulit tenoris sequentis:

Semper iterum tamen protestando protestaciones per nos factas in huiusmodi disputacionis principio, dicendo si forsan in presenti responsione aliquid reperiret quod contra legem nature et Scripture et fidei quam credo veniret, quod credo ibidem minime posse reperiri, illud nunc pro tunc reputo nullum, casum, ac pro non dicto, taliter quod reprehensio aliqua michi pro tempore minime fieri possit, attento quod mea intencio nichil aliud sit quam meam defendere legem ac credenciam, non obstante quod sim indignus ad hoc faciendum.

Et ego Astruch, cum humiliori qua possum et scio debita reverencia Beatissimi Patris, Reverendissimorum Patrum dominorum Cardinalium, tociusque Sacri Collegii, cum honore etiam honorabilis magistri Ieronimi, dico ad responsionem per dictum magistrum Ieronimum factam, quod, non obstante quod rationes universales per me in disputacione quarti puncti allegate



me excusent amplius respondere, adhuc necessario excusor amplius respondere quia fui semper, et multo plus nunc, insufficienti ad disputationem sustinendam, et maxime in tam sancta platea prout ista. Propter quod silentium impono meo respondere tamquam is qui reputat se ignorantem et debilem in scientia, non recedendo tamen a rationibus per nos in generali, nec in mea cedula per me particulariter ultimo oblatis, nec ab aliqua illarum in processu dictis. Ymo semper eisdem adhaereo, et omnibus in eisdem contentis. Verumtamen tamquam is qui ulterius nescit quid dicat, non intendo amplius respondere.

Subsequenter vero prefatus magister Ieronimus prefato rabino triplicuit in hiis verbis :

Vos, rabi Astruch, postquam omnibus conatibus vestris nixus estis omnibus modis vobis possibilibus contra me arguere, dixistis in vestra hac ultima responsione quod vos reputabatis insufficientem et omnino ignorantem, propter quam insufficientiam et ignorantiam vos insufficientem et ignorantem ad ulterius respondendum et disputandum reputatis. Verumtamen hoc addendo, quod primis et ultimis vestris rationibus adhuc adheretis, circa istud per vos et alios iudeos factis, quasi velitis dicere quod non adhuc reputatis vos esse conclusum vel convictum.

Ad quod dico quod, esto quod hiis verbis vos palliare velitis, omnibus tamen patet quod est contra vos sufficienter conclusum. Et ratio est hec : Cum cessantibus omnibus aliis iudeis, ulterius quid respondere se nescire profitentibus, questio et disputatio solum cum duobus rabinis, scilicet Ferrer et Mathathias, remanserit, quibus diffuse valde arguentibus, ad plenum, ut supra patet, satisfeci, adeo quod rabi Mathathias se contentum reputavit dicens quod non intendebat amplius os suum aperire. Tunc vero remansit vox in prefato rabi Ferrer. Deinde vos, tamquam perfidus, hunc dedistis quaternum, ubi puncta octo, ut supra patuit, numerantur. In cuius prohemio dixistis quod eratis pluribus et optimis [E. + novis] rationibus imbutus, cum quibus dictorum aliorum defectus supplerentur. Tunc primorum rabinorum rationes reputastis insufficientes, ostendendo quod vos pulcras et sufficientes atque novas in scrinio pectoris vestri servaveratis ad vos ceterosque defendendos. Quas quidem rationes in dictis octo punctis recitastis, quorum duo ultima, quia erant extra materiam presentem, quamvis fuissent ordine prima, in hac presenti dieta fuerunt ultimo recitata. Et sic, sin-

gulis et universis per me superius posita diligenter inspecturis, manifeste patet cum rationibus sufficientissimis, quidquid in pre-nominatis punctis duobus posuistis qualiter fuerit sufficientissime revocatum, et non immerito annullatum.

Ea vero que per vos sunt posita in sex punctis supra dictis, in dietis prehabitis, satis vobis sufficienter probavi qualiter rationes vestre in quatuor essent defectuose: Primo etenim vos vobis met contradicendo, et verba vestra in diversis locis contradiccionem implicando, ut per diversas patet superius rationes, sicut fuit asserere facta legis a nemine esse disputanda, et [E. + vos] sigillatim, vobis met contradicendo, verbi vestri oppositum opere complevistis.

Item, cum in uno loco dicitis Messiam nondum venisse articulum fore legis hebreorum, alio quidem loco negatis.

Item cum in uno loco dicitis: actus Messie et operationes ipsius sunt in prophetiis expressi; alibi enim asseritis redemptionem Messie sapientibus et prophetis, et adhuc angelis, esse occultam ac secretam, et quod de auctoritatibus super factis Messie loquentibus nescit homo quid erit, cum sint occulte.

Attendite igitur, et videte si est maior contradiccion in universo.

Secundum vero, in quo rationes vestre defecerunt, est premissas falsas in argumentis vestris recipiendo, ut incontinenti patet per illam premissam, ubi dicebatis quod causa veritatis articulorum legis est fides et credulitas. Que quidem propositio supra patuit esse falsissima.

Item quoniam dixistis quod propter hoc quod homo sit ignorans, non ideo sequeretur esse conclusum. Item quia dixistis quod iudeus non tenetur fidem prestare haggadoth, id est, sermonibus talmudicis.

Dixistis ulterius quod omnes allegaciones quas ego fecerim ad probandum Messiam venisse, sunt homines qui tenebant firmissime, et credebant Messiam nondum venisse. Et hec omnia vobis fuerunt probata falsa esse.

Tercium in quo rationes vestre defficiunt, est allegare rationes falsas et cavillosas, sicut fuit in puncto octavo, quod postquam causa destructionis templi fuerit odium gratis quod contra Messiam habuerunt, quod propheta dicere excusabatur «antequam parturiret peperit», etc., cum certum esset, etc.

Dixistis adhuc hoc nomen *Messias* plura habere significata, in tantum quod christiano asserente venisse Messiam, intelligi

tur de uno Messia; et cum iudeus inquit nondum venisse, intelligitur de alio; in tantum quod sequitur quod nullo modo repugnent. Satis vobis probavi hec omnia cavillationes esse atque fallacias pueriles, et quedam ridiculosa et trufatoria.

Quartum vero in quo vestre rationes defecerunt, quia fecistis glosas atque varias figuras super auctoritatibus, cum litera earumdem minime 'concordantes' [E. consonantes]. Sicut est glosa illa quam facitis super verbis Helie, que sint ad literam «in ultimo iubileo filius David veniet», vos quidem glosatis illud velle dicere: in ultimo iubileo populus incipiet disponi ad faciendum opera meritoria, ex quibus sequetur quod pro tempore veniet filius David. Que quidem glosa patet omnibus quasi ridiculosa.

Item quamdam fecistis figuram super auctoritatem arabis, que fuit cunctis gentibus manifesta quantum erant dissona verba verbis auctoritatis. In tantum quod iudei met hoc, non sine causa, deridebant.

Ecce igitur quatuor defectuum naturas in vestris rationibus contentas. Unde necessario secutum est, quidquid est in vestro quaterno contentum irritum fore et inane.

Hoc facto, fuistis interrogatus si ulterius velletis aliqua dicere. Ad quod dixistis quod vos reputabatis ignorantem et insufficientem ad ulterius respondendum nec disputandum, et quod nescitis amplius quid dicere.

Ex quibus omnibus sequitur quod, dato quod vos, ore proprio, vos esse conclusum nolitis confiteri, quod ego nec quisvis alius vos compellere confiteri nequimus; rationes tamen manifestissime ac verissime hoc evidenter ostendunt.

Contigit quidem vobis, sicut cuidam homini, in platea luctanti, et adversario suo 'in terram eum' [E. eum in terram] prostranti, et sic prostratum tenenti, victor dicit protrato: Putasne te devictum? Cui prostratus et devictus impudenter infitetur et dicit: Non. Et sic omnibus ipsum in terram prostratum cernentibus, quod notorium est verum esse, vult oculos inspicium offuscare.

Ex quo nempe videre volentibus patet manifeste vestras rationes esse nullas, et contra vos bene fuisse conclusum, et infallibiliter verum esse vobis per me conclusionem intentam, super quam noster totus fundatur processus, videlicet, Messiam venisse, late, lacius ac latissime fuisse probatam.

Tunc autem idem magister Ieronimus quamdam conclusionem quo ad hec, repilogatoriam negotii, verbotenus retulit; et conclusiones super quibus iudei congregati fuerant, ac ipsorum errores, et qualiter eos concluserat, breviter et succinte recitavit, negociumque ipsum ad examen et ordinationem sanctissimi Domini Nostri Pape omnino remittens.

## SESION LIX

DIE VERO VENERIS, decima sexta mensis marcii, magister Ieronimus et iudeis [E. + in loco consueto] congregatis, idem magister Ieronimus alloquitur in hunc modum :

Beatissime Pater, ac Sanctissime Domine, veri Messie unice Vicarie : Dudum postquam iudei materiam principalem nostri processus disputantes omisissent disputare et eam ulterius nolent prosequi, ut publice sunt confessi, dictus rabi Ferrer quasdam questiones se obtulit positurus, si ad eas ego vellem affirmando vel negando respondere. Idcirco ego Ieronimus, convicto siquidem rabi Astruch prelibato, non obstante quod prefati iudei et dictus rabi Ferrer, super hac materia, tanquam convictus cessaverant amplius disputare et respondere, ad convincendam tamen eius maliciosam pertinaciam et pertinacem maliciam, cum benignissima domini Nostri Pape supportacione, super prefatis conclusionibus dicti rabi Ferrer, si eas voluerit proponere, divino coadiuvante presidio, sum paratus ad plenum eidem satisfacere ac respondere.

Post hec surgens dictus rabi Ferrer, de licencia Domini Nostri Pape, ad ponendum suas conclusiones, in scriptis legendo, sic exorsus est dicens :

Considerans ego Ferrer longitudinem temporis quo altercacio inter honorabilem magistrum Ieronimum et nos iudeos, ut notum est, diu durasse, et anxiano me de prefata longitudine, vellem scribere dictum negocium ad finem, quod veritas breviter elucesceret in conclusione super qua [E. + pro] nunc altercamur, scilicet, an propter vigorem alicuius auctoritatis **talmudice**, iudeus obligetur Messiam iam venisse an non **confiteri**.

Nam dictus magister Ieronimus partem asserit affirmativam, ego assero et sustineo partem negativam.

Michi videtur quod, ut ad dicte questionis veritatem cognoscendam brevius et citius veniamus, oportet me purificare et dirigere modum qui in dicta altercacione pro presenti servatur. Quod quidem purificamentum vel directorium credo compleri, certas presupponendo conclusiones, cum quibus dicta veritas breviter cognoscetur, et ad minus, erit causa quod nostre dissensionis materia minuatur, et in tam modica remanebit quantitate quod facillime devenire poterimus in cognitionem dicte veritatis, honorabilem magistrum Ieronimum per viam supposicionis requirendo quatenus velit in presenti altercacione regulam brevem servare, scilicet, negare aut affirmare dictas conclusiones omnes aut partim earundem, ut sibi videbitur, et deinde questio remanebit in probacione earum que per eum fuerint negate, quoniam non sunt talis speciei quod non requirant probacionem.

Que quidem conclusiones sequuntur sub forma sequenti :

Prima conclusio : Equales sunt christianus et iudeus, eo quod quilibet eorum possidet et sustinet articulos sue legis per puram fidem et meram tradicionem.

Secunda conclusio : Premisse traducte et acquisite per fidem non requirunt aliquam probacionem, tam parum sicut prime intellective.

Tercia conclusio : Quecumque Scriptura vel Scripture auctoritate super certis fabricate articulis, per tradicionem acquisitis, convenit ut convenient cum eisdem, non autem in aliquo disceptantes.

Quarta conclusio : Scripture dicte et glose sive declaraciones super eisdem, convenit ad eundem met finem referri, scilicet, asserere et sustinere articulos per tradicionem acquisitos, taliter quod omnes tres, scilicet, articuli, Scripture, et glose, sint catenate ad eundem finem referentes et ad eundem terminum ad quem ; et sic bene debent intelligi Scripturarum partes unam cum alia refferendo ad eundem finem, nisi aliqua predictarum parcium ad literam anulletur.

Quinta conclusio : Quevis Scriptura est talis nature, quod debet referri et ad finem certum dirigi, et licitum est reservare illam in sua natura.

Sexta conclusio : Dicti articuli sunt maioris summe quam prefate Scripture et glose, et per consequens, Scripture sunt maioris valoris quam glose, ex quo debent esse Scripture vinculate [E. + et dictis articulis submissee, non autem articuli scrip-

turis et glosis; et glose vinculate] et summisse Scripturis, et non e contra.

Septima conclusio, precedenti correlaria: Articuli debent esse preservati et positi in custodia preeminenciori quam Scripture et glose. Hoc consonat dicto Salomonis: «plusquam omnis alia perseveracio persevera articulos cordis tui, quia ex eis manent canalialia vite» (1).

Octava conclusio, precedentibus correlaria: Si aliquod verbum obscurum reperiatur in Talmut discrepans prima facie, et ut patet per eum ad literam, cum aliquo articulo fidei iudayce, non debet iudeus ab articulo discedere, nec illum relinquere, ymo tenetur et obligatur illud glosare et declarare taliter quod concordet cum illo articulo, sicut christianus non debet discedere ab aliquo articulo fidei sue nec illum dimittere, vigore alicuius verbi obscuri quod reperiatur in Evangelio, prima facie discrepans, et ut patet per illud ad literam, cum dicto articulo, ymo obligatur glosare et declarare illud taliter quod cum dicto articulo concordet.

Nona conclusio: Intelligens iudeus et asserens quod Talmut fabricatur super articulis sibi per tradicionem et auctoritatem acquisitis, in observacionem eorumdem concedit et ratificat auctoritates in eo scriptas, et non aliter, per eandem formam qua ratificat christianus dicta evangelica.

Decima conclusio: Sicut christianus tenet pro articulo fidei Messiam venisse, sic iudeus habet pro articulo fidei spectare Messiam dum sint iudei in captivitate positi, et absque rege, et plura alia non esse completa.

Presuppositis quidem conclusionibus sic arguo:

Primum argumentum: Quoniam scripturam Talmut nuncupatam et quamlibet partem eius, in lege iudayca, convenit concordare cum omnibus articulis iudeo per tradicionem acquisitis, nam si discreparet cum eis, non esset lex iudayca. Concessum est antecedens per partem, et in veritate ipsius conatur ad conveniendum.

Secundum argumentum: Quelibet auctoritas talmudica est concordans, non discrepans cum omnibus articulis iudaycis. Sed Messiam ad presens spectare est articulus iudaycus. Concluditur quod nulla auctoritas talmudica eius provocat mandata presenciam, scilicet, confiteri Messiam venisse.

Tercium argumentum: Quecumque Scriptura seu Scripture super certis articulis fabricata, vinculatur et submittitur eisdem.

(1) Prov. 4,23. T. hebreo.

Sed Scriptura Talmut nuncupata super articulis iudaycis fabricatur. Ergo Scriptura Talmut nuncupata vinculatur et submittitur articulis iudaycis.

Quartum argumentum : Scriptura Talmut nuncupata submittitur et vinculatur articulis iudaycis. Sed unus articulorum iudaycorum est ad presens Messiam non venisse. Ergo Scriptura Talmut nuncupata vinculatur et submittitur ad hoc quod Messias nondum venerit pro presenti.

Quintum argumentum est : Omnis Scriptura ad conservacionem articulorum certorum auctorizata diligenter investigat atque tractat approbare et illos sustinere, non autem in destruendo et eos prostrando. Sed Scriptura Talmut appellata fuit auctorizata per Rabina et Rabasse ad iudaycorum articulorum conservacionem. Ergo Scriptura Talmut nuncupata diligenter investigat atque tractat in approbando et sustinendo articulum, scilicet, spectandi Messiam dum iudei fuerint in captivitate, et absque rege, et alia minime fuisse completa. Quiquidem articulus concordat cum hoc, scilicet, quod nondum venerit Messias pro presenti, qui est unus de articulis iudaycis ; non autem in destruendo illum et prostrando.

Sextum argumentum : Glosa sive quelibet declaracio cuiuslibet verbi in aliqua Scriptura auctorizata debet referri et acceptari ad eundem met finem ad quem dicta refertur Scriptura. Sed Scriptura Talmut vocata, refertur ad finem spectandi Messiam dum fuerint iudei in captivitate et absque rege, et plura alia non esse completa, que quidem expectacio concordat cum credendo scilicet Messiam nondum venisse pro presenti. Igitur glosa cuiuslibet auctoritatis in Scriptura Talmut nuncupata, debet refferri ad hoc, scilicet, quod Messias nondum venerit pro presenti.

Vigore dictarum conclusionum et argumentorum manifeste ostenditur qualiter nulla quevis Scriptura potens sit et virtuosa ad obligandum iudeum ut eius articulo, quem pro nunc tenet tamquam firmum, scilicet, nondum venisse Messiam, abrenunciet.

Ex dictis adhuc patet conclusionibus qualiter dictus magister Ieronimus non necessitat iudeum in sillogismum suum formando, qui sequitur sub hac forma :

Quilibet iudeus tenetur et obligatur concedere et auctoritates talmudicas ratificare. Sed de illa de *tana devehiahu*, que est una earum, sequitur Messiam venisse. Ergo, etc.

Respondeo ego Ferrer dicens quod solum concedit et ratificat iudeus auctoritates talmudicas declarando illas per viam concor-



dantem cum articulis sibi per tradicionem acquisitis, non autem simpliciter per quamcumque declaracionem; [E. + similem declaracionem], scilicet, cum articulis iudaycis concordantem, non ponit in actu, qui contrarium tenet per fidem, licet hoc non ignoret. Nam multi sunt qui sciunt et non operantur secundum eius scienciam. Latro autem qui furatur, neminem debere furari non ignorat; sed ipse est homo, igitur non debet furari. Tamen furatur et oblivioni tradit premissam minorem, que est particularis. Approbatur hoc per Aristotelem [E. + in libro] VII Ethicorum.

Ad idem conversus cum esset iudeus dictas auctoritates declarabat per viam concordem cum eius fide, quam tunc tenebat, et nunc declarat per viam concordantem cum fide quam nunc servat.

Propter quod dico quod adhereo et assero declaracionem quam fecit rabi Salomon de Troya super auctoritate de Thana deve Elyahu. Que quidem declaracio sequitur sub hac forma:

Duo mille anni legis erant pertinentes ut Messias veniret, et quod cessaret captivitas israelitica; tamen propter nostra peccata que multiplicarunt non venit in fine quatuor mille annorum, et sunt elapsi de eis [E. + quod sunt elapsi], et adhuc retardatus est venire.

Angustiatus autem rabi Salomon, et dictam Scripturam cum articulo ad quem ipsa submittitur concordare cupiens, fecit dictam declaracionem. Sed is qui tenet angustiam oppositam angustie dicti rabi Salomonis, faciebat ad idem declaracionem oppositam dicte declaracioni dicti rabi Salomonis, aut ad minus, loquendo cum honore, defficit in non faciendo glosam quam requirit. Plures etenim et diverse Scripture reperiuntur quod si per aliquem prout iacet ad literam intelligant, incideret in plures et graves errores; et glosando eam separat se ab eis, et invenit iusticiam veritatis.

In auctoritate iubileorum affirmo declaracionem de Rabasse.



## SESION LX

Ad hec per supradictum rabi Ferrer, ut premittitur, proximo recitata, prefatus magister Ieronimus respondit sub forma sequenti :

Et dictus magister Ieronimus ad quamdam scripturam per rabi Ferrer noviter ductam cupiens respondere inquit :

Esto quod prefata scriptura plures ac diversas videatur continere rationes, ut superius audistis, quoniam posuit prologum, deinde decem subiunxit conclusiones, sex argumenta eisdem anectendo, et finaliter ad hoc ut ad propositum disputationis presentis redeat valde insudavit ; considerata tamen dicta scriptura, a principio usque ad finem, quantum ad propositum potest pertinere, in una sola ratione primitus facta, que sequitur in hac forma, poterit concludi :

Dicit namque sic prefatus rabi Ferrer : Tu, magister Ieronime, elaboras quia vis iudeo 'concludere' [E. probare] venisse Messiam per aliquas auctoritates, in quodam libro vocato Talmut scriptas. Volo, inquit, tibi probare hoc nullatenus fieri posse, nec talis conclusio potest elici ex aliqua talmudica auctoritate, dato quod per verba ipsius videatur sonare. Ad quod probandum taliter formo rationem :

Omnis Scriptura super certis articulis fidei, ad quam illos presuponit fundata, debet interpretari et intelligi taliter ut non repugnet alicui dictorum talium articulorum, ymo confirmet et corroboret. Sed scripta talmudica fundatur super certis articulis fidei iudayce, presuponens eosdem. Ergo debet interpretari et intelligi taliter quod eos confirmet et eis in aliquo non repugnet.

Et infra, reducendo hanc rationem ad casum nostrum, subiungit :

Omnis scriptura talmudica debet interpretari et taliter intelligi quod alicui articulorum fidei iudayce minime contradicat seu repugnet, ymo confirmet et corroboret eosdem.

Sed unus articulorum iudayce fidei est Messiam nondum venisse pro presenti.

Ergo quecumque scriptura seu auctoritas in Talmut contenta, debet interpretari et intelligi taliter quod ex ea Messiam pro presenti venisse non sequatur.

Et per consequens, licet auctoritates talmudice per te, magister Ieronime, superius allegate, talia verba que ostendant Messiam venisse dicere videantur, dico quod debent intelligi et taliter interpretari quod ex eis talis conclusio nec alia huic similis quod alicui articulorum fidei iudayce, ut dictum est, contrariari minime videantur; et ideo quidquid in probando Messiam venisse per auctoritates talmudicas diucius laborasti, fuit labor inanis, superfluous, sine proficuo; quoniam dicte auctoritates debent glosari quemadmodum per iudeos in aliis scripturis est dictum, et non debent intelligi ut sonant ad literam, eo quia ex tali intellectu sequeretur conclusio dicto articulo fidei iudayce contraria, super quem quidem articulum dicta scriptura fundatur, presupponens illum ut certum.

Ad dictam rationem probandam, predictus rabinus decem presupponit conclusiones, quibus sibi concessis, credit omnes premissas probavisse predictas, scilicet, quintam, sextam, septimam, et octavam conclusiones; que quidem, non obstante quod sex sint numero, non est tamen nisi solum una effectus.

Premissam minorem credit per nonam probare conclusionem per eum presuppositam.

Premissam minorem secundi argumenti, in qua vis predictae scripture tota consistit, dictus rabinus per conclusionem decimam iunctam cum prima et secunda per eum supra positam, credit probare.

Et, ut vanitas et fallacia et adhuc defectus veritatis in dicta scriptura contenta, publice pateat universis, in hac responsione tria, Deo duce, intendo:

Primo: variacionem in hac altercacione per rabinos factam, et usque modo servatam, atque responsam, ostendere; et ad idem, quantum iste dictus rabi Ferrer, ut ab auctoritatibus per me allegatis suis conatibus et maliciis, de una solucione in aliam saltando, subterfugeret, adhuc modo et subterfugit, videntes iam sibi iuste et veridice fuisse conclusum, nolunt figere pedem circa aliquam responsionem donec veritas aut falsitas illius appareret,

sicut is qui appetitum et desiderium veritatem sciendi habet debet facere.

Secundo: duos modos fallacie, quibus prefatus rabinus in hac eius scriptura usus est, intendo declarare.

Tercio: rationibus prefati rabini particulariter respondere, ostendendo qualiter multiformiter nullam penitus habent efficaciam.

Circa primum nempe dico quod modi cavillosi quos isti iudei actenus servarunt, et finaliter dictus rabi Ferrer, qui loco aliorum rabinorum singulariter perfidie campum vult sustinere, diversi et diversimode fuerunt: Primo textus et auctoritates per me allegatos iuxta sensum literalem nisi sunt declarare, doctorem aliquem, nec glosatorem qui aliquid huiusmodi poneret non allegantes, sed invenciones solum suas capitose factas, que validis ac sufficientissimis rationibus fuerunt revocate.

Et cum illud eos minime iuaret, me pluribus auctoritatibus artante et eos constringente, aliam viam secundam recipientes, quod verum est Messiam iam natum esse, sed nondum demonstratum nec venisse, publice sunt confessi.

Cum autem, ostendendo eisdem qualiter non solum natum esse, sed adhuc apparuisse et venisse etiam artassem eosdem ad credendum, aliam tertiam viam maliciose receperunt, scilicet, nonnullos textus, tam talmudicos quam biblicos, falsificarunt, dicentes quod non essent sic positi sicut ego ponebam. Cum autem ad literam prout dixi quod allegaveram ostenderem, reputarunt codices meos esse falsos, quousque veritas sicut eis allegaveram in omnibus libris qui tunc temporis potuerunt reperiri in publicum ostensa est, et per me in conspectu omnium elucidata.

Videntes enim in hoc esse devictos atque omnino prostratos aliam quartam viam receperunt, dicentes auctoritates per me allegatas iuxta sensum literalem non debere intelligi, sed metaphoricè esse intelligendas et figuraliter declarandas.

Interrogatis, igitur, quisnam doctor vel rabinus diceret figuraliter esse intelligendas, et que essent ille figure ostenderent publice, neque doctorem, nec talem figuram, cum non sint, demonstrare potuerunt.

Postquam in hoc fuissent convicti, aliam quintam viam, scilicet, auctoritates talmudicas negare, ceperunt, dicentes eas esse fabulosas, et sermones in hebreo vocatos haggadoth, et quod illis non erat fides prestanda ab eisdem aliqualis. Ego quidem eis probavi qualiter quidquid est in Talmut cuiuscumque sit nature loquendi, est per eos fides prestanda eisdem, plusquam legi Scripture.

Cum autem in hoc se cognovissent convictos, rabi Ferrer et rabi Matatias, se preponentes, vocem nequissimam deffendentes, aliam sextam viam receperunt, unam de novo offerentes scripturam, in qua, recedentes a materia principali, aliam mutant, dixerunt omnibus esse manifestum intencionem meam finalem in huiusmodi disputacione, Iesum Christum fuisse verum Messiam erat probare, et quod ex auctoritatibus per me allegatis totum oppositum monstrabatur, nam tempori adventus Iesuchristi punctualiter minime concordabant.

Preterea dixerunt in dicta scriptura, christianum non posse gaudere de dictis auctoritatibus contra iudeum, nec cum eis convenire eundem, quia dictus christianus nullam fidem eis presabat. Et ad hoc probandum plura ac diversa contra me condiderunt argumenta; ulterius certas glosaverunt auctoritates, de quibus allegaveram superius, per certas glosas.

Cui quidem scripture respondens sufficientissime probavi eis: primo qualiter per auctoritates per me allegatas fuisset conclusum sufficienter Messiam venisse; et ad aliud, quod nulla earum veniret contra tempus adventus Iesuchristi probare cum ex huiusmodi conclusionis materiam et de eadem tractaremus obtuli me paratum.

Adhuc omnes eius obiecciones, et glosas per eosdem factas, falsas esse probavi.

Item, hoc facto, me si quidem an vellent contra illud amplius dicere interrogante, rabi Matatias dixit se nolle amplius aliquid dicere. Sed rabi Ferrer ait se velle contra illud replicare, cuius copia de verbo ad verbum sibi data, quam retinuit diucius apud se, et deinde fuit per eundem quoddam scriptum presentatum, in quo nichil contra me, nec contra illud quod sibi copiatum fuerat replicuit neque dixit; in qua quidem copia omnia eius verba racionabiliter confunderam. Ymo alias intenciones novas invenit, diversas ac multiplices ponens conclusiones et argumenta alterius materie nove, ut superius lacius audistis, de aliquo in dicta copia contento nullam faciens mencionem. Propter quod racionabiliter in nullo deberem eis respondere in eius scriptura contento, usquequo ipse unum fecisset de duobus: aut contra raciones in conclusione sue prime scripture per me factas, aut se devictum in eisdem reputare, et quod ad illud nec ad aliud prout est profiteri et palam nesciat respondere.

Verumtamen, ut servem formam quam actenus contra eos benigniter servaverim in huiusmodi processu, scilicet, cum eis **ultra** debitum aliquid facere et **plura** eis viciosa sustinere, et ut **tempus** abbreviaretur, brevius quam iudei optabant brevare, et licet hoc

idem rabinus in eius prologo [E. + verbo] dixerit, volo contra omnia in eius scriptura, et quelibet eorundem contenta, ut cuilibet pateat supra quod se fundaverit 'vanum' [E. varium] ac debile esse fundamentum.

Ad secundum veniens, scilicet, ad declarandum duos modos fallacie, quibus prefatus rabinus in prefata scriptura uti videtur, dico quod sicut pluries in hoc publico consistorio est dictum, articulus super quo presens est altercacio dicitur an venerit Messias vel ne, nullo habitu respectu ad Christum Iesum, nec ad aliam personam. Et hoc quidem articulo determinato, tunc veniemus ad alium articulum, scilicet, an in Christo Iesu fuissent completi omnes actus et operationes quos Messias erat acturus, in lege et in prophecíis contentos.

Et quam pluries iudei in hac altercacione hos duos articulos, ut ordinem disputationis perverterent taliter quod veritas non posset ita lucide, nec ita brevi elucescere, premaxime prefatus rabinus in scriptura per rabi Mathathias oblata, qui ut hos duos articulos misceret, laboriosissime insudavit. Quod numquam fuit eis consenciendum; quod fuit tam per rationes, quam per exempla, hoc non debere fieri probatum, sed quod primo articulus primus, scilicet, an Messias iam venerit, probaretur, examinaretur, et determinaretur; et illo sic peracto, ad alterius veniremus tunc temporis examinacionem. In quo dictus rabinus consensit, dicens sibi placere quod primo dictus articulus, ut ordo rationis dictabat, determinaretur.

Nunc autem attendens clare uti prefata cavillatione se non posse, palliato modo, credit sibi prodesse illam sub ista forma in decima conclusione ponens, quod expectare Messiam dum iudei fuerint in captivitate, et absque rege, et plura alia non fuerint completa, quod sit articulus fidei ipsis iudeis manifestum est.

Ad huiusmodi conclusionis sciendam veritatem prius oportet examinare que sit, et qualis, illa captivitas a qua erant liberandi, et per Messiam redimendi, an esse debebat spiritualis, scilicet animarum, quemadmodum fides orthodoxa verissime asserit atque docet, aut si de captivitate dumtaxat corporali, de qua dictus rabinus loqui intendit, merito deberet intelligi. Et ad idem regnum Israel, quod in semine David erat perpetuaturum in personam Messie, an deberet intelligi de regno celorum, quod est eternum, quod quidem regnum numquam auferetur, sicut dixit Daniel, vel debeat intelligi de regno temporali, quod prefatus rabinus inquit se expectare, quod esset particulare ad modicam terram et gentem temporalem; et ad idem de aliis pluribus, que pre-

fatus rabinus inquit non fore completa. Nam oporteret illa examinare que essent, et ostendere quod omnia que erant complenda in Messia et per eum, in eius primo adventu sunt iam completa. Et ad idem ostendere qualiter, nonnulla in propheciiis contenta, non erant in primo adventu eiusdem complenda, sed in secundo adventu, cum sit venturus iudicare vivos et mortuos.

Omnibus igitur manifeste patet quod examinatio predictorum, secundo articulo, ubi debet tractari an Christus Iesus fuerit Messias, et an in eum et per eum omnes actus et operationes, quos Messias erat acturus, sint completi, totaliter pertinet; non autem presenti articulo, in quo solum tractamus, an Messias iam venerit an ne, nullo tamen habitu respectu ad operationes quas operaturus erat, si fuerint complete vel non. Idcirco patet optime primus modus fallacie et cavillationis, quem dictus rabinus in prefata eius scriptura servavit.

Secundus vero modus fallacie in dicta eius scriptura, est quam fallaciam petitionis principii logici appellant. Que sit cum duobus super una conclusione disputantibus, unus facit presuppositum de eo super quo altercatur: verbi gracia, si duobus altercantibus super hoc, scilicet, an Papa sit Dertuse aut non, et unus ad probandum quod Papa sit Dertuse sic diceret: presuppono istam conclusionem, quod Papa sit inter muros Dertuse; et facto hoc presupposito sic arguit: Papa est inter muros Dertuse. Igitur Papa est Dertuse.

Hoc vocatur fallacia petitionis principii, nam presupponit ut certum principium illud super quo est questio et altercacio.

Sic facit prefatus rabi Ferrer in eius scriptura. Certum enim est altercacionem que es inter eum et alios rabinos ex parte una, et me ex parte alia, super hoc esse, quoniam dico quod secundum dicta prophetarum et secundum plures auctoritates in Talmut scriptas, ipsi debent tenere et credere pro articulo fidei Messiam venisse. Ipsi iudei pertinaciter hoc negant. Nunc vero prefatus rabinus, ad partem negativam defendendam, presupponit illud idem super quo vertitur questio, dicens articulum esse fidei iudeorum Messiam pro presenti nondum venisse. Et super hoc fundamentum et presuppositum, sua edificat argumenta et probaciones. Est igitur manifestum cuilibet racione utenti dictum rabinum in prefata fallacia peccare, volens ea uti, atque presuppositum faciens de illo super quo altercatur. Quod est contra omnem racionem et disputacionem. Quequidem fallacia per logicam reprobatur et philosophiam.

Duobus cavillationis et fallacie modis, quibus prefatus rabi-



nus in prefata eius utitur scriptura, diligenter consideratis, minime eram obligatus eidem respondere. Sufficeret autem qualiter prefata scriptura rationesque in eadem contente, neque habeant aliquam efficaciam, nec vigorem, eo quia in se contineant cavillationes prefatas et fallacias, sicut plene ostendi.

Verum ne prefatus rabinus aliquos eius verbis alliciat ad credendum quod eiusdem rationibus non fuerit responsum, venio ad tertium, in quo dixi quod rationibus dicti rabini **particulariter** responderem, quodque nullam efficaciam multipliciter demonstrando :

Et primo : ostendam qualiter conclusiones per prefatum rabinum presuppote, presertim illa super quam magis fundantur argumenta per eundem facta, que est, scilicet, in ordine, decima conclusio, est iuxta sensum quem ipse recipit manifeste falsa, et nullius efficacie.

Ad quod dico quod, quamvis ad omnes eius rationes destruendas, sufficeret michi negare simpliciter predictam decimam conclusionem, et ipse eam probare tunc temporis obligaretur, postquam eam presupponit ut certam, verumtamen, ut ipse laboribus sublevetur, volo sibi ostendere qualiter sit falsa. Et primo, secundum verba in quibus est posita ; deinceps secundum sensum et intellectum, ad quem ipse eam ponit ; deinde, qualiter secundum alium intellectum dicta conclusio sit vera sibi ostendere, secundum quem quidem intellectum non sequeretur ex eo quod prefatus rabinus optat, ymo totum oppositum eius intencionis sequetur.

Quantum ad primum, dico quod, attentis diligenter verbis dicte decime conclusionis, dicta conclusio est falsa. Nam verba eiusdem sunt hec : Sicut christianus tenet pro articulo Messiam venisse, sic iudeus habet pro articulo fidei Messiam expectare dum sint iudei in captivitate, etc.

Ad probandum igitur quod, secundum verba, dicta conclusio sit falsa, talem formo rationem :

Expectare Messiam est actus voluntatis, credere autem aliquid secundum articulum fidei, est actus intellectus. Sequitur quod expectare Messiam non est articulus fidei, nam si expectare Messiam esset articulus fidei sequeretur quod ad intellectum, non ad voluntatem, talis actus pertineret, salvo per modum imperii, aut principalis motoris ; quod non est sic, ymo est actus purus voluntatis ; 'expectare' [E. spectare] autem ad eam pertinet, sicut diligere et actus similes.

Unde patet diligenter intuenti, verba conclusionis fore valde

improprie posita; quod prefatus rabinus, qui tam famosissimus reputabatur et logicus, debuisset non sine causa evitasse.

De improprietate tamen verborum nichil curando, venio ad intencionem ad quam prefatus rabinus dictam ponit conclusionem, que est hec, scilicet, quod Messiam non venisse dum iudei sint in captivitate et absque rege, etc., est iudeis articulus fidei, sicut ipse subiungit in duobus aliis sillogismis. Et dicta conclusione sic intellecta, ut ipse intelligit, scilicet, de captivitate corporali, in qua sunt hii qui iudei appellantur, hanc conclusionem dico esse falsam multipliciter:

Primo: quia si vera esset sequeretur Messiam numquam posse venire. Et formo sic rationem:

Captivitas iudayca non potest redimi nisi per Messiam.

Messias non potest venire dum iudei fuerint in captivitate.

Igitur Messias numquam potest venire.

Maiorem omnes iudei confitentur, nam sicut pluries in hoc processu dictum est, aiunt quod causa principalis propter quam debet venire Messias, est ut ab hac in qua iacent captivitate redimantur, et per eum sunt portandi ad terram promissionis. Minor enim est per dictum rabinum presupposita. Et consequencia est bona. Sequitur quod consequens sit verum.

Adhuc aliter, ad eundem tamen finem, proba falsitatem dicte conclusionis hoc modo:

Messias est iudeos redempturus a captivitate. Ergo primo veniet Messias quam iudei sint extra captivitatem.

Consequencia valet pro tanto, quantum ipse prius debebat esse quam ageret actus quos operaturus erat. Et ex hoc optime sequitur quod Messiam non venisse dum iudei essent in captivitate, non est articulus fidei iudayce, ymo totaliter repugnat credencie quam ipsi tenent, scilicet, quod Messias est primo venturus, et deinde quod liberabit eos de captivitate in qua sunt positi.

Eciam ad hunc [E. + eundem] finem proba falsitatem dicte conclusionis sub hac forma:

Posito namque casu quod Messias per rabi Ferrer expectatus cras veniret, quem quidem casum, non obstante quod sit impossibilis, prefatus tamen rabinus reputat possibilem, postquam dictus Messias sic venerit, certum est quod iudei, in illo instanti, non cessabunt stare in captivitate. Veruntamen certum est quod, secundum opinionem quam dictus rabinus tenet, [E. + si] ab eo quis quereret an Messias venisset, responderet quod sic, non obstante quod iudei essent adhuc in captivitate. Sequitur igitur

quod tunc temporis hec conclusio esset falsa : Messias non venit dum iudei sunt in captivitate.

Conclusio igitur que in aliquo casu est falsa, non potest esse articulus fidei vere, sed potest esse articulus fidei false et mendaciose.

Item per aliam rationem probo falsitatem conclusionis prefate, hoc modo :

Nullius rei, cuius finis ultimus est temporalis aut corporalis, potest esse articulus fidei.

Adventus Messie et redemptio captivitatis, eo modo quo iudei expectant, sunt omnino temporales.

Ergo neque de uno, neque de alio est articulus fidei secundum eos.

Et hac ratione patet similitudinem quam dictus rabinus ponit in prefata conclusione, dicendo quod sicut christianus habet pro articulo fidei Messiam venisse sic iudei habent pro articulo fidei non venisse, etc., esse nullam, quoniam prefata similitudo est falsa, eo quod christianus habet pro articulo fidei Messiam venisse, ideo quia firmissime credit quod per eius adventum toti generi humano sequatur salus animarum, et glorie eterne consecutio, quam nullus, nisi mediante adventu Messie, consequi poterit in eternum. Et ideo iustum est quod christianus teneat pro articulo fidei adventum Messie, quia credit fore medium necessarium ad gloriam eternam acquirendam et consequendam, sicut tenet pro articulo ipsum esse Deum trinum et unum, quia est obiectum dicte glorie quam expectat. Sed iudeus qui credit se posse consequi gloriam sine Messia, et quod adventus Messie debeat esse quedam prosperitas temporalis, non potest dicere quod sit articulus fidei sue, ut ipse hodie erronee tenet, et servat et asserit nondum venisse Messiam. Quia si de talibus prosperitatibus temporalibus haberent tenere articulos fidei, pari forma debuisset esse articulus fidei redemptio egipciaca, et babilonica, et omnes alie prosperitates quas dedit eis Dominus, et omnia promissa que eis promisit in lege et prophetis, et sic articuli sue fidei non essent tredecim, ut ipsi dicunt, sed essent quasi infiniti, de quolibet in Biblia contento.

Et ita patet quod dictus rabinus quid sit articulus fidei ignoret. Alias non loqueretur de eo tam improprie, nam non omnia que quis tenetur credere sunt articulus fidei. Quod autem Abraham voluisset suum filium immolare, certum non esse articulum fidei, nec etiam quod duos filios haberet, et quod Isaach cum Rebeca contraheret, nec quod Rebeca peperisset Iacob et Esau,

et alia plura et infinita hiis similia, que tam iudeus quam christianus credere firmiter obligatur, tamen non exinde sequitur articulos fidei illa fore.

Item, alia ratione probo sic falsitatem dicte conclusionis :

Certum enim est quod omne illud quod est articulus fidei, durante fide, numquam dimittit esse articulus fidei. Ergo si Messiam nondum venisse dum sunt iudei in captivitate esset articulus fidei sue, illo veniente Messia, secundum quod ipsi dicunt et expectant, et liberante eos a captivitate prefata, ad idem deberet esse tunc temporis articulus fidei Messiam venisse, et eos liberasse a captivitate. Hoc enim est impossibile, ideo quia secundum quod ipsi credunt, cum dictus adventus et redemptio facta, esset quid ad oculum patens, et non posset esse articulus fidei eum videntibus, cum fides non potest esse de re visa. Et sic de necessitate sequeretur quod adventus Messie uno tempore esset articulus fidei, alio vero non, fide tamen durante. Quantum hoc sit absurdissimum patet cuilibet intuenti et ratione utenti. Et sic dico quod secundum falsam fidem et credenciam, quam iudei de adventu Messie nunc tenent, nequeunt dicere quod illud habeant pro articulo fidei, eo quia adventus per eos expectatus est talis conditionis et nature quod non potest de eo fieri articulus [E. + nec erit in eternum fidei articulus], quod est contra proprietatem articulorum fidei.

Item alia ratione patet falsitas dicte conclusionis :

Certum nempe est quod dictus rabinus concedet istam propositionem, Messiam hodie nondum venisse, nichil ei addito, non esse articulus sue fidei, ut supra laicius probavimus in responsione facta scripture per rabi Astruc oblata. Videtur ergo quod solum facit esse articulum fidei nondum venisse Messiam iuxta intencionem dicti rabini, esse iudeos in captivitate, et sine rege, etc.

Arguo sic :

Hec propositio : «Messias nondum venit», non est articulus fidei iudayce. Igitur redemptio captivitatis in qua hodie sunt iudei, qualiter liberabitur per Messiam, et actus quos dictus Messias esset factururus, minus est articulus fidei sue. Tota igitur hec propositio iuncta, Messias nondum venit dum iudei sunt in captivitate, non est articulus sue fidei.

Consequencia satis est notoria. Maior superius fuit probata, ut dictum est, et dictus rabinus eam non negaret. Minor potest probari, quia ipse non potest dare articulum tale quid dicentem ; ymo fuit per rabi Astruch [E + supra] concessum et allegatum.

Rabi enim Moyses de Egipto inquit redemptionem Messie, et omnes actus ipsius sunt valde occulta, etc. Certum ergo est articulos fidei non poni nec esse de rebus occultis et incertis, ymo de rebus certis et claris, taliter quod illam fidem servantem in nullo dubitent.

Item, omnes articuli fidei debent esse communes omnibus hiis qui fidem illam servant, et quicumque dicens talium articulorum aliquem non esse articulum fidei, per maiores et probos homines illius secte hereticus non immerito est censendus. Et cum sit certum rabi Astruch in suo scripto asseruisse, quod si aliquis crederet Messiam venisse, et tamen quod iudei adhuc essent in captivitate propter eorum peccata, non ideo teneret opinionem hereticam nec hereticus censeretur. Et nedum hoc simpliciter dixit, verum etiam in virtute iuramenti ipse et ceteri rabini concorditer hoc idem sunt confessi. Cum igitur dictum rabi Astruch ceteri iudei non 'reputarent' [E. reputarunt] hereticum, nec illud revocare 'curarent' [E. curarunt], non obstante quod ab eo ore proprio audierunt, ideo adhuc perseveret in eodem, quod a pluribus suis maioribus iudeis audiverit quod Messiam nondum venisse non esset articulus sue fidei et adhuc nomine totius congregationis iudeorum hoc idem oblatum fuerit in scriptis, ut supra patet laciis per processum, manifeste igitur patet dictam conclusionem esse falsam; nam si articulus esset sue fidei, non variarentur super eum, nec, ut dictum est, diversas super eo servarent opiniones; et dictus rabi Astruch et ceteri rabini merito heretici publici essent censendi, sicut contra articulum sue fidei venientes. Et cum nichil eis de hoc actum sit, sequitur dictam conclusionem fore falsam, nedum quo ad nostram, verum etiam iudeorum intencionem.

Veniens igitur ad tertium, volo ostendere qualiter dicta conclusio secundum sanum et verum intellectum intellecta, uno de duobus modis poterit esse vera: Primo intelligendo captivitatem iudaycam pro ea sub qua populus iudeorum antiquitus fuerat positus, quod vere est quod hi, qui antequam Messias veniret Deum confitebantur, scilicet, potestas dyabolica sub qua omnes tam boni quam sancti captivi ducebantur, qui proprie dicuntur iudei, qui dum tali captivitati erant subiecti semper Messie adventum expectabant, ut supra per me in hoc processu per optimas et proprias auctoritates pluries et diffuse probatum est.

Et iuxta hunc intellectum dico iudeos in captivitate non esse, ymo ab ea per adventum Christi Iesu fuisse redemptos, ut fuit prophetatum per Isaiam in fine sue propheticie, ubi dixit quod de

hiis qui de populo Israel salvarentur, mitteret Deus in Italiam et Affricam et in omnes gentes, et quod annuntiarent gentibus gloriam Dei (1), et quod ex hiis qui ad Deum converterentur faceret sacerdotes et levitas, ut mundum ei offerrent sacrificium (2). Et in fine concludit quod exirent illi qui redempti fuissent de populo Israel et de aliis gentibus, et viderent corpora prevaricantium in Deum, vermibus quorum nunquam moreretur, et ignis eorum nunquam extingueretur, etc. (3). Hii igitur, quos dictus rabi Ferrer iudeos vocat; dicens: hii qui in captivitate manent non sunt iudei, sed reliquie illorum iniquorum phariseorum, qui in Deum prevaricati sunt. Et ratio est hec: quoniam verum est prophetam prenunciasset Messiam recollecturum populum israeliticum et de Iuda, et eos redimere a captivitate, et eos populare in Ierusalem, et super eos regnare in eternum. Verumtamen hoc nomen Israel et hoc nomen Iuda, a quo hoc nomen iudeus derivatur, declaratur in Talmut per antiquos doctores legis quod dicitur pro illa gente que venirent ad fidem et doctrinam Messie, sive essent hebrayci, sive gentiles, ut supra per optimos et veros textus et auctoritates laicius patuit in processu. In tantum quod nos qui sumus in credencia et doctrina veri Messie sumus Israel veri iudei; tamen vocantur christiani, quod nomen a Christo derivatur, id est Messia, ut propheta Isaie compleretur dicentis:

«Et servos suos vocabit nomine alio» (4).

Et dicunt corpora, quia sicut corpus absque anima nichil sentit, sic ipsi nullum intellectum tenent ut videant veritatem Scripturarum, quas quotidie legunt atque tractant, per quas clarissime possent veritatem videre adventus Messie; sicut enim corpus sine anima aliquid cum manu tangens nichil sentit, sic ipsi legunt Scripturas, et non intelligunt. Et ideo de eis dixit Isaias, cap. 6:

«Exceca cor populi huius» (5).

Item capitulo 29:

«Peribit enim sapientia a sapientibus eius, et intellectus prudentium eius abscondetur» (6).

Hic diligenter considerate qualiter ostendit vobis quod perderetur scientia vestra, intellectus atque prudentia, et quod tangeretis sensibilia, et non sentiretis; et iste est modus corporis

(1) Is. 66,19.

(2) Is. 66,21.

(3) Is. 66,24.

(4) Is. 65,15.

(5) Is. 6,10.

(6) Is. 29,14.

sine anima, et ideo idem met propheta vocavit vos isto nomine *cadaver*, quod est corpus sine anima. Unde certum est quod, licet tales sint, sicut isti, in captivitate, non sequitur Messiam non venisse, ymo bene sequitur oppositum: quoniam captivitas eorum debebat esse, et est, propter prevaricacionem quam in Deum exercuerunt, scilicet, in Christum Iesum, qui est Deus et homo, ut per dictam propheciam satis clare patet. Et sic ex eo quod sunt ipsi iudei in captivitate, optime sequitur Messiam venisse, et quod propter prevaricacionem quam in eum fecerunt, adhuc nunc sunt in captivitate.

Adhuc quidem dicta conclusio aliter potest intelligi quod esset verissima, intelligendo eam quemadmodum dictus rabinus intelligit eam, de captivitate scilicet in qua sunt de presenti hii qui nunc iudei nuncupantur, et non sunt, sed sunt Sinagoga Sathane, ut inquit beatus Iohannes in Apocalipsi (7).

Et intelligendo dictam conclusionem de huiusmodi captivitate, dico sic: Quod qui dicitur iudeus sub hac manens captivitate, et sine rege, debet expectare Messiam. Verumtamen si venerit Messias et liberaverit eum de captivitate, non debet eum amplius expectare, sed eum recipere. Et sic, illud quod iudeo dico est quod Messias venit, et quod est paratus eum a captivitate liberare, si ipse iudeus vult eum recipere, ut debet. Et hoc sibi ad oculum ostendo quod eo quod credit Messiam venisse, in continenti liberatur a captivitate, et tenet regem, et sacerdotem, et templum, amplius et perfectius quam tenebant in terra promissionis. Ergo sicut si Messias, quem ipsi credunt expectare, hodie veniret, et mitteret nuncios suos per naciones universas, nunciare hiis qui iudei solo nomine dicuntur, quod omnes ad terram promissionis congregarentur, et data ad hoc eis licencia per principes temporales, certum esset apud iudeos illum qui diceret: «nolo credere venisse Messiam, quia articulus est fidei mee non venisse Messiam dum sum in captivitate», insensatum et amentem non immerito reputari sicut est de illo cui dicitur: noveris Messiam venisse, et quod est paratus ad liberandum te a captivitate, solum quod credas adventum et doctrinam eius. Vis autem hoc videre sic esse? Attende quoniam principes sub quorum dominio es tu in captivitate positus, sunt parati ad restituendum te in tuam libertatem, et ad dandum tibi de suo proprio dona graciososa; et ipse dicit: «nolo credere Messiam venisse, cum sit articulus fidei mee nondum venisse Messiam dum sum in captivitate». Sed magis quam fatuus, et in quo ratio nulla regnat, non

sine causa eciam debet reputari. Nam si quevis alia ratio per eundem allegaretur, super qua non exaudiretur, aut illa non admitteretur, nec ei aliquo modo satisfaceret, colorem aliquem sua pertinacia sine dubio haberet; sed quia ipse dicit quod propter suum esse in captivitate non credit Messiam venisse, ostendendo sibi quod propter solum credere Messiam venisse liberatur a captivitate, quis enim ratione utens super hoc ipsum esse devictum, et ad credendum Messiam venisse, et in eodem instanti a captivitate liberum non iudicabit?



## SESION LXI

SUBSEQUENTER DIE LUNE, DECIMA NONA mensis marcii proxime dicti, magistro Ieronimo, rabi Ferrer, ceteris rabinis ac iudeis in loco consueto congregatis, idem magister Ieronimus proposuit dicens :

In dieta proxime lapsa, tam secundum verba eiusdem, quam secundum sensum in quo dictus rabi Ferrer eam ponens, qualiter prefata conclusio falsa fuerit, et qualiter secundum sensum verum poterit esse vera, et quod ex ea sine dubio probetur totum oppositum illius ad quod prefatus rabinus eam induxerit, diffuse ostenso, nunc enim in presenti dieta omnibus rationibus, argumentis, ac conclusionibus prefati rabini particulariter cupiens respondere, et quia in scriptura prefati rabini de tribus vocabulis, scilicet, fides, Scriptura, et articulus, sepissime tractatur, et propter cuiuslibet eorum significacionem ignorare prefatus rabinus incidens in quam plurimos errores de facili erat, ideo materia huius diete erit, Domino favente, tripartita :

Primo, enim, duas distinciones huiusmodi vocabuli articulus, qui est basis vel fundamentum presentis altercacionis, declaracionem faciam ac premittam.

Secundo, tres conclusiones, cum earum probacionibus, que erunt fundamentum sequencium responsionum, debite ponam.

Tercio, responsiones particulares cuilibet rationum prefati rabini suo ordine subiungam.

Quo quidem peracto, perfidiam cavillosam, quam prefatus rabinus contra talmudicas auctoritates per me allegatas facit, finaliter ostendam.

Prima dinstincio est hec, quod hoc vocabulum fides apud theologos sumitur tribus modis : Primo, pro virtute et habitu

qui est in homine, cum qua quidem virtute quis credit. Secundo, fides dicitur pro actu resultante ex illo habitu et virtute, qui est credere. Tercio, fides sumitur pro obiecto credencie, quod est scripturarum per Deum revelatarum.

Omissis tamen primis duabus speciebus, quia non faciunt ad nostrum propositum, et sumendo fidem tercio modo, scilicet, pro obiecto, ille tercius modus adhuc potest in duas partes subdividi :

Uno proprie et stricte. Et hoc modo fides nichil aliud est quam revelacio prophetis et sanctis per Deum facta, et nobis per eos tradita, cui assentimus et vere credimus propter donatorem et actorizatorem ipsius, sumusque certi eam non posse mentiri. Et hoc modo fides nullam patitur falsitatem.

Alio vero modo fides sumitur improprie et large. Scilicet, pro dictis non revellatis, sed per tradicionem acquisitis, et per aliquos doctores, qui veritatem se asserunt dicere, auctorizatis. Tamen, quia sunt homines, proprio ingenio et non divina revelacione hoc habentes, possunt deficere, et aliquando contra veritatem dicere, sicut inquit psalmista :

«Omnis homo mendax» (1).

Tamen hiis data est quamplurimum fides, et de hac loquitur Philosophus in primo Posteriorum, ubi inquit : oportet enim adiscentem credere. Hoc est : convenit discipulo credere magistro.

Hii duo modi fidei in qualibet istarum duarum auctoritatum, super quibus altercamur pro presenti, scilicet, in illa de sex mille annis, ac in illa de 85 iubileis, possunt optime notari. Nam in qualibet earum reperitur una pars que est ex parte prima, scilicet, fidei que habetur ex revelacione divina, per Heliam dicta ; et subsequenter alia pars, que est declaracio doctoris, sicut est in illa de sex mille annis, scilicet, quod ulterius dicitur : «et propter peccata nostra, etc.», et illa de 85 iubileis oppinione Rabasse.

Item dico quod hoc nomen Scriptura, quantum facit ad nostrum propositum, potest sumi dupliciter :

1° pro Scriptura per Deum revelata. Et hoc modo sumendo Scripturam, fides et Scriptura idem sunt, iuxta primum modum tercie partis distincionis fidei, ut supra diximus. De hac enim Scriptura dictum est Deuteronomii, cap. 4° :

«Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo» (2).

2° modo sumitur Scriptura, iuxta nostrum presens proposi-

(1) Salm. 115,11.

(2) Deut. 4,2.

tum, pro doctrina theologali. Et hoc modo sumpta Scriptura est medium per quod probatur et concluditur veritas fidei, scilicet, concludere et comprehendere sustanciam et medulam fidei in certis sentenciis et conclusionibus. Et ille vocantur articuli.

Item dico quod articulus est diccio latina, dirivata a dictione greca, que dicitur *arthron* quod idem est quod licita unio de distinctis rebus in unum. Et hoc modo sumitur apud theologos pro unione rerum revelatarum, et in Scriptura declaratarum, per eos in unum reductarum. Que quidem unio approbata, vocatur articulus (3).

Duabus siquidem distincionibus prelibatis positis, et dicti vocabuli «*articulus*» declaracione sic facta, tres pono conclusiones :

Prima est quod Scriptura divina, iuxta primum modum sumpta, non submittitur articulis, ymo se habet ad eos tamquam principium suis conclusionibus.

Hec quidem conclusio probatur eo quod articuli oriuntur et concluduntur a Scriptura revelata. Ergo Scriptura revelata se habet sicut principium, et articuli velut conclusio.

Secunda conclusio, isti quasi correlativa : Si Talmut est lex oris, sicut iudeus inquit, non submittitur articulo quem ponit dictus rabinus, scilicet, expectare Messiam dum fuerit in captivitate, et sine rege, etc.

Probo dictam conclusionem condicionalem sic : Postquam Talmut, secundum eos, est lex oris, non est minoris condicionis quam revelata Scriptura. Revelata autem Scriptura non submittitur articulo, ut dictum est. Ergo Talmut non submittitur articulo.

Consequencia probatur per quamdam regulam Philosophi dicentis : Si illud quod magis videtur inesse non inest, nec id quod minus est. In hebreo regula ista vocatur *Qalvahomer*. Maior probatur per adversarium dicentem quod lex oris est maioris auctoritatis, et maiori pena punitur eam infringens, quam Scriptura. Minor probata est in [E. + prima] nostra conclusione. Sequitur ergo conclusio vera, que est, scilicet, quod Talmud non submittitur articulo per dictum rabinum posito.

Tercia conclusio, isti correlativa, est quod articulus adventus Messie non est fundamentum nec principium Scripture revelate nec legis oris, ymo est conclusio ex eis orta et extracta. Et ad huiusmodi conclusionis probacionem est notandum quod articuli fidei possunt referri ad duos modos scripturarum : Una est scilicet Scriptura revelata, et sic referendo, articuli sunt res con-

(3) Cf. S. Thomas, 2.<sup>a</sup> 2ae, q. 1.<sup>a</sup>, art. 6.<sup>o</sup>

cluse et extracte a Scriptura revelata, hoc modo refferendo eos ad eam, tali respectu quem habent conclusiones verissime geometrie cum primis intellectivis; et sicut prime intellective sunt principia absoluta omnium que sunt in geometria, sic Scriptura revelata est fundamentum et absolutum principium articulorum et omnium contentorum in lege. Sed referendo dictos articulos scripturis particularibus et theologalibus, per doctores factis, se habent scripturis sicut principia super que doctores prediciti sua dicta fundant. Unde sequitur quod articuli sunt principia respectu dictarum scripturarum; sed non principia absoluta, quoniam extrahuntur et oriuntur a Scriptura divina, que est principium absolute.

Recipiendo autem articulos iuxta primum respectum, possunt probari per Scripturam revelatam a qua extrahuntur et oriuntur. Et sic fecit vester rabi Moyses in invencione facta de articulis; nam omnes extrahit et fundat de et super textus Scripturarum revelatarum tam Bible quam Talmudis. Recipiendo tamen articulos iuxta secundum respectum, non possunt probari, quoniam nulla sciencia sua probat principia.

Et causa quare fuit oportunum extrahere articulos de Scriptura revelata ad modum sententiarum et conclusionum sic Beatus Thomas inquit in Secunda Secunde Questio 1<sup>a</sup>, articulo 9:

«Hec veritas fidei continetur in Sancta Scriptura difuse ac diversimode in aliquibus locis obscure; taliter quod ad veritatem eliciendam ex hac Scriptura requiritur longum studium, et exercitium magnum, ad quod omnes singulares fidei, qui indigent noticia illius veritatis, non possent attingere. Ideo fuit expediens et necessarium recolligere summarie certas sententias dicte Scripture revelate, ut omnes singulares dicte fidei scirent illud quod eis esset expediens et necessarium ad credendum» (4).

Verbi gracia, in fide catholica, et in quacumque alia credencia, sunt quamplures, quorum nonnulli propter ebetudinem, nonnulli propter negociorum occupaciones, est eis impossibile scire et intelligere omnes veritates in Scriptura Sacra contentas, non obstante quod ad eas credendum obligentur, saltem implicite. 'Ut et huc' [E. et ut huic] de remedio provideretur opportuno, sancti Patres antiqui providentes, repilogarunt dictas veritates sacre Scripture in sentenciis brevibus et veris conclusionibus, quibus per Ecclesiam confirmatis, et actorizatis, appellantur articuli, qui sunt communes omnibus, et omnes singulares fideles possunt eos optime scire, et debent eos credere.

(4) Cf. S. Thom. 2.<sup>a</sup> 2ae, q. 1.<sup>a</sup>, art. 9, ad lura

Ecce igitur qualiter articuli 'fidei' [E. '—'] Scripture revelate et qua ratione orti sunt et extracti.

Hoc facto, ad respondendum conclusionibus et argumentis prefati rabi Ferrer veniendo, non obstante quod evidenter possem et bene negare quinque conclusiones primas, propter aliquas improprietates et contradicciones in eis contentas, verumtamen causa brevitas, et quia non facit multum ad propositum, quia tota difficultas est in quinque ultimis, volo de presenti quod transeant.

Et primo, dico contra sextam conclusionem, ubi dicitur quod articuli sunt maioris extimacionis et valoris quam Scripture :

Respondeo quod si prefatus rabinus sumit Scripturam primo modo secunde mee distincionis, scilicet, pro Scriptura revelata, eius conclusio est falsa, ut probatum est in mea tercia conclusione. Sed sumendo scripturam secundo modo, dicit veritatem, sed nichil concludet sue intencionis. Nam Talmud secundum eos est prime nature scripture, non autem secunde, tamquam illud quod est lex oris et revelacio divina.

Ad septimam autem conclusionem, in qua dicitur quod articuli debent preservari et custodiri preeminencius plusquam scripture, respondeo ut superius; quod sumendo scripturam primo modo, eius conclusio est falsa; si autem secundo modo, est contra eius intencionem.

Ad octavam conclusionem, ubi dicitur quod si aliquod verbum obscurum reperiatur in Talmut, discrepando prima facie, et ut patet per eam ad literam, cum aliquo articulo fidei iudayce, non debet recedere iudeus a dicto articulo, etc.

Respondeo quod, postquam articulus est extractus a Scriptura revelata, ut in tercia conclusione mea est dictum, quod taliter debet concludi et ab illa specificari, quod concordet cum ea, ut conclusio debeat cum premissis concordare. Aliter, nisi concordaret, diceretur non bene elici, nec erat verus articulus. Et ex hoc sequitur quod auctoritates talmudice, postquam sut lex revelata, non debent vinculari, nec uniri cum articulo, in tantum quod debeant mutari et recedere ab eorum proprio sensu principali. Ymo articulus debet vinculari, et cum eis concordari. Et ideo articulus verus a dictis auctoritatibus elicitus, cum eis concordans est, scilicet, quod Messias iam venit.

Exemplum per eum inductum quod christianus non debet recedere a sua fide vigore alicuius verbi obscuri in Evangelio reperti, etc.

Respondeo quod articuli fidei christiane fuerunt eliciti et conclusi ab Evangelio et Sacra Scriptura, taliter quod cum ea con-

cordant et non discordant in aliquo. Et si forsán prima facie, ut ipse inquit, articulus discordaret cum Evangelio, quod nullatenus reperitur, debet cum eo concordari, tamquam conclusio cum premissis eiusdem, et non per oppositum ut ipse rabinus ponit. Alię tamen scripture super articulum fundate, si forsán prima facie sunt discordes cum eo, ille debent reduci et glosari usquequo cum eo concordent.

An nonam conclusionem ubi dicitur, quod iudeus intendit et asserit quod Talmut fabricatur super articulis, etc.

Respondeo esse falsam, ut supra laicius patet per meam secundam conclusionem. Nam si Talmut est lex oris, ut ipsi affirmant, et cum lex oris sit maioris auctoritatis quam lex Scripture, non fabricatur Talmut super articulos, ymo articuli sunt conclusiones ab eo elicite et [E. + a] Scriptura revelata.

Ad decimam vero conclusionem, ubi inquit iudeum habere pro articulo fidei expectare Messiam dum fuerit in captivitate, etc.

Respondeo ipsam manifeste esse falsam, per rationes in dieta proxime habita prefatas. Verum absque rationibus illis, adhuc potest oculariter patere falsitas dicte conclusionis, unam de novo talem formando rationem :

Si adventus Messie absolute, absque aliqua circumstantia corporali, non est articulus fidei hebrayce, multo minus est iste quem dictus rabinus ponit, cum circumstantia temporalı. Sed ille non est. Ergo.

Consequencia patet per regulam Philosophi dicentis quod a tota condicionali cum suo antecedenti ad suum consequens est bona consequencia, sicut est in proposito.

Maior probatur per regulam Philosophi superius habitam : si id quod magis videtur inesse non inest, etc.

Minor, scilicet, quod adventus Messie non sit absolute articulus fidei hebrayce, probatur : quia non reperitur quod aliquis ante rabi Moysem, qui paulo ante ducentos annos constat fuisse, talem, nisi ipse, poneret articulum ; reperitur post eum qui sibi opposuit, ut puta rabi Hazday, qui fuit rabi vel magister omnium vestrum, dicens manifeste in locis pluribus sui tractatus non esse de articulis legis iudayce, sed quod est unum de hiis que iudeus debet firmıter credere. Nam si esset articulus fidei iudayce, doctores in eo non variarent, et esset communis omnibus illius fidei. Unde patet clare non esse articulum ; multo minus est ergo ille quem dictus rabinus ponit, cum temporalibus circumstantiis.

Ommissa siquidem conclusione dictarum conclusionum prefati

rabini, convenit nunc ostendere falsitatem et confusionem suorum sex argumentorum per eum positorum.

Et in continenti ad primum, quod est de una condicionali ubi dicit quod si Talmut, vel pars eius, est lex iudayca, etc.

Respondeo quod sub hac forma positum, sibi nego; quoniam non est necessarium quod Talmut submittatur ad concordandum cum articulis iudaycis, ymo ipsi submittuntur ut cum eo concordent, ut supra dictum est.

Ad secundum argumentum, ubi dicitur: *Quecumque auctoritas talmudica concordat etc.* Nego minorem, cuius falsitas latissime et sufficienter est probata.

Ad tertium argumentum sive sillogismum, ubi inquit quod quolibet Scriptura fabricata, etc.

Respondeo: Concedo maiorem, que est in tertia conclusione mea. Minor autem, scilicet, quod Talmut fundetur super articulos iudaycos, est sine dubio falsa.

Ad quartum autem argumentum, ubi dicitur: *Scriptura Talmut nuncupata vinculatur, etc.* Respondeo quod *tam maior quam minor*, utraque est falsa, per rationes iam superius habitas.

Ad quintum vero argumentum, ubi dicitur: *Quelibet Scriptura actorizata, etc.*

Respondeo: Dato quod maiori, ut prolixitas evitetur, aliquantulum cedam, minor tamen omnino est falsa, quia Talmut non est verum quod sit actorizatum per Rabina et Rabasse, sed actorizatur apud iudeum, quia credit iudeus quod sit lex oris data Moysi per Deum. Fateor tamen esse per dictos rabinos compilatum, non tamen quod ab eis reciperet auctoritatem.

Ad sextum vero argumentum, ubi inquit: *Glosa sive declaratio cuiuslibet verbi, etc.*

Maiori aliquantulum cedo. Sed ad probandum minoris falsitatem, ubi dicitur: *Sed Scriptura Talmut nuncupata, etc.*, convenit auctoritates talmudicas aliquantulum fore distribuendas. *Que quidem sunt duplices*: Una condicio earum, est de auctoritatibus per prophetas vel doctores antiquos, qui fuerunt ante adventum Messie, in principio templi secundi, dictis seu positis, quos viri congregacionis antique Talmut apellant.

Alia quidem est condicio eorum qui ab hiis qui post adventum Messie, et post destruccionem templi, qui resultabant et fuerunt de secta mala phariseorum.

Recipiendo igitur auctoritates per primos dictas vel positas, dico quod premissa minor est falsa; nam auctoritates que sunt nomine illorum dicunt totum oppositum, sicut est illa de sex mille

annis, et illa de 85 iubilæis, et quam plurime alie. Recipiendõ auctoritates pro hiis quas dixerunt illi qui post adventum Messie venerunt, dico quod illis nulla est fides adhibenda, nam cogebantur illud dicere, sicut vos hodie, et iam ex verbis illorum nulla potest elici conclusio.

Vigore responsionum in dieta proxime preterita habitatum, et in ista, sequitur iudeum obligari ad dimittendum hoc quod vocat articulum fidei, scilicet, expectare Messiam, et recipere verum articulum, Messiam, scilicet, venisse, ut optime concluditur per Scripturas revelatas, et per veras auctoritates talmudicas.

Et ex hiis responsionibus optime sequitur meum argumentum in eius manere vigore, et responsionem quam dedit dictus rabi Ferrer nullius esse penitus roboris.

Solum quidem ad radicem ipsum confundendum, et scripturam dicti rabi reprobandum, restat unum tangere in quo, in fine eius scripture, taliter inquit : Propter quod assero et adhareo declarationi rabi Salomonis, etc.

Pateat igitur cunctis gentibus ad quot et quanta horum iudeorum cavillationes se extendant, et precipue huius rabini, oculos populorum obfuscare volentis, et libros falsificare, et eis imponere quod non dicunt nec ponunt, ut ratificet eius vanam glosam in qua dicit quod «duo mille anni Messie» non vult dicere quod Messias veniret, nisi quod erant dispositi et pertinentes ad quod veniret Messias, sed nondum venit ; addiciens quod rabi Salomon hoc modo declarat ; et nedum modo, verum etiam in prima scriptura, per eum et rabi Mathathias oblata, glosam rabi Salomonis superius falsificarunt, hoc idem quod 'nunc ipse' [E. ipse nunc] asserit, eidem opposites. Et per me iam patet superius fuisse responsum, qualiter rabi Salomon non dicebat sic, ymo totum eius oppositum.

Nunc vero, rabi Ferrer, tamquam is qui iam alia caret responsione, habuit redire ad reperfidandum super rebus falsis et irrationabilibus, iterum dicens rabi Salomon hoc dixisse, scilicet, quod elapsis duo mille annis legis, erat pertinens quod veniret Messias, tamen propter nostra peccata, etc.

Item, quia ad oculum publice ostendo et trado sibi librum Salomonis, requirens dictum rabi Ferrer ut legatur per os iudeorum. Tunc enim manifeste videbitur quod rabi Salomon nichil de illo dicit ; ymo inquit totum oppositum de hiis que dictus rabinus allegavit. Et ad maiorem satisfactionem, paulo post, in eodem libro de Havodazara, dicitur sic :

«Legimus in Misna : Post quatuor mille ducentos triginta



unum annos a creacione mundi, si dixerit tibi aliquis: Accipe agrum qui valet mille solidi pro uno solido, non recipias».

Super qua auctoritate declarat rabi Salomon. Ecce tamen librum suum ad literam ubi inquit:

«Quare dixit doctor: Non recipias? Quia tunc est terminus redemptionis, et congregabimini ad terram sanctam, et perdetur ille solidus.»

Attendite igitur, rogito, et videte quid magnum ad confusionem falsarum glosarum quas isti rabini facere conantur, et qualiter per hanc et per glosam quam rabi Salomon super eadem facit, non immerito confundantur.

In textu namque huiuscemodi auctoritatis reperietis quod questio est inter Misna met et rabi Hanina, quod unus dat istam sententiam in tempore quo complerentur quatuor mille ducenti et viginti et octo anni, alter vero quatuor mille ducentis triginta et uno, in tantum quod discordant inter ipsos de tribus annis.

Et dicit rabi Salomon quod secundum intencionem de Misna, captivitas duraret tribus annis amplius quam computaret rabi Hanina, in tantum quod secundum intellectum ipsius met Misna, terminus debebat perfici infra quadringentos tres annos post destructionem, et secundum computationem rabi Hanine, solum post quadringentos annos.

Nulli dubium quod, postquam doctores isti altercabantur super tam modico tempore, scilicet trium annorum, super re certa loquebantur, que futura erat circa tempus illud.

Et ecce dictum qualiter ad veritatem exeunt testimonia cuiuslibet circumstancie ut veritas elucescat, falsitas autem per oppositum.

Nam reperietis quod actor Misne, et dictus rabi Hanina magno tempore antequam Talmut esset compilatum, fuisse sine dubio; et iste sentencie posite super tempus adventus Messie de directo concordant cum fine iubilei dictorum 85 iubileorum, nisi solum quia unus, dicit futurum fuisse in terminis preteritis viginti octo annorum ultimi iubilei, alio quidem dicente triginta uno annis elapsis. Et quilibet istorum terminorum est in ultima medietate dicti iubilei, nam uterque confirmat verba auctoritatis, quia dicitur quia rabi Iehuda interrogavit Heliam an veniret Messias in principio ultimi iubilei aut in fine; et ipse respondit quod in fine.

Post hoc miserrimus Rabasse, compilans Talmut, erat iam in fine ultimi iubilei, et reperit quod nullum signum inveniebat de suo Messia. Et ideo, ut iudei non perderent cor suo tempore,

cum viderent quod tempora signata preteribant, eos animavit et deceptorie confortavit, dicens revelacionem Helie velle dicere : «Usque nunc non expectetis eum, etc.»

Et videte quantum dictus Rabasse variabat, et rabi Ferrer qui ei credebat. Nam ex quo vidit quod tempus esset elapsum, et eius Messias non veniret, dixit : «usque nunc non expectes eum». Ipse quidem erat ille vaticinator de Marchena, qui vulgo dicitur, vaticinabatur rem cum eam oculariter videbat.

Hec et alia peiora sunt que in verbis [E. + dicti] Rabasse fuerunt. Et primo, 'quia' [E. quoniam] non est sicut declarat iudeus «expectare», quoniam vocabulum *aztequi izaqui* est caldaycum, quod idem est quod videre aut non videre. Et dicebat Rabasse : «usque modo non videbis eum, sed deinceps eum videbis», quia credebat quod, dato quod usque tunc non venisset, quod ex tunc non debet moram facere iuxta revelacionem Helie.

Item quia si hoc vocabulum *letaztequi*, idem esset quod «usque nunc non expectes eum», ut isti rabini declarant, veniret Rabasse contra prophetas qui expectabant Messiam, et contra preceptum Dei dicentis : «Si moram fecerit, expecta eum» (5) ; et contra omnes doctores antiquos de Misna, ut erant rabi Aquiba et rabi Iosua, filius Levi, et nonnullos alios qui toti die ac quolibet instanti ac hora Messiam expectabant, quamvis tenerent legem. In tantum quod rabi Aquiba reputabat Messiam quemdam nomine Barquoziba, qui tunc erat rex in Israel ; et in fine conquistavit et occidit eum Adrianus, et remansit rabi Aquiba absque Messia.

Totum hoc et huic simile, veniens contra perfidiam iudaycam, satis per me dictum est superius, in responsione quam feci dictis rabi Ferrer et rabi Mathatia, ad quam prefatus rabi Ferrer nichil respondit. Unde oportet eum articulariter respondere ad omnia in huiusmodi scriptura contenta, et non faciat quemadmodum in prima. Si vero nesciverit ad ea respondere, tamquam is cuius optime et sufficientissime, servato debito ordine, sunt revocate [E. + et] confuse sue oppiniones, et cui manifestissime nostra principalis conclusio nostri principalis propositi, que, scilicet, est Messiam iam venisse, publice est probata. Idcirco se convictum, prostratum, ac sibi profunde conclusum, publice non immerito debet confiteri.

---

(5) Habac. 2,3.

## SESION LXII

DIE IOVIS, decima nona aprilis, anno millesimo quadringentesimo quarto decimo, dictus magister Ieronimus, ex precepto domini nostri Pape, in conspectu eiusdem Sanctitatis, sue universalis Curie et cetu iudeorum rabinorum inibi congregatorum, totum repeciit processum prelibatum summarie, sic in-  
quiens :

Sanctissime ac beatissime Pater, Sanctitas vestra, attendens errorem qui est causa perdicionis iudeorum et animarum suarum, quarum reparacionem et salvacionem ex parte Dei omnipotentis vestre Sanctitati non est dubium fuisse commissam, idcirco excellens Sanctitas vestra ordinavit quod mense februarii anni proxime elapsi, rabini maiores huius regni coram Sanctitate vestra eiusque sacre Curie congregarentur, ut in veritate certarum conclusionum in quibus ipsi nomine iudei nullam habeant noticiam veridicam, ymo valde errant in eisdem, presertim in adventu veri Messie qui est unus de erroribus suis maior, a quo omnes ceteri dependent errores ; et sub precepto michi iniunxit vestra Sanctitas, ut veriolem reciperem ac verissimam conclusionem, que est, scilicet, Messiam venisse.

Et quamvis ipsa sit valde notoria ac manifesta, verumtamen quia per prefatos iudeos negabatur, fuit michi iniunctum ut eam probarem, et verificarem, nedum per textus prophetarum, verum etiam per auctoritates et suorum rabinorum maiorum declaraciones, ac per translaciones caldaycas. Quod quidem septima die mensis februarii fuit inceptum. Quo autem die februarii, vestra Sanctitas edocuit modum et formam informacionis prefate, in qua materia debebamus incipere, eisdem declaravit atque monstravit,

assignantes eidem ut die sequenti, rationibus per me proponendis venient parati respondere.

Sequenti vero die proposui dictam conclusionem fore veram, scilicet, asserere Messiam venisse. Quam quidem conclusionem, per quamplures auctenticas auctoritates, contra quas nisi sunt respondere, ego replicui contra eosdem, ostendens qualiter eorum responsiones essent frivole atque nulle.

Super quo hinc inde fuit multipliciter altercatum per quatuor dietas sequentes, Mercurii scilicet, Iovis, Veneris et Sabbati, usquequo 'prefata dies sabbati' [E. prefato die sabbati quo] computabatur undecima dicti mensis februarii, prefati rabini verum esse Messiam natum tempore per me allegato publice sunt confessi, sed quod nondum apparuerat, et quod Rome erat inclusus aut in paradiso.

Deinde rationibus ac textibus eosdem coegi concedere, quod non solum erat natus, verum etiam venerat et apparuerat.

Quo viso, penituit eos hoc concessisse: et quod prius concesserant, impudenter negaverunt, suam negacionem in nulla ratione fundantes. Adeo quod Sanctitas vestra, circumspiciens variationem eorundem, et quod id quod uno die concedebant, alio certe negabant, non immerito duxit ordinandum, precipiens quod rationes cuiuslibet partis in scriptis manifeste et publice offerrentur taliter quod nullo modo negarentur; et quidquid hinc inde doceretur, in processu auctentico poneretur.

Idcirco dictus processus fuit inceptus die lune, vigesima septima dicti mensis februarii. In qua quidem dieta, dictam conclusionem affirmativam, scilicet, Messiam venisse, palam proposui, et ad illam probandum dictis iudeis quamdam auctoritatem allegavi, que habetur in Talmud in duobus locis, scilicet: «legitur in studio Helie, etc.».

Prefati vero iudei respondentes dixerunt, quod dictam conclusionem negabant, et quod eius oppositum, scilicet, Messiam nondum venisse, tamquam verum asserebant, et hoc quia pro tempore adventus Messie quamplura per prophetas prophetata erant, que adhuc complenda, queque actenus non fuerant completa. Super qua quidem auctoritate per me allegata, nonnullas glosas inibi noviter contexerunt, et etiam allegarunt quod non tenebantur ei dare fidem aliquam, nec habebatur auctentica.

Contra quam quidem glosam et allegacionem per 'eum' [E. eos] factam, fuit per me satis sufficienter replicatum, nedum semel, sed pluries ac diversimode.

Et super hoc plures ac diverse allegaciones hinc inde concurrerunt; in tantum quod die mercurii, decima quinta marcii

computata, iudeus videns se in omnibus allegacionibus quas fecerat esse convictum, et quod omnes eidem fuerant sufficientissime ac legitime revocate, quamdam obtulit cedulam continentem, inter cetera, similia verba, scilicet :

Et non obstante quod habita sit longissima deliberacio super dicta auctoritate et argumentis et replicacionibus per dictum magistrum Ieronimum factis, iudeus inquit ad presens amplius vel ultra se nescire quid dicat.

In eadem vero dieta dominus noster Papa, ex mera sui benignitate iudeos interrogante, an super argumentis et replicacionibus per me factis circa prefatam auctoritatem ad deliberandum maiori tempore indigerent vel vellent, cum ipse esset paratus tempus maius, si iudei vellent acceptare, benigniter concedere et graciose, iudeis vero respondentibus se super eodem nolle amplius deliberare.

Tunc viginti quinque de nobilioribus iudeorum, locorum Moncissoni et de Falcet, divina gracia super eosdem inspirante, ad fidem orthodoxam sunt conversi, uxoribus et eorum familiis minime computatis.

Hoc siquidem peracto, die Mercurii, vigesima secunda dicti mensis Marcii, ante conspectum Sanctitatis Domini Nostri Pape, eiusque curie universalis, iudeis congregatis, ut amplius informarentur, et in cordibus eorundem veritas prefate conclusionis medullitus radicaretur, sex talmudicas eis allegavi auctoritates, per quas quidem auctoritates, et per quacumque earundem, ad literam manifeste patebat Messiam venisse circa templi secundi destruccionem.

Et dictis iudeis respondentibus ut prius, scilicet, quod non tenebantur dare fidem dictis auctoritatibus et quod non erant intelligende literaliter, nisi per aliquos sensus morales, me tamen probante quod ipsi tenebantur dare fidem omnibus que in libro Talmut sunt scripta.

Deinde interrogati fuerunt, qualiter per aliquem doctorem aut rabinum ipsi ostenderent qualiter erat verum quod dicte auctoritates non nisi moraliter erant intelligende, aut qui essent sensus illi morales, quos haberent dicte auctoritates. Et ipsi amodo nunquam tales doctores aut glosas valuerunt reperire, sed quasdam contexerunt glosas capitosas que nullius erant sine dubio efficacie, que fuerunt eis per me iuste revocate.

Dicta sic altercacione certis durante dietis, usque diem veneris, ultimo die Marcii, in quo prefati iudei quamdam cedulam obtulerunt tenoris sequentis :

Et iudeus cum humiliori qua potest ac scit debita reverencia

beatissimi Patris sui que sacri Collegii, ac honorabilis magistri Ieronimi, plena habita deliberacione, et tanto tempore quanto iudeus peccit super repplicacione per dictum magistrum Ieronimum facta, respondet: Quod ipse adheret responsionibus elapsis super dictis auctoritatibus et haggadot per dictum magistrum Ieronimum factis et allegatis, dicens quod pro presenti non occurrit ei alia responsio propter eius insufficienciam et sciencie debilitatem. Et cum hoc finem imponit sue responsioni sicut is qui ad presens ulterius quid dicat ignorat.

Deinceps, prelibatis dietis sic elapsis, in quibus verificacio dicte conclusionis ostendebatur, dicendo quod non solum monstrabatur per dictas auctoritates venisse Messiam, verum eciam quod adhuc poterat probari per prophecias et auctoritates talmudicas tempore illo venisse, quo fuit adventus vel passio Salvatoris Nostri Iesu Christi, scilicet quadraginta annis ante destruccionem secundi templi Ierusalem.

Et ad hoc probandum duas prophecias allegavi: unam Isaie 9 cap., ubi inquit:

«Parvulus enim natus est nobis, etc.» (1). In qua subiungitur: «Mutiplicabitur eius imperium, etc.» (2).

Quam quidem propheciam adhuc talmudiste concendunt loqui de Messia. Et dicitur in Sanhedrin, cap. ultimo:

»Inquit Rabbi Tamhuma: Quare quecumque litera *men* que est in Scriptura in medio vocabuli est aperta, et hic est clausa, etc.» (3).

Ex qua quidem propheta cum dicta auctoritate talmudica conatus fui elicere tres conclusiones:

Primam, scilicet, Messiam esse Deum verum. Secundam, esse Filium Marie et Virginis. Terciam, venisse quadraginta annis ante templi destruccionem.

Secunda enim propheta per me allegata fuit revelacio quam Iacob fecit filiis suis, hora sui obitus, ut patet Gen. 49 cap., ubi dicitur: «Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, etc.» (4).

Ego nempe eis probavi tunc fuisse eis ablatum dominium et sceptrum de Iuda, et per consequens, tunc debuisse venisse Messiam.

Et dicti iudei sunt nisi contra quamcumque dictarum propheticarum contexere diversas responsiones et glosas allegare capito-

(1) Is. 9,6.

(2) Is. 9,7.

(3) Sanh. 94 a.

(4) Gen. 49,10.

sas propriis capitibus conditas, de quibus nullam dabant auctoritatem, nec aliquem docebant rabinum vel doctorem eas ponentem; que nullam etiam cum verbis doctorum habebant consonantiam, que adhuc fuerunt eis non immerito revocate cum veris rationibus ac solemnibus, ut supra patet lacius per processum.

Usquequo, videntes quod eorum glose nullius essent penitus efficacie, quamdam cedula, die veneris, quartadecima mensis Aprilis in medium protulerunt, cuius tenor talis est:

Et iudeus, cum humiliori qua potest et scit [E. + debita] reverentia beatissimi Patris, sui que Sacri Collegii, et cum honore honorabilis Magistri Ieronimi, respondet quod adheret responsioni facte super hiis que per magistrum Ieronimum fuerunt allegata, dicens quod pro presenti nichil aliud sibi occurrit, propter eius insufficienciam et sciencie debilitatem. Et cum hoc facit finem et punctum sue responsioni, sicuti is qui ad presens amplius ignorat.

Subsequenter, in eadem dieta, videns quod [E. + quamvis] omnia verba vestra et rationes essent sufficienter revocate, et annullate, in tantum [E. + quod] confitebamini nichil ulterius vos scire respondere; tamen, hoc non obstante, ad hoc cum essetis in vestra perfidia pertinaces in nollendo confiteri Mesiam venisse, tunc vobis allegavi propheciam et revelacionem quam angelus Gabriel fecit Danieli in Babilonia existenti, in oracione et ieiunio et fletu contemplanti, ubi inquit:

«Septuaginta ebdomades precise sunt super populum tuum, et super urbem tuam sanctam, ut consumetur prevaricacio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iusticia sempiterna, et impleatur visio et propheta, et ungetur sanctus sanctorum» (5).

Per dictam propheciam, et cum ceteris auctoritatibus et declarationibus talmudicis super ea factis, probavi qualiter tempus istud de septuaginta ebdomadibus continebant in summa quadringentos nonaginta annos; et qualiter ab illa inceperant, qua fuerat templi primi destructio, et finierant in destructione templi secundum. Et qualiter, illo durante tempore, omnia in propheta contenta compleri debebant; quorum unum erat quod adducetur iusticia sempiterna, et ungeretur sanctus sanctorum. Et allegavi vobis dicta rabinorum vestrorum talmudistarum, qualiter iste sanctus sanctorum erat intelligendus de Messia, filio David.

Item qualiter continetur in propheta quod tempore illo Christus erat moriturus, et incontinenti civitas Ierusalem et templum

---

(5) Dan. 9,24.

erant destruenda per manum certi principis tunc venturi, qui fuit Titus Romanus. Et qualiter sacrificia perderentur, et intraret populus captivitatem. Que omnia ad literam sicut iacent in propheta punctualiter fuerunt completa. Unde sequebatur necessario nostram conclusionem esse verissimam atque sufficienter probatam.

Vos iudei credebatis vos defendere per quamdam invencionem glose, quam invenistis; que profecto nec erat glosa, nec expositio prophete, sed erat quid confusivum et omnino destructivum verborum ipsius textus. Et nedum erat ridiculosum et stultissimum illud audire, quin ymo plus dicere. Que autem declaracio vel glosa per quinque rationes per me factas necessarias, fuit finaliter vobis non modicum enervata.

Et demum vos, tanquam convicti ex eodem, cedulam quamdam obtulistis decima septima mensis Aprilis, sub tenore sequenti:

Et iudeus cum humiliori qua potest et scit debita reverencia beatissimi Patris sui que sacri Collegii, et cum honore honorabilis magistri Ieronimi, plenaria habita deliberacione, et tanto tempore quanto iudeus peccit, super replicacione per dictum magistrum Ieronimum facta, respondet quod adheret responsioni superius habite, super dicta propheta facte, per dictum magistrum Ieronimum allegate, dicens quod non occurrit sibi alia responsio propter eius insufficienciam et science debilitatem. Et ideo facit punctum et finem sue responsioni, tanquam his qui ad presens amplius ignorat.

Hoc nempe peracto, videns ingentem duriciam et vestram perfidiam, licet auctoritatibus per me allegatis confessi estis vos nichil ultra scire respondere, hoc tamen non obstante, in iniquitate et perfidia vestra perseverantes pertinaciter, excusabimini dicentes: quod illud vos cogeat videre prophetas ex quibus ostendebatur certas operationes tempore Messie esse complendas que nondum fuerunt complete. Et ut ab hoc reduceremini errore, die Martis vigesima Madii proximo lapsi, vobis et me in presencia Domini Nostri Pape constitutis, unum feci colloquium, recipiens pro themate quod Ieremias scribit cap. 3, ubi inquit: «convertimini, filii revertentes, et sanabo animadversiones vestras» (6). In quo quidem colloquio tria feci:

Primo, ostendi regulam malam ac perfidiosam et magnarum cavillationum quas in hoc processu actenus servastis, et qualiter omnino extra regulam bonam et racionabilem doctrinam quam

(6) Ier. 3,22.



Dominus Noster Papa vobis dederat in principio huiusmodi informacionis.

Secundo, ostendi quod ille operationes quas attribuistis Messie, per modum quo vos intelligitis, minime debent intelligi, et quod textus propheticarum erant per vos male declarati et intellecti. Et ad hoc probandum quatuor formavi rationes, in pluribus textibus propheticarum et auctoritatum talmudicarum valde copiosas.

Tercio, volui vobis ostendere et declarare que essent propriiores et veriores operationes que in adventu veri Messie erant secuturæ iuxta verba prophetarum. Et ut vobis clarius ostenderetur que essent ille, ut extraherem vos ab errore quem tenebatis, feci vobis in eisdem duodecim quesita seu interrogaciones, ut laciis et sigillatim in prefata dieta superius continetur patuerunt.

Completo siquidem huiusmodi colloquio seu parlamento predicto, die que computabatur secunda Madii, cum Dominus Noster Papa recessisset de civitate Dertuse versus Paniscolam die Jovis proxime sequenti, quarta mensis prelibati, sicut iniunxerat in preceptis, ut coram reverendissimis Patribus et dominis Cardinalibus, qui in prefata civitate tunc remanserant, dictas continuavi informaciones usque quo ad finem processus deveniremus.

Durante vero tempore quo Sanctissimus Dominus Noster Papa Paniscole permaneret, vos ad quamcumque illarum predictarum duodecim interrogacionum per responsiones ac falsissimas et erroneas oppiniones respondistis; [E. + et] dietis suis in eo quod veritatis erat vos plenarie informavi, ex quacumque illarum quod dabam inferendo, et per textus probando et verissimas auctoritates ac validissimas, vobis tamen per subterfugia modos responsivos et deffensivos investigantibus, ad ea, me ex adverso replicante, et vestras, iustis rationibus, annullante cavillationes.

In quibus quidem replicacionibus et triplicacionibus, magna scriptura fuit hinc inde diffuse ordinata tempore quatuor mensium. Quo tempore mediante, quidquid potuistis cogitare et allegare, proculdubio allegastis, usque quo die mercurii, trigesima Augusti, quamdam in medium obtulistis cedulam tenore aliarum superius habitarum dicentes:

Et iudeus, cum humiliori qua potest etc. respondet quod adheret suis responsionibus per eum factis, etc.; et quod cum hoc, facit finem sue responsioni, sicut is qui intelligit se sufficienter respondisse, et ad presens aliud ignoret.

Verum tunc temporis, divina gracia inspirante, quidam 'notabilis' [E. nobilis] iudeus Cesaraugustanus, nomine Don 'Tra-

doç' [E. Todroç] Benvenist, medicus, simul cum septem aliis iudeis, suis propriis petitionibus baptizari requisierunt.

Post hec autem, Dominus Noster Papa, sub precepto iniunxit, quatenus totus processus, per modum quo processerat, per tres notarios curie eiusdem corrigeretur. Inter quos nominati fuerunt multum honorabiles Dominus Nicolaus Conill, Dominus Antonius de Campis, et Dominus Petrus Cormano, qui dictam fecerunt correccionem in presencia reverendi Magistri Sancii Porta, sacri Palatii Magistri, et mei Ieronimi, cum eo assitentis, et octo iudeis presentibus per iudeorum congregacione ad hoc deputatis. In quorum presencia fuit facta dicta correccio, et per dictos notarios in conspectu tocius curie romane publice testificata.

Item post aliquos dies, postquam idem Dominus Noster Papa rediit de Paniscola, die veneris, que computabatur vigesima secunda mensis decembris, placuit Sanctitati Domini Nostri Pape ut iudei venirent ante conspectum sue Sanctitatis.

Coram quibus ibidem proposui dicens, quod cum per plures et diversas auctoritates probaverim iudeis Messiam venisse, et ipsi, quantum in eis fuit, nisi sunt eorum oppinionem erroneam, quam pertinaciter tenebant, contra dictam meam conclusionem deffendere ac sustinere, et ego per quamplures optimas rationes revocaverim eorum falsas oppiniones, in tantum quod 'plures' [E. pluries] confessi sunt ultra quid dicerent se nescire; verumtamen, temptati siquidem temptacione dyabolica, et in habitu perfidie habituati, noluerunt confiteri sibi esse conclusum, nec voluerunt veritatem confiteri; idcirco Sanctissimum Dominum Nostrum Papam supplicui humiliter ac devote, quatenus interrogarentur, an vellent amplius quam dixerant dicere, et quod illud dicerent, alias quod Sanctitas sua eos quasi confessos et convictos censeret, ac per me eisdem sufficientissime esse conclusum, et processum mandaret claudi.

Tunc vero Sanctitas excellentissima Domini Nostri Pape interrogavit eos an vellent ulterius dicere, aut si aliam pro eis scirent deffensionem. Et omnes una voce clamarunt dicentes: Non; et quod nichil amplius dicere intendebant, nec sciebant quid ultra dicerent, exceptis rabi Ferrer et rabi Mathatias, qui dixerunt quod ipsi tenebant rationes novas pro se, pro quibus petebant tempus ad eas dicendum. Et tunc Dominus Noster Papa eis benigniter et libere concessit quantumcumque tempus pecierunt, et precepit eis copiam dari de todo superiori.

In eadem eciam instancia, surrexit rabi Astruch dicens quod eciam ipse tenebat plures novas rationes in sue oppinionis defensionem, suplicans Dominum Nostrum Papam quod sibi assigna-

ret dietam, in qua posset illas explicare et dicere. Et idem Dominus Noster Papa diem quem ipse optavit et peccit, assignavit eisdem.

Deinde, die veneris, vigesima sexta ianuarii, proximo lapsi, dicti rabi Ferrer et rabi Mathatias quamdam obtulerunt scripturam, in qua recedebant a materia principali, que erat probare scilicet Messiam iam venisse, dicentes quod mea intencio finalis in hac informacione erat probare Christum Iesum Messiam fuisse, et quod ex auctoritatibus per me superius allegatis totum oppositum concludebatur, quia non concordabant punctualiter tempore sui adventus.

Ulterius in sua eadem scriptura, christianum gaudere non posse de auctoritatibus supradictis contra iudeum, nec eum convenire, cum in eis nullam fidem prestabat cristianus. Ad quod probandum plura ac diversa contra me formarunt argumenta.

Preterea de hiis, quas ego allegaveram, certas glosarunt auctoritates per certas glosas.

Cui quidem scripture sufficienter respondi eis: primo, probando qualiter per auctoritates per me allegatas sufficientissime concluderetur venisse Messiam. Et ad aliud, quod paratus eram probare quod nulla earum veniebant contra tempus adventus Iesu Christi, cumque extra illam essemus conclusionem, et in materia illa, tractarem hoc ipsum.

Item probavi omnes eorum obiecciones, et glosas factas per eos, fore falsas.

Quo facto, interrogavi an ulterius vellent contra illud aliquid dicere et copiam habere. Rabi autem Mathatias dixit se ulterius nichil amplius se velle dicere, rabi Ferrer dicente se contra illud adhuc velle replicare; et data sibi copia, tenuit eam per longevum tempus.

Tunc divina gracia inspirante, iudei notabiliores qui essent in congregacione eorumdem, tam in sciencia, quam in genere, ut puta illi de genere militari, id est, de genere de la 'cavellaria' [E. cavalleria] vulgariter nuncupati, civitatis Cesaraguste, numero decem et septem personarum, in civitate Dertuse secunda die februarii, uxoribus ac domesticis eorumdem minime computatis, qui in quantitate magna fuerunt, sanctum baptisma receperunt.

Subsequenter dictus rabi Astruc unum quinternum presentavit die iovis, decima quinta dicti mensis februarii, in quo conatus est ponere quinque puncta, per que credebat verbis et per me factis probacionibus contradicere, et eisdem revocare, partim a propria materia evadendo, partim dicendo et asserendo eo quod

ignorat se defendere, nec ad hoc respondere, hoc faceret, non ideo conclusus remanebat; et partim de novo glosas condendo, et nonnullas figuras aliquibus de prefatis auctoritatibus per me allegatis faciendo.

Contra que quidem octo puncta et omnia in eis contenta, annullando ea, respondi sufficienter, usque quo quod secunda marcii proxime lapsa, dicto rabi in conspectu Sanctitatis Domini Nostri Pape quamdam presentavit cedula, cuius tenor talis est:

Et ego Astruc, cum humiliori, qua possum et scio debita reverencia beatissimi Patris, reverendissimorumque Patrum et dominorum Cardinalium, cum honore eciam honorabilis magistri Ieronimi, dico ad responsionem per magistrum Ieronimum factam, quod, non obstantibus rationibus universalibus in quarto puncto per me allegatis, que me excusant amplius respondere, et nunc venio adhuc magis excusandus necessario, eo quod semper sim, et multo plus nunc, insufficiens et impotens ad sustinendum disputationem, maxime in tam sancta platea sicut ista est. Propter quod finem facio responderi meo, sicut is qui reputat se ignorantem, et in sciencia debilem et insufficientem, non recedendo tamen a rationibus in processu per nostrorum respondentes generaliter dictis, et ab hiis que ultimo in mea cedula particulariter sunt dicte, nec ab aliqua illarum; ymo adhereo semper eisdem, et omnibus in eisdem contentis. Non tamen intendo ulterius respondere, sicut is qui amplius ignorat.

Contra quam quidem cedula in illa eademmet dieta, eidem triplicavi, probans sibi evidentissime qualiter sibi fuerit manifestissime conclusum, ac devictus fuerit; non obstante eciam quod ore suo proprio nollet confiteri, veritas tamen sic docebat.

Eadem vero dieta, gracia Dei in quodam iudeo, notabili medico civitatis Calataiubii, magne literature, magnique generis, nomine Todroç Abencabra, et qui una cum aliis pluribus usque ad numerum decem personarum, non computatis uxoribus ac familiaribus suis, qui in magna fuerunt quantitate, ad fidem orthodoxam sunt conversi.

Deinde, die veneris, decima sexta marcii, prefatus rabi Ferrer, coram Sanctitate Domini Nostri Pape, loco responsionis ad quamdam copiam quam pecierat super replicacione quam feceram contra eum et contra rabi Mathatiam, quamdam scripturam presentavit, in qua quidem scriptura in nichilo tangebatur ea que in dicta copia fuerant contenta quam receperant; nisus est tamen quoddam prolixum 'sermonem' [E. prologum] condere, et decem ponere conclusiones, et illorum sex argumentorum, et eorum fundamenti finis erat credere probare Messiam nondum venisse pro

presenti fore articulum credencie hebrayce. Item quod tota sciencia sui Talmut submitti debeat et inclinari dicto articulo, et per consequens, dato quod in dicto Talmut aliquere reperiantur auctoritates, per quas videatur Messiam venisse, ille non obligant iudeum, nec declinant articulum eius; nam dictus articulus fert prioritatem firmitudinis, cetera vero omnia in quantum sunt concordancia debent credi, et non amplius.

Te eadem vero dicta respondi contra dictam scripturam. In qua quidem mea responsione tria membra continebantur. In primo quidem eius, monstravi magnam variacionem quam dictus rabinus, et sui sodales, in huiusmodi disputacionis processu habuerunt, scilicet, in mutando se de materia in materiam, et de conclusionem in conclusionem saltitando, et nolle adherere firmiter presenti super qua altercamur conclusioni, usquequo veritas illius ad lucem perveniret.

Secundo quidem ostendi et declaravi duos modos fallaciarum quibus dictus rabinus in illa sua scriptura usus fuerat.

Tercio decem suis conclusionibus et suis sex argumentis per dictum rabinum factis, particulariter respondi, ostendens qualiter nullam habebant efficaciam, ymo totaliter falsa erant. Probans adhuc luce clarius, qualiter id quod ipse ponebat fore articulum non esse nec posset esse articulus.

Item probavi qualiter Talmud, nec erat nec est submissum hebraycis articulis, ymo articuli ab inde dirivantur et oriuntur, tanquam ab eo quod iudei reputant legem divinam et scripturam ipsi Moysi ab ore Dei revelatam, non obstante quod hoc sit falsissimum. Verumtamen apud eos sic est; et per consequens quicumque verba demonstrancia Messiam venisse in eo reperta, conveniunt et obligant iudeum ad hoc sic credendum.

Item in eadem mea responsione, nonnullas sibi glosas confundi aliquorum librorum hebraycorum, quibus ipse iuvabatur, et ostendi sibi ad literam totum illius oppositum esse quod allegabat, taliter quod cum hoc eius 'scripta' [E. scriptura] remansit [E. + ut] confusa et nulla, et per consequens conclusio mea, scilicet Messiam venisse, remansit optime probata.

Hoc siquidem a iudeis sic viso, plurima turba eorum cognoscens veritatem, ad fidem orthodoxam sunt conversi, et in continenti novem iudei de honorabilioribus locorum Montissoni et Tamarit baptismum publice receperunt.

Ulterius, immediate mensibus maii et iunii sequentibus, ibidem in Curia plures valentes 'Iuda' [E. iudei] de civitatibus

Calataiubii, Dertuse et Daroce ac villarum de Fraga et de 'Barbastro' [E. Balbastro], usque ad numerum centum viginti personarum, suis uxoribus et familiis minime computatis, quia in magna copia fuerunt.

In estate autem quam plures, qui non cessabant venire continue sigillatim et particulariter ad curiam ut baptizarentur, adeo quod circa finem mensis septembris, venientes ad curiam Domini Notri Pape quinque iudei notabiliores de aliama ville Alcanicii, gracia almi Spiritus Sancti illustrati, sanctum baptisma ibidem receperunt. Et in continenti post hoc, gracia divina cooperante, omnes generaliter ad fidem orthodoxam sunt conversi, qui fuere usque ad numerum quingentarum personarum et ultra.

[E. + Et] deinde aliama Ilerdensis et iudei ville de Tamarit et de Fraga et de Alcolega, et magna pars ville Barbastri, et maior pars ville Daroce, ultra numerum mille animarum.

## SESION LXIII

DIE AUTEM VENERIS, decimaquinta mensis iunii, anno Domini milesimo quadringentesimo quarto decimo, apud villam sancti Mathei, in presència Domini nostri Pape, eiusque tocius Curie, omnibus quidem iudeis congregacionis prefate ibidem unitis, predictus magister Ieronimus proposuit sub his verbis :

Sanctissime ac beatissime Pater : notorium est Sanctitati vestre, qualiter mensibus aprilis et maii proximo lapsis, in civitate Dertuse pro tunc curia manente, ante conspectum Sanctitatis vestre, diversis diebus fuerunt iudei vocati, qui nunc sunt hic presentes ; et tunc temporis facta per me mencione qualiter in tractatu illo seu libro apud iudeos Talmud vulgariter nuncupato, quem ipsi legem oris a Deo datam Moysi indubitanter appellant, magni ac innumerabiles errores et hereses, et abhominabiles ac nephande turpitudines, et intollerabilia opprobria et vituperia contra divinam excellenciam et fidem orthodoxam, infinita reperiantur.

Et quia ad illa particulariter recitanda, propter innumeram quantitatem eorumdem, tempus longissimum esset oportunum, idcirco ex mandato vestre Sanctitatis expresse michi 'mandato' [E. facto], solum nonnulla eorum in pauca quantitate recitando promulgarem, quoniam iuxta naturam eorum per me recitatorum, possunt intelligi omnes hereses remanentes.

Quo peracto iuxta ordinem precepti Sanctitatis vestre in diebus illis paucos recitare curavi errores.

Tunc vero iudei requisiti fuerunt an scirent aliquid quod obicere vellent super dictis heresibus et maleficiis, aut scirent aliquas rationes quibus possent suum Talmud legitime excusare. Ipsi vero nullam bonam vel malam, super dictis auctoritatibus, nec super aliqua earum, responsionem dedere.

Deinde fuerunt requisiti, an vellent copiam dictarum auctoritatum per me allegatarum, ut super responsione earumdem possent optime deliberare.

Tunc ipsi iudei deliberacionem obtinuerunt, ut reciperent copiam vel non, qui usque nunc deliberacionem quam super hoc habuerant, minime declararunt, nec si eius intencio sit dictam copiam recipere et eidem respondere, vel ne.

Icirco, ne tempus inaniter elabatur, et ut veritas evidenter elucescat, vos iudeos iterum requiro, an super hoc aliquid scitis respondere, aut aliquas teneatis pro vobis rationes ad vestri Talmud excusacionem.

Adhuc insuper ad vestram maiorem tolleranciam et vobis maiorem facultatem respondendi concedendam, concordavi non sumere, nec simul auctoritates plures allegare, solum autem paucas in numero recipere, ut vobis sit ad eas responsio facilius. Postquam enim ad has sufficienter responderitis, de quo sum certus impossibile esse, ad nonnullas alias allegandum, Deo duce, procedemus.

Primo quidem in Talmud reperiuntur plures auctoritates que veniunt contra excellenciam et perfeccionem divinam, de quibus ad presens duas vobis solum allegare curabo :

Una quidem est in libro vocato Bababatra, in capitulo qui incipit Hamoquer et hacefina, ubi sic incipit :

«Dicit Rabba filius de Barhana : Me ambulante per desertum, dixit michi unus mullatarius vel traginarius : Veni huc, et ostendam tibi montem Cinay. Ivi secum, et audivi ibidem quamdam vocem dicentem : Heu michi quoniam iuravi, et nunc, postquam iuravi, quis absolvet me? Deinde veni coram doctoribus et eisdem retuli. Qui dixerunt ei : Tu debueras dicere tunc : Ego te absolvo a iuramento. Et ille inquit : Dubitavi quod hoc diceret Deus propter iuramentum diluvii quod fecerat. Responderunt illi : Non, quoniam si dixisset proter istud, non dixisset heu me».

Similis autem auctoritas est in libro vocato Berahoth, cap. I', quod Deus bramatur et plorat quotidie dicens : «Heu michi, quoniam combusi domum meam, et destruxi templum meum, et captivavi filios meos inter gentes seculi» (1).

---

(1) Bērakot, 3 a. Cf. *Pugio*, 928. Según advierte Liebermann (*Sheq'ím*, ed. Jerusalén, 1939, pág. 70), Jerónimo fué posteriormente acusado de haber añadido la partícula *li* (= *michi*, del *heu michi*); tal partícula desapareció posteriormente, pero se halla en los mss. antiguos, según lo ha comprobado el mismo Liebermann, y por eso los judíos la concedieron en la Disputa.



Hec autem auctoritates clare reputant Deum impotentem ; quoniam dolet et plorat, quia tenet filios suos in captivitate, videtur quod non potest eos inde redimere et extrahere seu eruere ; et reputant Deum iniustum, cum dicitur quod protulit sententiam cum iuramento, super eo quod, si esset qui eum [E. + a iuramento] absolveret, merito veniret revocandum, videtur quod iuramentum non esset iustum. Insuper reputant eum modice auctoritatis, nam cupit et desiderat quod aliquis alius eum a iuramento absolvat. Certum enim est quod qui potest alium a iuramento absolvere in maiori debet auctoritate preminere quam qui absolvitur.

Secundum verbum, quod tangit 'quod' [E. '—'] contra perfectionem divinam, est quedam auctoritas que est in libro Hulin, cap. Hellu terefot, cuius tenor talis est :

«Rabi Symeon Benpazi arguebat dicendo : Scriptum est : «fecit Deus duo luminaria magna» (2). Et deinde dicitur : «luminare maius, et luminare minus» (3). Sed noveris quod fuerunt equalia creata sol et luna. Et veniens luna coram Deo dixit : Domine seculi, est iustum quod duobus regibus serviat una corona? Et respondit Deus : Vade, tu sis diminuta. Dixit ipsa : Domine seculi, quia dixi tibi rationabile, mandas me minui? Tunc videns quod eum rationabiliter convincebat, volens eam contentare fecit quod stelle eam sociarent et die nocteque haberent potestatem. Ipsa autem, non contenta, dixit : Domine seculi, lucerna ante solem posita, ad quid valet? Tunc ad eam contentandam, ait : Ego faciam quod Israel computabunt menses suos per te, et non per solem. Ipsa adhuc minime contenta, inquit : dixit Deus Moysi : postquam sic est, oportet ut in quolibet capite lune fiat sacrificium in templo, propter peccatum quod ego feci in diminuendo lunam» (4).

Et ego dico quod peccatum istud nondum sit remissum nec purgatum, quia adhuc credunt iudei quod, adveniente eorum Messia, reedificabitur templum, et quolibet capite lune hoc sacrificiummet fieri debet.

Ecce igitur manifeste qualiter Deum faciunt peccatorem.

Item quamplures reperiuntur auctoritates contra operationes Dei de directo venientes. Specialiter et solum unam volo nominare earumdem, et est hec : Notum quidem est Deum creasse Adam cum maiori, qua in genere humano potest haberi, perfectione, quoniam super eo et super omnibus creaturis quas in prin-

(2) Gen. 1,16.

(3) Gen. 1,16.

(4) Cf. *Pugio*, 931.

cipio humane creacionis Deus creaverat, inquit Deus : «Vidit Deus cuncta que fecerat, et erant valde bona» (5). Hii autem rabini reputant Adam pro peccatore maiore et nephandissimo proditore et heretico quam in toto sit universo. In libro enim vocato Sanhedrin, capitulo quod incipit Ehathdine Mamonoth, sic inquit :

«Dicit Rau : Adam primus hereticus erat. Dicit rabi Abba : Adam ibat extendens suum prepuccium. Dicit rabi Nahaman : Adam renegavit de Deo.»

Item inquit in libro vocato Yevamoth, cap. Habahal Yebunco :

«Dicit rabi Halazar : Quid voluit docere textus qui dicit, cap. II<sup>o</sup> Genesis : «dixitque Adam : hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea?» (6). Ostendit nobis quod Adam habuit copulam carnalem cum omnibus bestiis domesticis et silvestribus, et numquam fuit refrigerata voluntas eius, donec habuit generationem cum Eva.»

Et declarat rabi Salomon quod quia inquit textus «hoc nunc», ostenditur quod alias habuerat copulam.

Item reperiuntur ibidem plures auctoritates contra Dei preceptum et legem nature venientes. Et dumtaxat unam nominare curabo. In quodam libro vocato Quedussa, in leccionibus de Ycurebia, cap. 21, dicuntur tales sentencie :

«Uxor hominis libere est 'suus' [E. sua] ; ideo quidquid vult homo in uxore sua potest facere : habere copulam carnalem cum ea in quacumque hora qua ipse vellet, et osculari eam in quocumque membro in quo ipse velit, et habere copulam cum ea tam per viam naturalem quam per viam innaturalem.»

Hec autem auctoritas plures habet in talmudico textu concordancias ; quod est peccatum sodomie, quia reperitur in textu legis Deum occidisse Onam filium Yode solum propterea quia, cum haberet generationem cum uxore sua, extra mittebat sperma (7). Igitur multo maius peccatum est hoc quod ipsi licenciant vel permittunt, quam illud.

Item reperiuntur quamplures auctoritates, in quibus diffamantur sancti per legem approbati. Et licet de hoc sint infinite auctoritates, unam tamen nominare curabo :

Notum enim est patrem Abraham de sanctissimis hominibus tocuis orbis fuisse ; et tam in eius morte quam in vita secutus est viam Domini, et eam omnibus domesticis suis docuit. In tantum quod Deus de eo facit relacionem dicens : quod eum cog-

(5) Gen. 1,31.

(6) Gen. 2,23.

(7) Gen. 38, 8-10.

novit, quod suis filiis et domesticis suis commisit quod post eum viam Domini custodirent, et faciant iusticiam et iudicium.

Talmudiste vero dicunt totum oppositum. Dicunt autem in quodam libro vocato Sanhedrin, cap. ultimo :

«Quid vult dicere textus Genesis, ubi inquit : «Dedit Abraham omnia sua filio eius Isaac, et filiis ancillarum suarum dedit munera?» (8). Querit doctor : Que fuerunt hec dona? Respondet quod docuit eos invocaciones demoniorum» (9).

Et nisi propter prolixitatem vitandam vobis dicerem pro presenti qualiter nullus est de sanctis patribus quem dicti talmudisti non infament.

Item in Talmut multa reperiuntur intollerabilia contra Redemptorem nostrum Messiam verissimum Dominum Nostrum Iesum Christum, et contra eius christianitatem seu fideles catholicos.

Dicitur in libro vocato Guitim, cap. Hanizaquin, quod qui deridet verba rabinorum talmudistarum et venit contra eorum ordinationes est in inferno condemnatus in stercore ferventi. Et super hoc inquit quod unus doctor, nomine Anqueloç, fecit cum sortilegiis resurgere Iesum nazarenum, et petente eo quam penam paciebatur in inferno, respondit sibi, quod coquebatur in sterquore ferventi.

Ecce igitur si est hoc apud christianos tollerabile, quod sit apud iudeos liber in quo talis sicut hec sit prodiccio et nefandissima abhominacio.

Item dictum Talmut precepit occidi christianum. Dicitur in libro de Mehelta :

«Meliolem de Goym, id est, de gentilibus, debes occidere; meliori colubrorum seu serpentum debes caput frangere» (10).

Diceret tamen iudeus quod in hac sententia occidendi non signatur christianus, sed generaliter dicit Goym, quod significat gentiles, quia sunt ydolatre.

Dico quod iudeus non potest ex eo gaudere, quia in libro vocato Magda, christiani appellantur ydolatre et peiores quam ydolatre; et precipitur ibidem quod fiat eis maius malum quam ydolatriis. Et hoc est in leccionibus de Havodazara, cap. X, ubi sic inquit :

«Non debemus pactum inire cum ydolatriis, nec pacem nec

(8) Gen. 25,5.6.

(9) Cf. *Pugio*, 933.

(10) Cf. *Pugio*, 935-936 (*Mekiltá*, in Ex. 14,7).

treugam cum eis habere, nec aliquam gratiam eis facere. Non tamen debemus eos proicere in rivum, nec in puteum, dum non faciunt guerram nobiscum. Tamen hoc intelligitur in hiis qui sunt [E. + de aliis] gentibus; heretici tamen Israel, et apostate seu renegati, sicut Iesus Nazarenus et discipuli eius, meritum est eos occidere, et dissipare et proicere in rivum et in puteum, quia tollunt vel subtrahunt populum a via Dei» (11).

Ecce hic probatum qualiter pessime ordinaciones, et aspere, severe et nephande in Talmud ordinate et facte contra ydolatras, gravius et asperius seu severius exequi debeant contra christianos.

Hoc autem est quod pro presenti volo ostendere. Ad quod vos oportet respondere, et deinde procedemus subsequenter, gracia divina favente.

In eadem instancia, rabini nichil respondere curarunt, sed solum aliquas auctoritates negavere predictarum, dicentes non esse sic in libris.

Et tunc magister Ieronimus dixit sic esse ad litteram sicut ipse predixerat, et allegaverat. Ad quod publice ostendendum obtulit se paratum.

Et Domino nostro Papa eis die sequenti, ut probaretur an hoc esset vel non, terminum prefigente, dicta die sequenti, videlicet sabbati, decimasexta dicti mensis, in conspectu Sanctitatis Excellentissime, magister Ieronimus libros talmudicos, et libros rabi Moysi de Egipto, in medium publice presentavit; et omnes auctoritates quas superius allegaverat, ibidem edocuit particulariter, quas ipsimet rabini in conspectu omnium legerunt. Et coram eis dictus magister Ieronimus declaravit easdem, super textu librorum, taliter quod convicti fuerunt de eorum negativa, quam fecerant maliciose.

---

(11) Cf. *Pugio*, 936.

## SESION LXIV

POST HEC VERO, DIE SABBATI, septima iulii, iudei obtulerunt post responsonem cedulam sequentem :

Et iudei hic congregati de aliâmis tocius regni, exceptis rabi Ferrer et rabi Iuțef Albo, respondent et dicunt quod impugnationibus per honorabilem magistrum Ieronimum contra Talmut per aliquas auctoritates aliquorum librorum ipsius factis, in quantum ipsi sunt layci, ignorantes, insufficientes, et propter eorum modicam scienciam respondendi, ignorant ad ea satisfacere et illa excusare ; non obstante, quod ipsi credant quod doctores, qui dictas auctoritates scripserunt, et in libris posuerunt, scirent utique, si vitam ducerent in humanis, illas indubitanter defendere, sicut illi qui reputantur homines sciencie, literati et bone vite, qui non ponerent aliquid inhonestum. Sed quod hii qui pro presenti hic sunt congregati, sint sufficientes ad eorum intencionem declarandam, dicunt quod propter eorum insufficienciam, ignoranciam modicamque scienciam, non sunt sufficientes nec aliquid sciunt in eisdem.

Icirco, cum ea humilitate, qua pertinet, supplicant Sanctitati Patris Sancti, sueque excellenti providencie, quatenus dictis iudeis provideat, licenciando eosdem, ut redeant ad domos suas, cum sustineant et sustinuerint plura et diversa, magna, innumera ac irreparabilia dampna, sumptus et expensas, et quod pro presenti vellit supersedere in dicto processu, in quantum pro dicto Talmut nulla sit pars legitima, nec defensor sufficiens ; et propter eius insufficienciam, dictus Talmut nichil debet amittere ; et in hoc faciet iusticiam, quam dicti iudei reputabunt ad gratiam et mercedem.

In eodemmet die, rabi Iuſef Albo aliquas obtulit rationes ad credendum deffendere allegaciones contra dictum Talmut factas.

Ad quas reverendus dominus Andreas Bertrandi, in Sacra Pagina merito professor, ſanctiſſimi Domini noſtri Pape elemosinarius, reſpondit eidem valde copioſe, illas revocando et penitus annullando.

## SESION LXV

DIE VERO IOVIS, vigesima mensis septembris, anni predicti, Sanctissimus Dominus noster Papa quamdam fecit iudeis exortacionem et ammonicionem.

Quo facto, dictus magister Ieronimus proposuit dicens :

Sanctissime ac beatissime Pater, considerata piissima ac misericordissima exortacione vestre Sanctitatis, hiis iudeis ex mera vestra benignitate facta et clemencia, ad eosmet convertendum, occurrunt michi verba per Isaiam prophetam, cap. 55 scripta, videlicet :

«Querite Dominum dum inveniri potest ; invoke eum dum prope est» (1).

Attendite igitur rogo, vos, iudei, diligenter, quia non obstante quod verus sensus huiusmodi textus, et intencio prophete in eodem, sit idem cum eo quod theologi catholici dicunt, quod propheta hoc dicebat in respectu illius temporis quo Salvator noster, Rex Messias, Deus et homo verus, per terram ambularet et apparebat apostolis, et toti universo, docens eos qualiter debebat acquiri regnum Dei ; cum toto hoc michi adhuc placet pro presenti, iuxta declaracionem quam vestri rabini faciunt in eodem, declarare, quod erit valde consonum cum actu et casu presenti.

Rabini enim talmudiste contra hec verba Isaie arguentes dicunt : Qualiter dici potest : «Querite Dominum dum est repertus, et invoke eum dum prope est» (2), cum oppositum huius docuit nos Moyses in lege Deuteronomii, cap. 4, ubi dicitur : «sicut Deus noster adest cunctis obsecracionibus nostris» (3).

---

(1) Is. 55,6.

(2) Is. 55,6.

(3) Deut. 4,7.

Ex quibus verbis patet totum contrarium illius quod dixit Isaias, scilicet, quod Deus quocumque tempore et quacumque hora reperitur, et est prope ad recipiendum illos qui invocant eum?

Sed satisfaciunt taliter dicentes: verum esse quod scriptum est in lege Mosayca, quod Deus omni tempore est paratus ad recipiendum oracionem et penitenciam invocantium, et devote ad eum se convertencium; verumtamen illi qui convertuntur et faciunt penitenciam sunt in duplici differencia: quidam sunt qui reconciliantur de peccatis suis penitenciam de eis agentes in tempore sue prosperitatis, et abundancie bonorum temporalium, quia tunc cogitant Deum sibi esse propinquum; alii vero sunt qui non recognoscunt eorum peccata, nec faciunt penitenciam eorundem, quousque persecucione stimulantur atque malis. Tunc enim videtur eis Deum esse separatum, et longe ab eisdem, et tunc faciunt penitenciam. Verum est quod utrumque istorum recipiat Deus, sicut dixit idem propheta: «Pacem, pacem ei qui longe est, et qui prope, dicit Dominus, et sanavit eum», capitulo 57 (4). Verumtamen in valde maiori gloria sunt, et multum excedunt hii qui sunt de parte prima, quam illi qui sunt de parte secunda. Et respectu eorundem dicebat Isaias: «Querite Dominum dum inveniri potest» (5).

Nunc autem vos iudei in simili casu estis sine dubio positi

Certum enim est quod de bonis temporalibus et fortune vos estis prosperati usque nunc valde, tam viventes deliciose et quiete cum officiis delicatis, quam eciam in habendo habunde luca magna absque labore, per viam usurariam, et eciam tenendo sinagogas sumptuosas, tenendo adhuc personas et vitam christianorum in posse vestrum per officium medicine, et chirurgie, et eorum pecunias per officium cursorie, aliarumque administrationum.

Nunc autem sunt excitati sanctissimus Dominus Noster Papa et Princeps serenissimus rex noster. Et viso quod sustinere hoc esset valde iniustum et irrationabile, et manifeste venire contra divinum servitium, et cum anexa et unica voluntate unanimiter restringere, et in illo ordine et regula qualiter debeatis vivere iuxta habitum et regulam captivorum.

Unde necessario sequeretur quod cognoscetis errores et peccata in quibus positi estis; et nulli dubium quod, non obstante quod Sancta Mater Ecclesia semper teneat brachia extensa ad vos recipiendum, et eisdem indulgendum, verumtamen in gradu valde maiori gratie Dei, et domini Nostri Pape, et dicti serenis-

(4) Is. 57,19.

(5) Is. 55,6.



simi principis nostri ceterorumque gencium positi estis, reconciliando vos antequam super vos veniant persecuciones prefate, et dum estis in tempore prosperitatis, et videtur vobis prope vos fuisse: «querite Dominum dum inveniri potest».

Hoc si quidem colloquio inter vos et me sic habito, ad preceptum michi per Sanctissimum Dominum Nostrum Papam iniunctum, quo cavetur, quod brevi sub compendio omnia superius habita resumerem et succinte, ut luce clarius elucescat universis, in quo puncto seu casu simus huiusmodi processus disputationis vel informacionis.

Santissime ac Beatissime Pater, veri Messie unice Vicarius: Notum est excellentissime Sanctitati ac Curie eiusdem universalis, qualiter in civitate Dertuse, ex precepto vestre Beatitudinis michi facto, fuerunt facte plures ac diverse instancie informacionum hiis iudeis, qui sunt pro presenti, tam ex verbo quam scripto, per plures ac diversas probaciones veras et auctenticas, tam per textum propheciarum, quam per declaraciones translationis caldayce, quam per auctoritates antiquorum doctorum et rabinorum talmudistarum, Messiam venisse probando eisdem; et nedum ipsum venisse, verum etiam ipsum venisse tempore quo fuit adventus Salvatoris nostri Iesu Christi.

Et, non obstante quod ipsi iudei nisi fuerint se deffendere a meis predictis rationibus, ac probacionibus veris, per aliquas invenciones et glosas per eos inventas atque innovatas, de quibus numquam potuerunt invenire auctoritatem alicuius doctoris aut rabini qui eas poneret, verumtamen omnes ille fuerunt ad plenum reprobate, et adnichillate usque quo demum confessi sunt dicentes se nichil ulterius scire. Et finaliter, videntes se coactos pre multitudine auctoritatum, per quas eis manifestissime monstrabatur venisse Messiam, contra quas nullam poterant dare solutionem, credentes evadere, cuidam ramusculo adhererunt dicentes, non obstante quod dicte auctoritates ad literam venisse Messiam ostenderent, verumtamen quod non tenebantur eas credere, eo quia non fuerant secuti actus et operationes que Messias erat acturus.

Ego quidem, ad tollendum eos ab illo errore, duodecim eis formavi quesita, actus et operationes Messie proprie tangentes, in quibus probavi per dicta rabinorum suorum, et prophecias, quod ille essent proprie operationes veri Messie, et quod ille met fuerant complete sine dubio in adventu Salvatoris Domini Nostri Iesu Christi. Et super hoc ipsi diversas responsiones cautelosas texuerunt, que fuerunt per me eisdem legitime ac sufficienter revocate, usque adeo sunt confessi dicentes se amplius nichil

scire, ut hoc totum patet largissime in processu super hoc publice facto; per quem quidem processum manifestissime est conclusum Messiam iam venisse, et in Christo Iesu omnes condiciones et tituli qui sperabantur fore in Messia fuisse iam completa.

Hoc itaque peracto, et dicta conclusione probata, Sanctitas excellentissima Domini Nostri mandavit quod consideraretur super facto illius tractatus, Talmud vulgariter nuncupati, per quem omnes iudei reguntur in omnibus factis legis mosayce, dicentes omnia in eo contenta esse verba Dei ipsi Moysi dicta, in tantum quod legem oris eam appellant.

Et dicta Domini Nostri Sanctitate mandante quatenus videtur qualiter fuerit facta invencio dicti tractatus, et si esset aut esse deberet res approbata aut illicita, tunc propter mandatum eiusdem adimplendum, retuli modum pariter et formam, et qualiter dictus tractatus talmudicus, et unde, originem habuerat, probans per rabi Moyse de Egipto, qualiter rabini pharisei nuncupati illud ordinaverant, ut legi contradicerent Iesu Christi, videntes quod prospere crescebat et per totum orbem terrarum diffundebatur.

Et ut populus verbis eius adhiberent fidem, imposuerunt famam dicentes, Deum non solum dedisse Moysi legem Scripture in tabulis scriptam, verum etiam adhuc legem oris seu oretenus. Quam quidem ipsi nunc in scriptis ponebant, quam Talmud iudeus appellat, quod idem est quod documentum sive doctrina.

Hac siquidem invencione Talmut visa atque difuse tractata, idem Dominus Noster in mandatis iniunxit quod videretur an materia, et ea que in Talmud tractabantur, essent tollerabilia et licita, vel non.

Hoc perscrutabiliter inquisito per reverendos Patres meos et Dominos in sacra pagina laureatos, fratrem Sancium Porta, Sacri Palatii magistrum, Andream Betrandi, Domini Nostri Pape elemosinarium, et per me simul cum eisdem, fuit in dicto Talmud repertum, plures vanitates, cavillationes, deceptiones, hereses, turpitudines, et errores innumeri contineri.

Postquam autem bene fuerunt considerata, sex species abominacionum ibidem fuerunt invente:

Prima est, ea que sunt contra caritatem humanam et legem nature continere, ut puta dare occasionem ydolatrie, et Deum maledicendi, et patrem et matrem percuciendi, et maledicendi, et sodomitandi.

Secunda est, ea que veniunt contra essenciam et perfeccionem divinam, sicut Deum reputare impotentem, ignorantem, immunum, peccatorem, et corporalem.

Tercia, ea que sunt contra legem mosaycam continere, sicut est maiorem dare auctoritatem verbis eorum quam verbis Dei, in lege positis Moysi, et sanctos patres iniquos et peccatores reputare, et quos sancta Scriptura reputat peccatores iustificare.

Quarta est, varia et impossibilia, fetida, et turpia, atque nephanda, que ducunt [E. + in] occasionem peccandi audientes, continere.

Quinta, ea que sunt in magnum preiudicium et tocius fidei orthodoxe interesse continere, sicut est dicere abhominabilia et turpia de nostro Salvatore rege Messia Iesu Christo, Domino Nostro, et de Beatissima et gloriosissima eius genitrice Maria, et de omnibus sanctis paradisi, et de omnibus qui administrantur in Sacrosancta Matre Ecclesia.

Sexta species est, que sunt in magnum dampnum et interesse christianorum cum iudeis conversancium continere, sicut est libera facere vel afranquire bona christianorum, et errorem calculi licitum reputare; quem quidem errorem iudeus contra christianum potest licite facere, et afranquire personas, et premium promittere, et mercedem cuicumque iudeo qui potest christianum interficere reputare.

In quacumque istarum sex specierum, plures et gravissime continentur particularitates. Quas quidem, ut processus prolixitas evitetur, profecto recitare ommitto, quoniam, sanctissime Pater universalis, et Domine Beatissime, vestra Sanctitas michi iniunxit in mandatis, quatenus ex eis duos vel tres errores cuiuslibet speciei recitare curarem pro presenti, ut publice videretur qualibus protectionibus iudei ad eos excusandos erant fulciti. Quod tamquam filius obediencie infallibiliter feci, quia die veneris, que computabatur decima quinta iunii, anni presentis, hic, in presenti camera, nonnullos dictorum errorum, in qualibet dictarum sex specierum predictarum, breviter recitavi, dans copiam dictis iudeis eorundem, requirendo eos ut si scirent, responderent. Ipsis quidem iudeis aliquos dictorum errorum negantibus, et aliquos nullatenus, eo modo quo allegavi, reperiri posse dicentibus, et aliquos eo quod in libris Talmud, ut ipsi dicebant, nullatenus reperiri contingebat.

Circa quod, vestre sanctissime Beatitudini diem sabbati immediate sequentem, ut fulcitus ego venirem ad illos errores sicut posueram probandos et publice ostendendos, nobis pro termino placuit assignare. Quo termino per Sanctitatem vestram sic pre-finito, una cum libris talmudicis, in quibus erant predictae auctoritates, et libris rabi Moysi de Egipto, me coram eadem Sanctitate, in conspectu omnium, 'me' [E. '—'] humiliter presen-

tavi, ostendens eis manifeste ad literam predictas auctoritates, quas rabi Ferrer et quam plures alii rabini personaliter legerunt, qui litera ad literam, verbo ad verbum, sicut allegavi reperierunt, in tantum quod valde turbati remanserunt et confusi.

Post hec vero, die sabbati, septima iulii, iudei generaliter et nomine totius congregacionis sue, pro responsione sua quamdam cedula[m] obtulerunt tenoris sequentis :

Et iudei hic congregati de aliamentis regni, rabi Ferrer et rabi Iucef Albo dumtaxat exceptis, respondentes dicunt, quod impugnationibus per honorabilem magistrum Ieronimum contra Talmud per aliquas auctoritates aliquorum librorum ipsius factis, quia sunt layci, ignorantes et insufficientes, et propter parum scire, nesciunt satisfacere et illas excusare ; non obstante quod ipsi credant quod si hii qui eas posuerunt vitam ducerent in humanis scirent eas utique defendere, tamquam hii qui reputantur homines scientes, bone vite, qui nichil ponerent inhonestum. Sed [E. + quod] hii qui hic sunt congregati, sint sufficientes ad eorum intencionem declarandum, dicunt, quod propter insufficientiam, ignoranciam et paucam scienciam, non sunt sufficientes, et nichil in eo sciunt, etc.

Dicta vero responsione per universitatem iudeorum oblata, dicti rabi Iucef Albo et rabi Astruch, quilibet per se, unum quaternum in defensionem impugnationum contra Talmud factarum publice presentarunt. Ad quod quaternum dicti Iucef Albo reverendus magister Andreas Bertrandi, in Sacra pagina professor, Sanctitatis vestre elemosinarius, incepit respondere, dando ei ad intelligendum, et probando ei, quod in eius scriptura, nec in eius quaterno, nichil continebatur per quod Talmud veniret merito excusandus, nec compilatores eiusdem ; ymo continetur in eodem multiplicitas errorum et heresum.

Quam quidem responsionem dictus reverendus magister in eadem dieta ad plenum non potuit adimplere. Idcirco, Pater Beatissime et Sanctissime domine, Sanctitas Vestra dignetur dictam responsionem mandare concludere, et taliter complere, quod dictus rabinus eius errores manifeste videat et cognoscat, et quod dicta sciencia talmudica non remaneat excusata ; ymo potius dampnata et condemnata merito confiteatur. Quod dicte Sanctitati vestre humiliter supplico ac devote.

Deinde, in prefata instancia, dicto Domino elemosinario et dicto rabino prefixa, dictus Dominus elemosinarius suam com-

plevit responsionem, scripturas dictorum rabinorum sufficientissime et evidentissime cassando et annullando.

Quo peracto, surgens magister Salomon Içach, iudeus, dictos errores talmudicos volens pertinaciter excusare, sic ait :

Quod sicut in Biblia erant quamplures textus, qui ad literam plura inconveniencia contra Deum ostendebant, et ad rei veritatem non sic intelligebantur, ymo investigamus in eisdem tales exposiciones, quod cum veritate concordarent, hoc modo debere fieri cum Talmut, considerato quod, iuxta iudeorum intencionem, dictum Talmut sit lex data Moysi per os Dei, et eciam quod aliqua dictarum auctoritatum, que ibidem acusantur, aliter per alium doctorem reperiatur declarari ; sicut est illa, ubi dicitur, quod homo potest habere carnalem copulam cum uxore sua per viam naturalem et per viam innaturalem. Declarat rabi Abraham Barbi David, quod illud innaturale intelligitur per membrum naturale, nisi quia dumtaxat mutatur modus, ut puta, quia non facie ad faciem.

Tunc autem fuit sibi iniunctum, ex parte Domini Nostri Pape, quod exhiberet librum dicti doctoris, et tunc merito ad illud sibi responderetur, et sufficienter.



## SESION LXVI

DIE IOVIS, VIGESIMA OCTAVA MENSIS SEPTEMBRIS, coram prefata presencia sanctissimi Domini Nostri Pape, dictus magister Ieronimus constitutus, proposuit dicens :

Sanctissime ac Beatissime Pater, bene credo quod Sanctitas vestra recordatur qualiter die iovis proximo lapsa, in huiusmodi sancta ac publica platea, ex precepto vestre Sanctitatis, fecerim relacionem in quo casu, et in quibus terminis erat processus informacionis.

In qua quidem informacione recitavi qualiter in fine processus super accusacionibus contra Talmud factis, quedam cedula fuerit oblata per communitatem iudeorum, in qua verba continebantur similia : quod ipsi propter eorum insufficienciam nesciebant respondere dictis auctoritatibus, non obstante quod credunt actores qui eas scripserant, et in libris posuerant, scirent, si vitam ducerent in humanis, illas deffendere, sicut hii qui apud eos homines sciencie et bone vite, qui nichil ponerent inhonestum, reputarentur.

Et Sanctitas vestra non immerito tunc sentenciavit expresse eorum responsionem minime acceptare, nec racionabilem et bonam censebatis, propter raciones certas, que diffuse per vestram Sanctitatem fuerunt allegate.

Et dicti iudei reperfidiantes, dixerunt quod adherebant dicto per eos, et quod nichil amplius sciebant.

Idcirco, sanctissime Pater, et veri Messie Christi Vicarie, viso qualiter isti iudei pedem faciant et fundamentum in eorum cedula, credentes dictas hereses excusare dicendo quod positores earundem scientes fuerint, et homines bone vite, et in processu prehabito fuerit ostensum tam per verba reverendi Domini ele-

mosinarii, quam per mea, fuisse oppositum tocius quod ipsi dicunt, scilicet, quod dicentes seu positores earundem fuerunt homines pauce sciencie, viciosi et male vite. Idcirco vestre Sanctitati humiliter supplico ac devote, quatenus dignemini homines idoneos deputare et discretos qui dictum processum visitent contra dictum Talmud, iusteque procedant et contra dictos iudeos dicte cedulae oblatores et sustentatores ipsius, tamquam contra hos qui hereses vident manifeste, et eas volunt animo pertinaci sustinere, et defendere.

Non obstante tamen quod per rationes prehabitas superius in processu, fundamentum eorum quod ipsi faciunt et calumpniam ad quam se apodiant seu applicant et 'affirmant' [E. firmanant], vite videlicet et sciencie illorum hominum, scilicet, positorum 'eorundem' [E. earundem], esse debile atque vanum; ut manifeste pateat universis, volo adhuc ostendere per aliquas auctoritates, qualiter sit totum oppositum eorum que ipsi dicunt, et qualiter dicti doctores valde essent in sciencia deffectuosi, vite pessime et peccatricis.

Deffectus namque sciencie eorumdem per plures patet fatuitates ac vanitates, quas dicebant cum loquebantur de aliquo scientifico modo, aut de aliquo scienciam tangenti. Sicut dicitur in textu talmudico, quod quatuor venti quotidie sunt currentes, et ventus meridialis est forcior, et nisi propter unum falconem qui eum retinet cum suis alis, seculum destrueret.

Et rabi Salomon volens hanc temeranciam excusare et glossare, dicit in eius glosa aliam maiorem amenciam, et declarat quod iste falco aut sparverius est unus angelus, qui est factus ad modum et forma sparverii, et quod stat continue ad partem meridionalem seculi, ad retinendum ventum, ut non destruat mundum.

Dicunt eciam quod est in mundo quedam bestia, nomine Behemot, que pascit mille montes quotidie.

Item quod Leviathan sit quidam piscis ita magnus, quod si haberet copulam cum femina totum orbem destrueret. Idcirco Deus frigefecit feminam, et occisit masculum, et tenet eum in sale usquequo iusti eum comedant tempore futuro.

Item dicunt quod Og, rex Basan, cum vellet bellum gerere contra Israel, arripuit quamdam montaneam, spacium trium leucarum capientem, et posuit super caput eius, ut eam proiceret super populum (1). Et adhuc dictum mendacium confirmant dicentes, quod transiens hodie per montaneam illam, quod debet

(1) Cf. *Pugio*, 939-940 (ex Berakot, cp. Haroch makom).



laudare Deum, qui fecit miraculum cum Israel, quia dictus Og non occisit eos cum illa.

Dicunt etiam quod intra canale cuiusdam ossis tibie dicti Og, cucurrit unus iudeus retro quemdam cervum tribus leucis, et videns quod eum non poterat attingere, reversus est.

Ecce igitur si hoc totum contra scienciam sit naturalem; certe sic.

Adhuc autem dico quod loquentes in astrologia locuntur valde scientifice, quod potest patere intuenti: Dicunt enim in Talmud quod sol tendens ad occasum, quod retrocedit per supra celum, et intendit sic tota nocte, donec venerit ad orientem (2).

Item dicebat unus doctor, quod ascenderat unam montaneam ubi celum terra tangebatur, et quod posuit clamidem suam in quadam fenestra celi, et separans se aliquantulum ad oracionem faciendam, cum redisset non reperit clamidem, et credens esse latrones in celo, dixit socio suo. Cui socius: Expecta usque cras, tali hora sicut ista, postquam fecerit celum girum unum, et invenes. Et sic faciens invenit clamidem suam (3).

De hiis autem fatuitatibus et vanitatibus infinitas reperire potestis.

Attendite igitur an homines talia dicentes, et in libris ponentes, debeant merito nuncupari scientes; ymo potius illiterati, fatui, et amentes.

Ad id autem quod dicitur, quod erant homines bone vite, videte, rogo, qualiter erant bone vite: Nam eos invenietis in omnibus septem peccatis mortalibus peccatores et infectos.

Et primo, in peccato superbie, volentes quod eorum verba in maiori gradu preeminencie essent quam verba Dei, et quod maiori pena puniantur suorum verborum transgressores, quam verborum Dei.

Et etiam dicitur in Talmut, quod cum per revelacionem celi data fuisset sententia contra eos, in questione quam habebant cum rabi Eliezer, ipsi responderunt quod non pertinebat sententia ad Deum, ymo pertinebat ad eos. Et ex tunc excommunicaverunt dictum rabi Eliezer quia contradicebat eis, licet teneret veritatem.

Reputant se adhuc multo maiores prophetis, et dant sententiam quod doctor talmudista maior est quam propheta.

Item dicebat unus doctor talmudista, nomine Ezechias: Ego

(2) Cf. *Pugio*, 928-929.

(3) Cf. *Pugio*, 929 (ex Baba Bathra, cp. Hammocher eth hassephina).

sum sufficiens propter merita mea redimere totum genus humanum in die iudicii. Et glosat rabi Salomon, quod mea opera meritoria tot et tanta fuerunt, quod possum ponere super me omnia eorum peccata, et ipsi essent redempti et liberi.

Item dicebat: Vidi homines qui sunt digni ad standum in camera, et in gloria spirituali, et invenio quod sunt pauci; et si sunt mille, ego et filius meus sumus de illis; et si sunt duo, ego et filius meus sumus illi.

Ecce igitur manifestissime patet an omnia verba hec redundant in superbiam et vanam gloriam.

In peccato autem luxurie et sodomie, non oportet dicere, quoniam, sicut dictum est sepissime, dant sententiam cognoscendi mulierem, seu uxorem, per membrum innaturale.

Item absolvunt coeuntem cum puerulo novem annorum et infra.

Item quod si aliquis puer qui est minor tredecim annorum et unius diei, adhuc quod habeat duodecim, vel tredecim annos, et coeat cum quacumque muliere prohibita, adhuc quod sit mater vel soror eius, quod est liber et immunis ab omn<sup>is</sup> pena.

Item quod si quis coeat cum uxore alicuius, et vir eius sit minor tredecim annis, immunis est et sine pena.

Absque hiis sentenciis pessimis et horribilibus, adhuc reperimus eos delectari in omni natura luxurie, sicut aiunt quod benedictio Dei in Sansone fuit in membro suo (4); et quod rabi Eleazar et rabi Ismael nominabat, quilibet eorum, sextum membrum sui consocii, quantum esset magnum (5). Et quod Zimbri, princeps tribus Simeonis, coivit cum Madianita in presencia Moysi quadringentis viginti quatuor vicibus in una die (6). Et quod Abygayl, uxor Nabal, quando exivit ad viam, ut peteret indulgentiam a David pro Nabal, quod quesivit ab ea David, ut vellet secum coire; et ipsa nolente, dicitur quod discooperuit tibiam illius, et quod erat tantum alba, ut ad lucem ipsius David ambulavit tribus leucis. Et quod David post hoc [E. + ut] inquit textus quod tantum senuerat, quod nullis pannis calefieri poterat, dicunt ipsi quod cubuit cum Bersabe, matre Salomonis, in presencia Abisay sunamite, tredecim vicibus in modico spacio. Et adhuc diffamant illam dominam sanctam Iahel dicentes quod dormivit cum Sisarat septem vicibus, et deinde occisit eum.

Ecce igitur homines qui delectabantur has facere invenciones falsissimas, an essent in summo luxuriosi.

(4) *Pugio*, 932 (ex Sota, cp. I).

(5) *Pugio*, 932-933 (ex Baba Metzia, cp. Hassoher et happoalim).

(6) *Pugio*, 932 (ex Sanh. cp. Illou hen hannechanakin).

In peccato autem ire, reperitur in quampluribus locis talmudicis, quod iratus est talis rabi contra talem, super questionibus et altercationibus legis.

Item quia dant sententiam quod omnis doctor talmudicus non servans iram suam, nec vindicans se sicut coluber, non est doctor.

In peccato autem gula, ipsi quidem valde glorificantur in cibo et potu. Dicitur enim in textu talmudico de quodam doctore qui comedebat trecenta paria columborum in uno prandio, vel in uno situ ad comedendum. Et dicunt quod cum doctores ibant tempore fructuum ad unam patriam vel regionem fructiferam, que vocabatur Genesar, quod comedebant de fructu illo tantum usquequo unus doctor, qui erat inter eos, pingue fiebat in tantum quod fiebat ita grossus quod non erat aliquis qui posset eum aliquatenus de cute mordere in ventre cum unguibus, vel recipere.

Et alius doctor quod fiebat ita pinguis quod musca nullo modo poterat in eius fronte retineri; ita lisa vel plana erat praenimia pinguedine sua.

Adhuc sententiam precipientes quod die quo est vespera diei festi expiationis, quod quilibet iudeus debet multum comedere illo die, et comedens multum illo die reputatur ac si illis duobus diebus ieiunaret. Et nedum hoc, sed expresse adhuc mandant quod omnis iudeus in festivitate Haman debet inebriari usquequo sensum perdat, et dicat bonum de Haman et malum de Mardocheo.

Item in peccato invidie peccarunt fortissime, ut patet de predicta questione rabi Eliezer cum illis de studio; quia, non obstante quod rabi Eliezer suam probasset intencionem per plures rationes legis, et per res naturales, et finaliter per revelationem divinam, invidia tamen illorum excessit contra eum tantum, quod numquam amodo voluerunt eius veram intencionem confiteri; ymo eum excommunicaverunt.

Et attendite rogo ad quantum hoc vicium se extendebat in eisdem. Nam adhuc in paradiso ponunt 'quod' [E. '—'] talmudiste quod iusti sunt invidi, ut dicitur in Talmut:

«Legunt magistri: In futuro seculo Deus faciet cuilibet iusto unum thalamum ex argento et auro et ex lapidibus preciosis, et quilibet iustorum videbit eius consocium, et concupiscet thalamum sui consocii.»

In peccato avaricie, videtur ex eo quod dicitur in Talmut quod doctorum talmudistarum pecunia multo plus diligitur quam eorum persone, et quod rabi legens Talmut potest ad usuram dare alteri rabino, et ab eodem recipere.

Item quod, propter meram avariciam, vituperabant bona alia-

rum gencium pro semetipsis, in tantum quod sentenciant talmudiste in Talmut quod error calculi quem iudeus christiano potest facere, est licitum. Et inducunt exemplum de tali doctore qui emit virgam auream ab uno Goy, id est christiano aut gentili, pro quinque unciis; et in calculo erravit de una uncia; et alius doctor qui emerat ab uno Goy centum viginti idrias vini seu jarras vini, et dicente Goy: computa, quia de te confido; et erravit in viginti jarris seu idriis, quas computavit, sed de calculo diminuit (7).

Ecce igitur qualem bonam doctrinam aliis prebebant.

Item quotidie peccabant in peccato homicidii; ut reperitur rabi Iohanan qui occisit Reflaquis, discipulum suum, quia nolebat sibi confiteri suam oppinionem; et rabi Eliezer, qui occisit raban Gamalielelem 'sorori' [E. sororem] eius, quia consenserat in eius excommunicacione; et rabi quod occisit rabi Zeram, cum invitaverit eum ad comedendum in die vocato purim.

Item peccarunt in ydolatria, sicut dant causam et modum adorandi Meloch, et quam plures diabolorum invocaciones et sortilegia in dicto Talmut contenta (8), ut lacius fuit superius dictum per Reverendum Dominum Elemosinarium. Que omnia sunt vera ydolatria.

Ecce igitur manifeste probatum qualiter rabini et doctores ipsius Talmut compositores erant deffectuosi, ignorantes in omnibus naturis sciencie, viciosi et valde turpes in omnibus naturis peccatorum. Ad oppositum eorum que in cedula vestra sunt contenta.

Idcirco id quod super hoc 'est' [E. sit] fiendum, deinde ad iudicium illius vel illorum cui vel quibus Sanctissimus Dominus Noster Papa duxerit committendum, remitto.

Et cum hoc a predicta cedula desistens, ad defensiones quas magister Salomon Yçah in dieta preterita monstravit cupio nunc venire.

Dictus igitur magister Salomon, ad defensionem sui Talmud, duo voluit facere fundamenta: Unum quidem est facere unum presuppositum, scilicet, quod Talmut iuxta credenciam iudeorum est lex divina. Ex quo quidem presupposito sequitur iuxta opinionem suam, quod sicut in Sancta Scriptura quecumque verba ibidem reperta aliquam inconvenienciam Deum aut angelos aut

(7) Cf. *Pugio*, 935 (ex Baba Kama, cp. Haggazel).

(8) Cf. *Pugio*, 937.

similes tangentem ad literam ostendebant, credere debemus quod illa verba alium sensum et aliam significacionem meliorem habebant. Pari enim forma iudeus, qui tenet Talmud pro lege divina, debet credere quod auctoritates eum accusantes, non obstante quod ad literam male sonent, habent tamen alios sensus valde racionabiles, cum veritate valde concordet.

Secundum vero fundamentum quod facit ipse est: Sicut Sancti Patres et Doctores sensum verum declaraverunt, et intencionem illorum male sonantium in Sancta Scriptura, sic iudei bant. Pari enim forma iudeus, qui tenet Talmud pro lege divina, aliter reclaraverunt. Et de istis unum tantum ad presens allegare curabo, qui vocatur rabi Abraham Barvi David, qui dicitur illam declarasse sententiam in Talmud prolatam, quod homo potest cognoscere uxorem suam per viam innaturalem, quod non vult dicere per membrum posterius, sed per membrum naturale et per viam inconsuetam.

Super hec autem duo fundamenta fundatur excusacio quam iudei credunt dare super Talmut.

Ego vero respondeo dicens cum reverencia quod predicta duo fundamenta sunt cassa, falsa, et vana, et nullius penitus efficacie.

Fundamentum enim primum annullare intendo septem modis valde racionabilibus :

Primo probando quod iudeus teneat magnum errorem credendo quod Talmut sit lex divina. Et ad hoc formo talem racionem :

Cui non competit diffinicio, nec diffinitum.

Ipsi Talmut non competit diffinicio legis divine.

Ergo Talmut non est lex divina.

Maior notoria est per Aristotelem. Minor probatur sic :

Diffinicio quidem legis divine per Psalmista posita Psalmo 18 quatuor habet condiciones : Unam scilicet, quia debet esse immaculata. Secundam, debet convertere animas et eas a viis peccatricibus deviare. Terciam, testimonium fidele facere et verum [E. + super hiis] que Deum sint tangencia. Quartam, sapienciam dare ignorantibus. Hoc enim patet per verba sua cum dixit :

«Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapienciam prestans parvulis» (9).

Nulla harum condicionum potest de Talmut verificari. Qualiter enim dicetur Talmut immaculatum, cum sit plenum men-

(9) Salm. 18,8.

daciis et feditatibus? Quia lex divina adhuc quod casu necessitatis loqui debeat in materiis fedis vel turpibus, semper tamen cavet quod per verba mundiora quibus potest loquatur. Quia iam vestri rabini dicunt quod textus Moysi valde laboraverit in ponendo octo literas plusquam erat opportunum, et hoc ut non nominaret verbum turpe. Talmud quidem facit totum oppositum, nam ea que vos creditis glosare, que de se habent significata munda et bona, Talmud nominat ea verbis fetidis ac turpibus. Talis ergo scriptura non est immaculata, per oppositum illius quod dixit Psalmista, psalmo 11, ubi dicitur: «Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum» (10).

Secunda condicio est: «convertens animas» (11). Talmud vero nichil curat de anima, sed solum dare ceremonias et regimina in rebus mundanis. Item quia allicit animas ad peccandum cum exemplis pessimis, et iniquis sententiis et peccatricibus, quas ponit. Ergo magis pervertit animas quam convertat.

Tercia vero condicio est: «testimonium Domini fidele» (12). Talmud autem non dat testimonium Domini fidele, nec verum; ymo falsum, quia attribuit sibi quod irasebatur, et quod flet et quod tenet capsam de Tephhillim cum corrigiis in capite et in brachio, et quod investigat qui eum absolvat a iuramento quod fecit quod non liberaret populum Israel a captivitate. Omnia hec sunt testimonia falsa, et veniunt contra Psalmistam, cum inquit: «Mirabilia testimonia tua» (13).

Quarta vero condicio est: «Sapienciam prestans parvulis» (14). Que concordat cum hiis que David alibi predixerat: «Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis» (15). Unde patet ex hoc quod lex divina prestare debet scienciam et illuminare. Talmud quidem facit contrarium, quia prestat oppiniones fatuas, vanas atque falsas, tam in naturalibus quam in astrologicalibus, ut supra dixi in principio mei colloquii.

Item, loco illuminandi, obfuscat intellectum. Et ad hoc non oportet aliam inducere probationem nisi verba suorum met rabinorum, que declarantur super textu quem dixit in Lamentacionibus Ieremias, 3<sup>o</sup> capitulo:

«In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos» (16).

- 
- (10) Salm. 11,7.  
 (11) Salm. 18,8.  
 (12) Salm. 18,8.  
 (13) Salm. 118, 129.  
 (14) Salm. 18,8.  
 (15) Salm. 118, 130.  
 (16) Lam. 3, 6.

Querunt rabini : Que sunt hee tenebre ? Respondetur : Istud est Talmud Babilonie.

Ecce qualiter ipsimet vocant Talmud tenebras. Ecce igitur sufficienter probatum qualiter diffinico legis divine nec competit nec verificetur de Talmud. Ergo Talmud non est lex divina.

Secunda vero ratio, quam circa hoc facio, est hec :

Notum enim est quod, inter iudeum et me, questio principalis est, an Talmud sit lex divina aut non. Quia ipse dicit sic, ego autem non. Et an rabini fuerint homines sciencie et bone vite, an non. Cum enim accuso errores et hereses ibidem repertas, ipsi ad excusandum se ab eisdem presupponunt illud super quo altercamur, dicendo quod sit lex divina et quod ipsi fuerint homines bone vite. Simile huic logici fallaciam petitionis principii appellant, que est una natura fallacie et deceptionis, et nullius valoris.

Tercia ratio : Iudeus dicit quod potest exponi sic et glosari eius Talmud, sicut ipse et christiani sacram exponunt Scripturam, et per consequens, etc.

Dico cum honore hoc esse quid falsum. Nam Sacra Scriptura est quid per omnes concordatum, nemine discrepante ; sed asserere quod Talmud sic debeat exponi, est quoddam ficticie positum solum per iudeum, nullo alio illud asserente. Idcirco nullum penitus habet locum.

Quarta vero ratio, quod licet in Sacra Scriptura aliqui textus reperiantur ad literam incongrui, quemadmodum dicitur Deum penitere hominem fecisse, immediate sequitur circa illud quid illud penitere velit significare, scilicet, facere quamdam operationem unde videbatur quasi se penitere, que erat, scilicet, destruere eos cum diluvio, taliter quod eius declaracio sequitur in continenti ibidem. Sed in Talmud non sic.

Item quia in alio loco Scripture declaratur illud non posse attribui, ymo debet aliter exponi, sicut dicitur in prophecia Balaam, Numeri, 23 : «Non est quasi homo, ut menciatur, nec ut filius hominis, ut mutetur seu peniteat» (17).

Et hoc modo reperitur in omnibus incongruitatibus que sunt in Sacra Scriptura. De Talmut autem minime reperietis quod aliquid de inconvenienciis que sunt in eo alicubi revocetur.

Quinta ratio, quod Talmut est glosa legis mosayce et de Misna secundum fidem iudeorum. Sic enim scribunt omnes moderni, et presertim rabi Moyses de Egipto, in principio sui compendii in Talmud. Qualiter igitur est credendum quod verba que sunt glosa alterius libri ponantur per modum metafore et per modum

ita obscurum, quod sensus eorumdem non sit illum quod verba sonant, nisi aliud quod ipsa minime dicunt? Que explicatio aut que glosa in universo sub hac forma posita? Hoc quidem esset alienum valde non immerito a ratione.

Sexta ratio, certum est enim quod, secundum opinionem iudeorum, nulla natura titulorum qui demonstrant sanctitatem et perfectionem prohibetur Deo attribui, nisi dumtaxat illi qui per Sacram Scripturam expressantur. Non enim oportet dicere quod, esto quod in Sacra Scriptura nonnulli reperiantur improprii, aut incongrui, quod eis non debeamus uti, nec adhuc eos per os nostrum nominare, nisi solum eos intelligere ad eundem modum quo sancti doctores et approbati exposuere.

Et de hoc sentenciant vestri doctores in libro Berahoth, ubi dicitur quod unus rabinus faciebat oracionem coram rabi Hanina, et dicente in eius oracione: «Deus magnus, fortis, timidus, honoratus, sapiens et rectus», fecit eum tacere rabi Hanina dicens quod valde errabat nominando Deum aliquibus titulis, nisi dumtaxat illis quos Moyses in lege expressat; et quod talis oracio vituperium erat Dei.

Ergo, si nominare illos qui ad literam ostendebantur esse in laudem Dei, dicebatur esse vituperium, postquam in lege mosayca non nominabantur, multo forcius erat peccatum heresis nominare et in Talmut scribere titulos qui, ut sonant ad literam, censentur heretici et contumeliosi.

Septima ratio, certum enim est vocabula cum quibus aliquis loquitur esse triformia. Sunt enim vocabula que nullatenus possunt aliam quam bonam significacionem habere, sicut sunt: bonum, pax, veritas, et similia. Alia quidem sunt vocabula per oppositum, scilicet, que non possunt habere aliquod bonum significatum, sicut peccatum, malum, corruptio, dyabolus. Alia autem sunt vocabula que possunt habere significatum bonum et malum, sicut sunt illa vocabula, in quibus sacra Scriptura aliquociens presumit Deum intitulare. Si autem fortasse aliquis presumeret intitulare Deum nomine dyaboli, certum est quod tale verbum nullatenus posset excusari, ut possit aliquid bonum significatum habere. Et dicens Deum esse peccatorem, peiorem titulum sibi attribuit, quam si intitularet Deum dyabolum. Nam omnis titulus est in maiori gradu mali aut boni, quam istud quod cum eo intitulatur. Res autem propter quam dyabolus est malus est quia est peccator. Ergo peius est peccator quam dyabolus. Talmut ergo qui intitulat Deum peccatorem, in tantum quod precepit ad Israel quod in capite lune faceret sacrificium pro eo, propter peccatum quod contra lunam commiserat, quod quidem peccatum nondum est



remissum eo quod adhuc iudei expectant quod illud met 'faciet' [E. facient] sacrificium cum Messias venerit eorundem, unde patet quod adhuc teneant Deum vivere in peccato; huiusmodi ergo titulus non potest habere alium significatum bonum, nec aliquam patitur glosam, ymo est pura malicia, et peccatum et heresis manifesta.

Unde, concludendo, dico quod fundamentum primum per iudeos factum, et pro presenti per dictum magistrum Salomonem, dicendo quod Talmut sit lex divina, et quod hereses que in eo sunt debeant glosari, factum est fundamentum cassum, nullum, et vanum.

Secundum autem eius fundamentum fuit, quia, ut ipsi asserunt, quod reperitur aliquis rabinus modernus qui declarat aliquam dictarum heresum, ut diximus, etc.

Ipsa enim fuit per me requisitus in hac publica platea vel consistorio, ut ea que allegaverat, patenter per librum demonstraret. Quod non faciens, dignus est non modica punitione, quoniam in tam sancto consistorio illud quod non est allegare invereconde presumpsit.

Et esto quod demonstraret, dico quod nichil facit ad propositum, quia ille rabi quem ipse allegat non est in illo gradu seu reputatione in quo est rabi Moyses de Egipto, qui in compendio sui Talmut dicit in libro Sofrim in leccionibus de Sanhedrin, cap. 10, in fine, quod habere copulam carnalem cum uxore per viam inconsuetam, vult dicere per membrum innaturale.

Item dico quod ista allegacio per eum facta omnes iudeos condempnat in omnibus auctoritatibus contra eos allegatis, quia postquam reperitur aliquis doctor qui illam declaraverit, videtur eius intencionis fuisse tollere inconveniens quod ex ea sequi poterat; ad idem declarasset alias in quibus sunt plures turpitudines et hereses, si declarationes super eisdem reperisset. Sed postquam non dixerit nec repererit eas, videtur quod non sint, nec aliquis reperitur qui eas declaraverit, nisi ad literam ut iacent, precipue rabi Salomon, qui fecit glosam ordinariam super Talmut, qui declarat omnes ad literam; et nullus fuit iudeus post eum qui aliquid ab eo dictum revocaverit.

Item, quia hereses et abominaciones contra Talmut allegate sunt diversimode: Quedam namque sunt Haggadoth nuncupate, id est, anuciaciones seu recitaciones de hiis que acciderunt. Alie sunt vocate Derassot, quod idem 'sunt' [E. est] quod sermones. Alie vero sunt que sunt sentencie, iudicia, et regule, quibus

iudeus vitam suam debet regulare. Posito igitur, et non concesso, quod illud quod iudei dicunt locum haberet, ut posset alium sensum habere, hoc posset esse vel dici in hiis que sunt anunciaciones vel sermones; sed in hiis que sunt sentencie, et iudicia, sicut est dicere: qui maledicit Deum non est dignus morte, nisi nominetur Semhameforas; percuciens patrem aut matrem non est dignus punitione, nisi in eis fecerit plagam, aut vulnus; qui habuerit copulam carnalem cum matre sua, aut sorore sua, si minor fuerit tredecim annis, est immunis a pena; qui habuerit copulam cum puero novem annorum, aut infra, est immunis a pena. Vellem nempe scire has sentencias, que sunt notorie et tam clare ad literam, qualiter et qua fronte possunt iudei rationabiliter excusare, et dicere quod alium sensum preter illum quem litera ponit possunt habere.

Unde dico concludendo, et verbis meis finem imponendo, quod illa duo fundamenta super que vestras deffensiones fabricastis, dictum Talmud sustinentes, sunt cassa, irrita atque nulla. Et requisicio seu supplicacio Domino Nostro Pape per Reverendum Dominum Eleemosinarium in condempnacione dicti Talmud facta est non immerito admittenda [E. + et] tamquam iusta et rationabilis in 'execucione' [E. execucionem] ponenda.

## SESION LXVII

DIE VERO SABBATI, DECIMA NOVEMBRIS, APUD VILLAM SANCTI MATHEI, dictus magister Ieronimus sequentem obtulit scripturam :

Sanctissime ac Beatissime Pater, habita siquidem per vestram Sanctitatem diligenti consideratione in ingenti errore deordinato, sub quo iudei vivunt pro presenti, publicantes et pro se dicentes quod custodiunt legem mosaycam atque servant, reperitur tamen illam manifestissime nullatenus custodire, non solum anagogice vel quo ad sensum verum et spiritualem per Messiam datum, de quo apud iudeos superfluum esset loqui, verum etiam iuxta sensum historicum vel literale nichil de eo observent. Et si quid observant iuxta sensum literalem, illud est valde parum ; ymo reguntur per legem eis datam per illos nequissimos ac viros neffandissimos apud eos doctores nominatos, scilicet, Rabina et Rabasse, Talmud bavlista compositores, dando eis intelligi istud esse declarationem legis mosayce.

A qua quidem falsa doctrina, citra mille quadringentos annos, secute sunt innumerabiles confusiones et dampna tam in universali 'capite' [E. captivitate], quam de morte personarum, quam in vivendo in opprobrium aliarum nacionum, absque malo principali et perpetuo, quod est vite eterne amissio.

Idcirco misericordia vestre piissime Sanctitatis tot animarum perdicionis compassionem habentes, presertim cum sint oves errantes ac perditæ, et ab ovili Messie verissimi segregate, velut is cui ex parte omnipotentis Dei regimen et earum salus animarum dignissime tanquam unico et verissimo Vicario est indubitanter commissum, iam proviseritis in eas revertendo ad ovile proprium, et ab errore proprio deviare ; et ad hoc Sanctitas vestra invenit

universaliter duos expediendi modos, quibus mediantebus ipsi essent extra errores et mala, et acquirerent gloriam Dei eternam :

Primum expediens fuit extrahere eos ab illa falsissima spe vel expectatione quam de adventu Messie habent, eis ostendendo clarissime quod ille iam venerit, et illum Iesum Nazarenum fuisse, in Bethleem civitate natum, et in Ierusalem civitate in fine templi secundi odio gratis crucifixum.

Secundum vero expediens fuit eis ostendere manifeste doctrinam quam ipsi tenent pro lege, Talmud vulgariter nuncupatam, valde erroneam ac hereticam esse censendam.

Idcirco, vos iudei, attendite, qualiter, ut dicta duo expedientia ad executionem pervenirent, fuit ordinatum per Sanctissimum Dominum Nostrum quod convocarentur de iudaismis totius regni huius, iudei apciores et sufficiensiores, tam literati vocati rabini, quam alii quicumque iudei discreti et apti, ad rationem perscrutabiliter et subtiliter perpendendam et capesendam.

Illis vero sic congregatis, et ex parte Sanctitatis Domini Nostri, totiusque eius Curie universalis, fuerunt facte tales informationes, et tales probaciones eis ostense, tam per auctoritates prophetiarum, quam translacionum caldaycarum, quam doctorum et rabinorum antiquorum ierosolimitanorum, ex quibus necessario concludebatur et sequebatur tempus adventus Messie esse certum, et illo tempore quo passio fuit Domini Nostri Iesu Christi punctualiter fuisse ac esse.

Ad idem est repertum et conclusum clarissime Messiam fore, et in eo, et in eius adventu, reperiri omnes illi vigintiquatuor condiciones, que sunt reperte manifestissime in Christo Iesu, et in eius adventu.

Et per Sanctitatem Domini Nostri Pape fuit vobis data licencia quod in defensione vestra quecumque possetis allegare libere allegaretis, omni timore postposito.

Vos autem nisi estis plures allegaciones allegare, vos metipsums credentes defendere, super fundamentum aliquod rationale eas non fundantes, librum aut doctorem aliquem eas ponente assignare non valentes, nisi a vobis met eas proprio capite fabricantes.

Que quidem allegaciones, tamquam ille que nullum habent fundamentum, non immerito fuerunt revocate, et usque adeo anichilate, quod ex necessitate habuistis dicere in fine cuiuslibet materie et publice confiteri vos amplius nichil scire. Et hoc

pluries estis confessi, in tantum quod convicti non sine causa estis; et in ista videlicet conclusione prima, scilicet quod Messiam venisse sit verum, extitit vobis conclusum.

Quod quidem erat primum expediens, quod ad extrahendum vos ab errore, ut supra visum est in processu disputationis, seu informacionis, late, lacius atque latissime patuit, Sanctissimus Dominus Noster prudentissime adinvenit.

Ex qua quidem informacione, divina gracia cooperante, optimum et valde optimum augmentum fidei orthodoxe est secutum, quod, prefato durante processu ad cognicionem veritatis venientes, tam de hiis qui in Curia apostolica, quam aliis in diversis partibus huius regni habitantibus, non vi vel aliqua violencia, sed solum divino Flamine inspirante, veritatem ad oculum in-tuentes, ultra tria milia hominum ad fidem orthodoxam sunt conversi.

Expediens quidem secundum per Sanctitatem excellentissimi Domini Nostri repertum, est tollere et dissipare causas unde hii oriuntur errores et mala, scilicet, docere vos Talmud illud, sub cuius regimine ducimini, non divinam legem, nec licitam doctrinam bonam aut honestam, ymo scripturam esse fetidam, pessimam, erroneam, hereticam atque nephandam.

Hoc certe fuit ostensum pluries in hoc publico consistorio, allegando et ad literam oculariter ostendendo vobis sentencias, doctrinas et iudicia quam plurima in dicto Talmud inventa, quorum quedam contra legem veniunt nature, quedam contra Deum et eius perfecciones. Que quidem due prefate nature, nedum apud hos qui dicunt se legem divinam habere, verum eciam hereses indubitate apud gentiles censerentur manifeste.

Alia enim sunt que contra legem sanctam Moysi veniunt, que nempe omnes legi mosayce fidem adhibentes, et se eam observare asserentes, nequissima et heretica non immerito iudicarent.

Alia autem sunt sentencie vel iudicia contra fidem sanctam orthodoxam et perfeccionem veri Messie veniencia, que vel quas omnis catholicus debet valde heretica sine dubio reputare, abhominabilia, falsa, atque nephandissima.

Alie quidem sentencie sunt, que docent quam plura turpia, et que viam parant et prebent delinquendi, quas quilibet virtuosus abhominabile et nephandum iudicaret eas solum audire, quanto forcius suo ore nominare, et multo plus eas in scriptura ponere, et adhuc scripturam divinam nuncupare easdem.

Ex predictis hereticis ac nephandissimis auctoritatibus, et

licet sint innumerabiles, in tantum quod non est capitulum nec folium in prefato Talmut, quod non sit aliqua earumdem, verumtamen Sanctitati Domini Nostri placuit quod nonnisi tantum pauce allegarentur earumdem, ut videretur an easdem excusare possetis, et aliquam pro eis allegare rationem. Quarum quidem per me allegatarum, nedum semel, sed pluries, vobis fuerit copia data, et usque modo ad aliquam earum non respondistis quidquam.

Et si fortasse aliquis vestrorum aliquam respondisset in earum excusacionem offerre sigillatim voluerit, gracia divina favente, taliter sibi replicabitur et sub brevi, quod ipsi cognoscent quod eorum responsiones valde modicam habent efficaciam.

Unde oportet quod talia et taliter respondeatis ad predicta, quod ad excusandum hereses et earum abhominaciones sint sufficiens. Si autem tales fuerint responsiones, idem Dominus Noster Papa excusandos vos censebit in eisdem, aut super eo, circa id quod iusticia fuerit, de remedio oportuno infallibiliter providebit.

Certi tamen estote quod propter vestrum glosare capitosum, aut propter aliquem colorem excusacionis vestrum, non ideo prefatum 'vestrum' [E. '—'] Talmud remanebit excusatum. Nam una tantum herese reperta in eodem, super qua parti obicienti non ad plenum satisfieret, bene merito condempnatus remaneret, cum talis esse debeat in quolibet libro iusticia, quod, ex quo quod in toto sit catholicus et licitus, solum propter unam tantum heresim veniet merito condempnandus. Quod apud vos notorium est et publicum quod rabini de Francia condempnarunt librum vocatum More, quem fecit rabi Moyses de Egipto, et nonnullos [E. + alios] tractatus quos prefatus rabi Moyses composuerat, solummodo quod in uno casu vel duobus, aliqua que iuxta literam videbantur esse heretica reperierunt, non obstante quod quamplurimi rabini Hispaniarum essent illa excusantes. Verum, hoc non obstante, et quamvis omnia contenta in dictis libris essent valde apta, scientifica et catholica, predicti tamen rabini Francie prefatos libros igni suppositos destruxerunt. A forciori igitur dicemus de libro Talmud, in quo sunt valde abhominabilia atque nephanda.

Et sic vobis, rabinis, est opportunum studere funditus ac cum magno indagine provideatis vobis metipsis de responsionibus validis. Quoniam eisdem sine dubio indigetis, quia reddo vos certos quod cum heresibus in quarum copia vobis oblata satisfeceritis, quod non credo, alias et alias quam plures innumeras, di-

vino prestante auxilio, teneo vobis promptas et paratas, et sicut castrorum aciem ordinatas.

In eadem vero dieta lecta fuit quedam cedula, quam in presencia reverendissimi in Christo Patris et Domini Cardinalis Sancti Angeli, iudei obtulerant sub tenore sequenti :

Et ego Astruch Levi, cum debita humilitate, subieccione ac reverencia reverendissime paternitatis et dominacionis Domini Cardinalis, aliorumque reverendorum Patrum et Dominorum hic presencium, respondeo dicens : Quod licet auctoritates talmudice, quam contra Talmut, tam per reverendum meum Dominum elemosinarium, quam per honorabilem magistrum Ieronimum allegate, sicut ad literam iacent, male sonent, partim quia prima facie videntur heretice, partim contra bonos mores, partim quia sunt erronee ; et quamvis per tradicionem meorum magistrorum habuerim quod ille habeant, aut possint alium sensum habere, fateor tamen illum me ignorare. Idcirco dictis auctoritatibus nullam fidem adhibeo, nec auctoritatem aliqualem, nec illis credo, nec easdem defendere intendo. Et quamcumque responsionem per me superius datam huic mee ultime responsioni obviantem illi, revoco et pro non dicta habeo, in eo solum in quo huic contradicit.

Omnibus iudeis et rabinis tocius congregacionis aliamarum ibidem presencium, rabi Ferrer et rabi Iuŕef Albo dumtaxat exceptis, magna voce clamantibus et dicentibus : Et nos in dicta cedula concordamus et illi adheremus.





## SESION LXVIII

DIE VERO LUNE, DUODECIMA MENSIS NOVEMBRIS, APUD PREFATAM VILLAM SANCTI MATHEI, iudei dicte congregacionis, voce et nomine omnium, prefatam cedula[m] obtulerunt.

In eadem vero dieta, Sanctissimus Dominus Noster Papa sententiam contra dictum Talmud, per Excellentissimum Dominum Nostrum datam ac promulgatam, necnon et quasdam constitutiones vel ordinationes per prefatam Sanctitatem contra iudeos factas et ordinatas, in generali consistorio mandavit publicari. Que quidem constitutiones vel ordinationes, duabus diebus, scilicet, prefato die lune, et DIE MARTIS sequenti, propter eorum in materna lingua declaracionem, fuerunt publicate et recitate.

Quarum quidem constitutionum seu ordinationum tenor sequitur sub hac forma :



## SESION LXIX

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

[E. + salutem et apostolicam benedictionem].

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Etsi Doctoris gencium instruamur notissimo documento, nichil ad nos de hiis qui foris sunt pertinere, ipso tamen Apostolo edocente ramos illos ex iudeorum populo propter incredulitatem suam siquidem fractos, ex radice tamen sancta Patriarcharum et prophetarum progenie ortos (1), si in sua incredulitate non permanserint, proprie olive Salvatori Iesu Christo, qui ex tribu Iuda, in sacratissimo virginis utero, pro humani generis redemptione, tamquam oliva fructifera carnem sumpsit, aliquando legimus fore inserendos; «nec enim, —inquit Apostolus—, adeo offenderunt ut caderent, sed illorum delicta salus gentibus facta est» (2). «Sic profecto cecitas in Israel contigit ex parte, donec plenitudo gencium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret» (3).

Hec siquidem nedum in codicibus legimus, sed etiam corporeis oculis intuemur, dum in diversis mundi partibus, ex conversione iudeorum, fetu nove prolis Ecclesia fecundata, illos quos inimicos prius habuerat, in pacis filios letatur esse conversos.

Nos itaque, quos licet immeritos, celestis agricola vinee sue

---

(1) Rom. 11, 23.

(2) Rom. 11, 11.

(3) Rom. 11, 25.26.

dignatus est hiis impacatis temporibus preesse custodes, quamvis aliis grandibus et arduis negociis, unionem Sancte Matris Ecclesie, et extirpacionem pestiferorum scismatum concernentibus, que illam omnino devastare conantur, quam plurimum occupati, quantum in nobis fuit, Domino cooperante, huic insercioni dedimus operam efficacem.

A biennio namque citra, quo circa inserendos ramos huiusmodi efficacius intendere cepimus, iudeorum magistros, quos ipsi rabinos appellant, qui reperiri commode potuerunt, multosque alios periciores et notabiliores in dicione carissimi filii nostri Ferdinandi Aragonum regis illustris, intra cuius regni fines, cum nostra Curia moram a dicto tempore citra traximus, et trahimus eciam de presenti, nostro fecimus conspectui presentari. Cum quibus, tam assiduis altercacionibus, quam crebris informacionibus, tum in nostra presencia, tum in ausencia per illos quos ad hoc deputavimus insistentes, actum est ut, Deo inspirante, eorum quam plurimi sacrum baptisma puro corde reciperent et mente devota, suis se codicibus convictos publice confitentes, illum in quem sui predecessores transfixerant, Christum Iesum scilicet Nazarenum, verum Messiam et Salvatorem suum et Dominum cognoscentes, humiliter adorarent. Sic quod tam in nostra Curia quam alibi, illo cooperante qui potens est de induratis lapidibus Israel filios suscitare, super tria millia hominum, mediantibus altercacione et informacione prefatis, ex eorum gente fidem catholicam susceperunt, quos eciam copiosa multitudo, tam in regno predicto, quam in aliis Ispanie partibus, Deo inspirante sequi speratur in brevi.

Verum, quia prout manifesta percepimus experientia, et fideles ex prefata conversione testantur, occasio iudayce cecitatis, que corda eorum indurat, et oculos aggravat intellectus, ut illum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum videre non valeant, quedam perversa doctrina potissima est, que post Iesu Christi Salvatoris adventum, per quosdam Sathane filios confecta, et apud iudeos Talmud vocata, sub diversis librorum nominibus, ac in multis voluminibus scripta dignoscitur. Cuius doctrine fabricatores impii, ut maioris auctoritatis apud iudeos haberentur, divinam legem datam a Domino Moysi sine scriptura, seu oretenus, perperam menciuntur.

In qua si quidem doctrina multiplices errores ac hereses continentur, nedum contra Novi sed eciam Veteris Testamenti seriem, bonos mores, naturalemque rationem, que nulla possunt congrua expositione defendi, nec cavillatione aliqua palliari,

prout in diversis instanciis, in ipsorum iudeorum presencia, examinari fecimus studiose.

Nos itaque omne velamen ab eorum oculis evellere cupientes, attento quod predecesores nostri Gregorius IX<sup>us</sup>. et Innocentius IV<sup>us</sup>. prefatos libros Talmud, eandem perversam doctrinam, ut dictum est, continentes, propter errores et hereses in eo contentos, comburi iusserunt, Nos, eorum vestigia imitantes, prefatam doctrinam, una cum suis actoribus, 'factoribus' [E. fautoribus], et defensoribus reprobantes, statuimus ut nemo fidelis [+ vel infidelis] (3 bis) cuiuscumque status, condicionis, aut secte existat, doctrinam ipsam audire, legere, aut docere presumat publice vel occulte.

Et, ut tanto facilius presens nostra constitutio observetur, quanto minor aderit transgrediendi facultas, decernimus et mandamus, ut infra mensem a die publicacionis presentis Constitutionis in cathedrali Ecclesia cuiusvis diocesis, in posterum computandum, omnes libri seu volumina ac codices quicumque, doctrinam prefatam continentes, aut per modum glose, apostille, summe, compendii, vel alias quovis modo, directe vel indirecte, ad doctrinam eandem quomodolibet pertinencia, in manu seu potestate diocesani, vel sui Vicarii designati, per inventarium absque alia quacumque excusacione ponantur; qui penes se illos conservent, et nobis intiment facturi de ipsis prout Sedes Apostolica duxerit ordinandum, diocesanis locorum et inquisitoribus heretice pravitatis in virtute sancte obediencie iniungentes, quatenus, post lapsum dicti termini, contra tenentes vel ocultantes aliquos de libris, scripturis, vel codicibus antedictis, procedant viriliter, eciam per capcionem personarum, ut contra vehementer suspectos de heretica pravitate; illis dumtaxat exceptis, quibus ad predictorum iudeorum perfidiam convincendam tenere aliquos de dictis libris concessum fuerit de Sedis Apostolice licencia speciali.

Et ut premissa plenius execucioni demandentur, predictis lo-

---

(3 bis) + *vel infidelis*: estas dos palabras faltan en el G., y no podemos asegurar si también en el E., pues no reparamos en ello cuando lo comparamos con el G. Pero las trae Zurita (*Anales*, Libro XII, cap. 45, tom. 3.º, fol. 108 b: Ordenó que ningún fiel, ni *infiel*, etc.). La solvencia de este historiador nos movió a ir a Tortosa, donde se conserva el original de la Bula (archivo del Cabildo de la Catedral, cajón del obispo), para verificar este punto, a la vez que cotejábamos el G. con la Bula. Por desgracia, el archivero estaba ausente, y no pudimos hacerlo. Pero nuestro amigo el eximio investigador Enrique Bayerri, autor de la *Historia de Tortosa y su comarca*, nos dejó la obra de O'Callagan, quien transcribiendo la Bula original, leyó también: «statuimus ut nemo fidelis *vel infidelis* (O'Callagan, *Anales*, tom. III, p. 271, ed. Tortosa, 1888).

corum diocesanis et inquisitoribus, precipiendo mandamus, quatenus saltem de biennio in biennium per se vel alios in quibuslibet locis suorum diocesium, in quibus iudeos aliquos habitare cognoverint, diligenter inquirere, et eos quos in premissis culpabiles repererint (4), iuxta huiusmodi nostre Constitutionis tenorem, punire nullatenus non omittant, si canonicam et Sedis Apostolice effugere voluerint ulcionem.

Ceterum, quia dissimulare illius opprobria non debemus, qui probra nostra deluit, statuimus ut nullus iudeus de cetero libellum illum qui apud eos *Mace Iesu* nominatur, quique in contumeliam Redemptoris nostri affirmatur compositus, legere, audire, aut apud se retinere presumat. Quod si contra fecerit, eo ipso tamquam convictus de blasfemia puniatur (4 bis).

Et hoc idem de illo censemus qui apud se quecumque librum, Breviarium, seu scripturam, maledicciones, vituperia seu contumelias contra Salvatorem Nostrum Iesum Christum, Sacratissimam Virginem eius Matrem, aliquem Sanctorum, seu contra fidem catholicam, ecclesiastica Sacramenta, sacra vasa, libros, vel alia ecclesiastica ornamenta, seu ministeria, aut contra christianos quoslibet continentes presumpserit retinere. Simili pena iudeus quicumque plectatur qui Christum Dominum, Virginem Matrem eius, aliquem Sanctorum, Sacramentum Eucaristie, sive quecumque alia Sacramenta vel Ministeria, crucem, vasa sacra, ornamenta ecclesiastica, seu quidquid aliud apud christianos sacrum aut religiosum, vel divino cultui dedicatum reputetur, turpibus nominibus, aut in opprobrium, contumeliam, seu vituperium vel contemptum sonantibus, publice vel occulte, hebrayca vel alia lingua, presumpserit nominare.

Et quia iudei contra crucem, vasa sacra, et alia ecclesiastica ornamenta, et libros christianorum, nedum linguas suas actenus in contumelias relaxare, sed etiam factis et operibus contra ipsam consueverunt temere perpetrare, Nos, ut iudeis ipsis super hoc opportunitas auferatur, statuimus ut iudeo qui crucem, calicem, vasa sacra vel ad sacrum ministerium dedicanda, aliave ornamenta ecclesiastica, fabricare, facere, vel reparare, aut causa pignoris, vel alias recipere vel retinere, vel libros christianorum, in quibus nomen Iesu Christi, vel Beate Marie Virginis sit scriptum ligare presumpserit, per loci diocesanum christianorum communio subtrahatur, donec ad eiusdem diocesanum ar-

(4). Ms. G. *invenerint*, pero corregido y puesto al margen *repererint*.

(4 bis) Acerca del origen y contenido de este libelo, llamado también *Toledot Yeshu* (Historia o Biografía de Jesús), véase Waxman, *A History of Jewish Literature*, 2.<sup>a</sup> ed. New York, 1943, vol. II, cp. 10, pp. 539-540.

bitrium satisfecerit competenter. Christianus autem qui aliquid predictorum, pro arte causa vel in casu, iudeis superius interdictis cuiquam iudeo tradiderit, excommunicationis sententia eo ipso se noverit innodatum.

Insuper, licet iudeis officium iudicandi lex civilis eciam interdicit, ad apostolatus nostri tamen sepe pervenit auditum quod in quibusdam partibus catholicis subiectis principibus, iudei, privilegii regum seu aliorum dominorum secularium se pretendentes munitos ausu temerario iudices inter se constituere non verentur. Cum autem valde sit absonum, et religioni contrarium christiane, ut quos mors Iesu Christi tradidit servituti, colencium Christum privilegia sic exaltent, eosdem reges et dominos exortamur, ne huiusmodi concedant privilegia de cetero, vel servent aut servari faciant vel permittant eciam iam concessa.

Et ut tanto facilius illum qui mittendus erat, iudei Christi iam venisse cognoscant, quantum per effectum operis nullum ceptum prerogative aut excellencie inter se perceperint remansisse, presencium tenore decernimus et iubemus, ut nullus iudeus de cetero quibuscumque privilegii fuerit communitus in aliquibus causis criminalibus, civilibus, aut aliis quibuscumque privilegii, eciam contra illos quos ipsi malsivos apellant, vel quocumque alio exquisito colore, iudex existere aut iudicandi officium, eciam inter iudeos quomodolibet audeat exercere.

Et ne huiusmodi Constitucionem fraudandi occasio relinquantur, statuimus et mandamus, ut nec arbitrium in se suscipere, aut per viam compromissi seu arbitramenti, quomodocumque aut inter 'quoscumque' [E. quascumque] personas pronunciare presumant, decernentes irritum et inane quidquid contra premissa fuerit attemptatum; et nichilominus iudeus qui presentis nostri Decreti extiterit violator pena supra proxime designata se noverit puniendus.

Porro, quamvis Sinagogas novas fabricare tam imperialibus quam legibus predecessorum nostrorum romanorum Pontificum Decretis, et antiquas in ampliores vel preciosiores extollere, sit iudeis penitus interdictum, ipsi tamen, sicut accepimus, in diversis mundi partibus, tam de novo construendo, quam antiquas in preciosiores fabricas ampliando, decreta prefata servili audacia violare multociens presumpserunt.

Nos itaque dissimulare talia ulterius non valentes, et statuta canonica exequentes, decernimus et mandamus quod diocesani locorum infra duo menses a publicatione presencium in eorum cathedralibus Ecclesiis, in posterum computandos, per se vel per

alios, omnes Sinagogas in eorum diocesi consistentes claudi faciant, taliter quod iudeis ad eas nullus pateat aditus vel ingressus. Ita tamen, quod ubi una tantum fuerit Sinagoga, si preciosa non fuerit, non claudatur. Ubi autem fuerint due vel plures, una tantum de non preciosioribus dimittatur.

In locis autem ubi iuxta huiusmodi nostre Constitutionis tenore, omnes Sinagogas, si plures ibi essent, vel una si ibi tantum esset, claudi contigerit, iudeis ipsis impedimentum non fiat, quominus, si voluerint, hac vice tantum unam solam domum possint habere edificii competentis ad diocesani arbitrium, vel sui vicarii generalis.

Porro in cognicione habenda super iam dicta preciositate, diocesanorum consciencias oneramus.

Hoc tamen presenti Constitutioni adiicimus, quod si de aliqua Sinagoga legitime possit constare quod aliquo tempore fuisset ecclesia, vel super hoc fama laboret, indistincte claudatur.

Prefatas itaque sinagogas, sicut premittitur clausas, iidem diocesani ad manus suas faciant detineri, donec per Sedem Apostolicam aliter fuerit ordinatum, nisi infra sex menses a die publicationis premissis coram nobis, vel ad id per nos specialiter duputatis, ipsi iudei ostendant quo eis titulo eas habere contra canonica statuta licuisset.

Si quis vero, cuiuscumque dignitatis, status, aut condicionis existat, diocesanum ipsum seu eius vicesgerentem in premissis presumpserit impedire, nisi tercio monitus omnino destiterit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, a qua absolvi nequeat, nisi ad arbitrium diocesani prefati satisfecerit competenter.

Preterea, statuimus ut nemo iudeorum utriusque sexus, artem 'sive' [E. seu] officium medici, sirurgici, apothecarii, pigmentarii, obstetricis, mediatoris seu 'personete' [E. presonete], tractatoris seu concordatoris sponsalium vel matrimoniorum, vel camporis inter fideles, vel ad opus cuiuscumque fidelis [E. + exercere, aut alicuius fidelis] redditus colligere vel arrendare, in domo vel bonis christiani officium vel administracionem, aut cum christiano societatem in aliqua arte vel artificio habere, aut nutricem vel alium familiarem vel servitorem fidelem tenere, aut cum fidei in balneo vel convivio communicare, aut in sabbato vel alio festo iudeorum servicium accendendi ignem vel parandi cibum, aut aliud opus servile in favorem cultus sui festi, a christiano, aut panes azimos seu alia victualia ad suorum festivitatum observanciam deputata vel carnes per eos refutatas, quas trufa vocant, christiano vendere seu donare presumant.

Iudeo autem qui contra aliquod premissorum commiserit, per



loci diocesanum christianorum communio subtrahatur, donec ad eius arbitrium satisfecerit competenter. Christianus autem in aliquo predictorum iudeo praticipans excommunicationis sententia eo ipso se noverit innodatum.

Ut autem tanto facillius illicita conversacio inter christianos et iudeos evitetur, quanto diligencius communicandi occasio invicem subtrahetur, fideles principes et alios dominos temporales hortamur in Christo ut in suis civitatibus, villis aut locis in quibus iudei morantur, certos assignent limites, extra quos eis non liceat habitare. Iudeus vero qui extra limites assignatos domum sue continue habitacionis habuerit, arceatur pena iam superius assignata.

Fideles vero qui iudeo domum vendere, locare, commodare, vel alias concedere presumpserint, si singulares sint persone, excommunicationis, si autem collegium vel alia universitas fuerit interdicti sententias ipso facto se noverint incururos.

Ad hec, antiqua iura exequentes, que utriusque sexus iudeos in omni christianorum provincia, qualitate habitus publice ab aliis fidelium populis distingui mandarunt, statuimus ut in partibus in quibus iudei tempore date presencium ita patens et eminens signum non portant sicut in huiusmodi Constitutione disponimus, amodo signum eminens bipartiti colorum rubei scilicet et crocei affixum deferat patenter, videlicet, mares in superiori veste super pectus, femine vero super frontem, eius scilicet magnitudinis atque forme quas in presentibus fecimus designari. Iudeis autem huius iuris transgressoribus pena plectendis superius expressata.

Exigit quoque ipsorum iudeorum cupiditas, que ad exercendam usurariam pravitatem novos quotidie et exquisitos satagit invenire colores, ut non simus antiquorum iurium provisione contenti, sed novis eorum fraudibus nova eciam remedia prebeamus.

Cum itaque, sicut fidedignorum relacione percepimus, nonnulli iudeorum per privilegia regum et principum, sibi hoc asserentes, impune cum certa moderacione licere extorquere a christianis usuras aperte seu publice non formidant.

Quidam vero ex eis, subtili circa hoc utentes astucia, debitores suos, quibus pecunias suas mutuunt sub usuris, alios faciunt simulare contractus; sicque fit, ut, sub specie vendicionis, empcionis, vel aliorum contractuum, in quibus si dolus abesset, iuxta naturam eorum non committeretur usura, occultum mutuum, quod sub usuris, in rei veritate contrahunt, tali fraudulenta simulacione satagunt palliare.

Alii vero tali cautella utuntur, quod debitores suos in maiori quantitate quam ab eis receperint obligare facientes, sub appositione sortis principalis, usuras exigere non verentur, inducentes insuper christianos eosdem ad prestandum de servandis huiusmodi contractibus iuramentum, quodque talia debita, coram aliquo ecclesiastico recognita iudice, nisi infra conventum inter eos terminum persolverint, excommunicationis se paciantur sententia innodari.

Unde Nos, ipsorum iudeorum maliciis cupientes, quantum cum Deo possumus, obviare, statuimus ut nullus iudeorum de cetero contractum aliquem sive tractatum inire presumat, cuius causa seu occasione christianus aliquis ad solvendum, restituendum, dandum sive tradendum pecuniam, aut quamcumque rem in futurum, seu cum futuri temporis tractu, alicui iudeo, vel ad eius utilitatem directe vel indirecte, teneatur aut remaneat obligatus.

Nos enim omnem tractatum huiusmodi, quem eo ipso de usuraria pravitate suspectum habemus, necnon iuramenta quecumque, iudiciales recogniciones, et excommunicationes, aut quascumque sententias alias, que vel quas super huiusmodi aut alio quocumque contractu, per iudeum vel ad eius utilitatem, sub usura vel in fraudem usurarum confecto, fieri vel ferri contigerit, et quidquid ex premissis vel ob ea secutum fuerit, auctoritate omnipotentis Dei, cuius causam in hoc prosequimur, cassamus, irritamus, annullamus, et habere volumus pro infectis; decernentes neminem christianorum ad observacionem talium contractuum, iuramentorum aut sententiarum quovis modo teneri, non obstantibus quibuscumque constitutionibus, iuribus, statutis, privilegiis, sive indulgenciis, per quoscumque principes, dominos vel superiores ipsorum ecclesiasticos aut seculares editis sive concessis, seu in posterum edendis aut concedendis. Que, quantum huiusmodi nostre Constitutioni contradicunt, eadem auctoritate habere volumus pro infectis.

Nullus autem prelatorum, officialium, aut iudicum ecclesiasticorum aut secularium, aliquem ex dictis contractibus, aut eius recognicionem seu confessionem, coram se, aut in suis curiis fieri permittat, aut super eo penam, auctoritatem, vel decretum imponere, aut excommunicationes vel aliam quamcumque sententiam promulgare, vel alias favorem prestare presumat.

Nullus etiam notariorum seu tabellionum super aliquo predictorum contractuum, aut eius recognicione, confessione, pena, decreto, auctoritate, excommunicatione, vel alia sententia, supradictis instrumentum vel scripturam conficiat.

Quod si aliquis prelatorum, officialium, iudicum, notariorum seu tabellionum aliquid huic nostre inhibitioni contrarium fecerit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat. Et nichilominus officialis ipse, iudex aut notarius seu tabellio, huiusmodi nostre Constitutionis transgressor, si ab Ecclesia officium, iurisdictionem, aut auctoritatem suscepit, ab ipso per annum continuum sit, eo ipso, suspensus.

Et quia, sicut ad audienciam nostram nonnullorum relacione pervenit, in quibusdam mundi partibus, ipsi iudei timentes in predictis fraudibus facilius deprehendi, novum genus fraudis reperire conantur, de persona quidem ad personam fraudulentum transitum facientes, christianos aliquos, loco sui, in eisdem contractibus submitti seu subrogari procurant, ita quod contractus qui timetur fieri per iudeum, in personam christiani, de quo iudeus confidit, fraudulententer conficiatur et fecte, Nos itaque volentes in premissis christianorum indempnitati [E. + salubrius] providere, prohibemus ne de cetero aliquis fidelis contractum aliquem, qui iudeum concernat, in personam suam, seu sub suo nomine, concipi ullo modo seu colore quesito permittat, aut cuiumque iudeo in hoc auxilium, consilium, vel favorem, ad illudendum mentem huiusmodi nostre Constitutionis, vel contra eam in aliquo veniendum directe vel indirecte, occulte vel publice, impendere seu exhibere presumat; sciturus, si contrarium fecerit, 'excommunicationis' [E. excommunicacionis] se, ipso facto, senciatur sententia innodatum. Quem per loci ordinarium, in virtute saucte obediencie, tamdiu publice nunciari mandamus, quousque, debita satisfaccione premissa, fuerit absolutus.

Et quia cedit in iniuriam fidei christiane quod iudei filios aut alios consanguinitate sibi coniunctos volentes converti ad fidem catholicam, a sancto proposito retrahunt, auferendo eis spem succedendi in bonis suis, quorum successionem, conversione cessante, se crederent verisimiliter habituros, Nos huic tam evidenti impedimento fidei, quantum cum Deo possumus, providere volentes, in eiusdem fidei favorem, huic nostre sancconi duximus annectendum, quod omnes et singuli utriusque sexus, qui ex iudeorum gente, inspirante Domino, ad fidem catholicam actenus sunt conversi, aut converti contigerit in futurum, et generaliter quicumque christicole, qui iudeos in consanguinitatis gradu habuerit sibi coniunctos, in bonis iudeorum in infidelitate sua decendencium, eo modo succedant, ac si prefati iudei, sic ut premittitur decedentes, tempore mortis sue fuissent christiane fidei professores, et nullum fecissent, aut ordinassent testamentum, vel aliam ultimam voluntatem. Decernentes ut nullum tes-

tamentum, vel aliqua alia ultima voluntas, nec ulla inter vivos, vel causa mortis donacio, vel alia alienacio, in fraudem Constitutionis huiusmodi, nec lex aliqua iudeorum vel consuetudo, eciam inter eos actenus observata, christianis obstare valeant quominus in bonis infidelis defuncti successionem legitimam consequantur, iuxta formam iurium, quibus christiani illarum parcium in christianorum ab intestato decedencium successionibus regulantur.

Demum vero, quia morum cultori provido vicia sarculo extirpare non sufficit, nisi quantum in se est, virtutes labore inserere, Nobis, qui iudeorum fraudulentas astucias cohibere, caliginosamque nebulam cecitatis ab eorum obtutibus tergere presencium tenore conamur, restat ut ad imprimendum in eis veri luminis claritatem totis viribus insurgamus. Statuimus itaque propterea, et ordinamus, quod in quibuscumque civitatibus, villis seu locis, in quibus iudei in competenti multitudine, secundum arbitrium diocesani, contigerit habitare, per magistros Sacre Page, aut alios viros idoneos, quos ad hoc diocesani ipsi duxerint deputandos, fiant sermones publici ter in anno; quorum primum in secunda dominica adventus; secundum in crastinum resurrectionis Domini; tertium vero in dominica, qua cantatur Evangelium, «cum aporinquasset Iesus Ierusalem, videns civitatem, flevit super eam» (5), presentibus omnibus iudeis utriusque sexus a duodecim annis supra, qui in civitate, villa, seu loco poterint reperiri, omnino fieri volumus et mandamus. Contra iudeos autem qui interesse neglexerint, procedi volumus per dictos diocesanos per subtractionem communionis christianorum, quousque ad diocesani arbitrium satisfecerint competenter.

Erit autem materia primi sermonis, veri Messie Iesu Christi Salvatoris nostri diucius optatum adventum appertissime declarare, et per auctoritates quibus iudei refragari non possunt eis ostendere Messiam, quem ipsi venturum sperant, longe iam retroactis temporibus advenisse, prout ex processu contra iudeos in Curia nostra formato faciliter ille colligere poterit, cui onus incumbet predictum proponendi sermonem.

Secundus vero sermo, circa illam versetur materiam ut in quam varias hereses et errores iudayca cecitas, postquam Christum Dominum venientem in carne videre intellectualibus oculis cognoscendo renuit, inciderit manifeste, ipsis iudeis notificetur ad plenum, recitatis videlicet circa hoc vanitatibus ridiculosis, dampnatis erroribus, mendaciis et heresibus execrandis, contentis in iudeorum Talmuto, confecto per illos nequam ipsius acto-

(5) Luc. 19, 41.

res, quos tamen ipsi iudei maxime auctoritatis et prudentie viros putant, prout eciam ex prefato processu facile colligere poterit et videri.

Qui vero tercium sermonem proponet ad hoc principaliter intendat ut eisdem iudeis destructionem templi et civitatis Ierusalem, prout Christus cum sanctis concordando prophetis, predixerat, perpetuitatemque captivitatis eorum apperte declaret. Et demum, in fine sui sermonis, has nostras Constituciones publice legat voce intelligibili, eas prout melius poterit omnibus declarando, ut efficacius memorie commendentur.

Et quia parum prodesset ordinare salubria, nisi foret qui ordinata executioni mandaret, diocesanis locorum in virtute sancte obediencie precipiendo mandamus, quatenus in exequendis premissis, adeo se promptos sollicitosque exhibeant in fidei christiane de ipsius hostibus triumphalem victoriam, Sancte Matris Ecclesie de nove prolis fecunditate leticiam, et cunctorum fidelium de fratrum in Christo nova progenie sibi aucta consolacionem et gloriam, sicut ad eorum spectat officium querere, subiectis sibi populis manifesta experientia se ostendant.

Congruit autem religioni ac mansuetudini christiane libenter iudeis contra iniustas persecuciones humanum prestare subsidium; sinendi sunt enim usque in tempus messis crescere, ne forte credentes erradicare zizaniam, triticum quod in agro gentis prefate bonus ille Pater familias, seminator boni consilii, Deus, suis vivificandum temporibus, seminavit, immatura adhuc segete, et indiscreta anticipacione erradicare contingat. Plus enim blandimentis quam asperitatibus erga eos agendum est, ne quos christiana benignitas ad viam rectam forsitam revocaret, pellat procul inhumana asperitas in ruinam.

Universos igitur catholicos principes obnixè rogamus et hortamur attente, et nichilominus omnibus Ecclesiarum Prelatis, ac ceteris Christi fidelibus, in virtute sancte obediencie districte precipiendo mandamus, quatenus sic iudeos ipsos ad observanciam presencium Constitucionum, quantum in eis fuerit, et ad cuiuslibet eorum officium pertinet, non ommittant compellere. Quod tamen ipsos ultra ea que in predictis Constitucionibus, aut aliis sancconibus continentur, gravari, molestari seu in eorum personis offendi, aut bona eorum diripi, sive alias quoquomodo absque rationabili causa vexari, ulterius non permittant; quin ymo eos tractent humaniter et clementer; ac per alios eciam, quantum ad eorum officium pertinet, faciant sic tractari; ita quod tali mediante suffragio, ab iniuriosis inquietacionibus valeant preservari.

Tunc enim in cordis ara sacrificium Deo acceptum tribulatus spiritus vere creditur immolari, cum inspectori cordium illud offertur voluntarie, non coacte. Nam secundum sacrorum Canonum sanctiones, consulcius agitur, si ad veritatis cognicionem et divini amorem, piis monitis informando et predicando, quam violenciam inferendo a fidelibus inducantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, constitucionis, mandati, decreti, iussionis, oneracionis, addicionis, cassacionis, irritacionis, annullacionis, prohibicionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

'Datis et actis' [E. datum et actum] in civitate Valentisensi provincie Tarraconensis, quinta idus maii Anno vicesimo primo.

# INDICE BIBLICO





# INDICE BIBLICO

---

## GENESIS

	Página
1,2	215, 321
2,4	233, 335
2,17	356
3,19	335
4,4	364
4,23	319
4,25	214, 311
8,20	364
8,21	364
9,3	261
12,2	312
12,12	263
13,17	315
14,18	258, 366, 367, 370
15,1	333, 341
15,2	333
15,18	334
18,32	85
19,23	214
19,24	214
19,32	311
19,34	311
21,2	311
21,3	311
21,32	358
25,22	357
26,3	231
26,5	231
28,12	205
28,13	231
28,17	206, 278, 382
28,20	266
33,2	284
35,19	210
40,9	216, 321
41,44	243, 350, 353
44,27	137
46,1	364
46,2	364
48,20	350
49,1	138
49,10	11, 45, 46, 50, 54, 57, 58, 127, 128, 132, 133, 185, 220, 243, 460, 552

## EXODO

	Página
1,5	315
1,7	316
1,8	138
4,2	321
4,22	312, 320
4,23	313
12,37	315
14,31	342
15,17	171
19,8	342
19,9	342
20,2	326
20,5	83, 268, 379
20,6	268
20,19	252
20,24	171
20,25	171
21,1	234, 335, 336
24,10	315
25,32	315
28,43	171
30,21	171
31,3	313
32,1	327
32,7	327
37,8	315

## LEVITICO

	Página
7,37	358
16	254
16,32	172
16,34	172
18,5	356
18,19	262
19,18	443
23,24	286
23,25	286
25,8	142
25,10	142
26,12	228, 331
26,13	331

## NUMEROS

	<u>Página</u>
16	25
22,20	263
22,34	263
23,19	585
24,7	133
24,17	168

## DEUTERONOMIO

	<u>Página</u>
4,2	540
4,6	443
6,24	356
6,25	356
7,7	315
9,10	456
10,18	265, 266
10,19	265, 266
12,10	171
12,11	171
12,13	257
14,1	314
17,2	358
17,11	282, 292, 358
26,5	316
29,1	358
29,5	316
29,19	159
30,1	64, 163, 167
30,2	64, 163, 167
30,3	64, 163, 283
30,4	64, 163, 167, 200
30,5	64, 163, 167, 192, 200, 279, 283, 383, 385, 401
30,8	167
30,10	167
31,14	338, 341
31,27	186, 342
32,4	269
32,10	342
32,15	232
32,47	356
33,6	356
33,29	227
37,29	492

## JOSUE

	<u>Página</u>
7,5	377
7,8	377

## JUECES

	<u>Página</u>
2,16	326
7,7	326
9,43	435

## RUTH

	<u>Página</u>
4,18	233, 299, 334

## PRIMERO DE LOS REYES

	<u>Página</u>
2,36	265
4,3	178
4,4	178
4,5	178
7,9	364
13,14	176
15,22	255
15,23	187
17,58	210
25,29	357

## SEGUNDO DE LOS REYES

	<u>Página</u>
7,2	172
7,3	172
7,12	172
7,13	172
12,13	236

## TERCERO DE LOS REYES

	<u>Página</u>
2,26	306, 308
4,24	299
4,25	295
8,13	146
13,2	112
13,12	121
13,38	426

## CUARTO DE LOS REYES

	<u>Página</u>
16,2	221
17,41	365
18,2	221
22,3-20	189

## PRIMERO PARALIPOMENOS

	<u>Página</u>
21,16	27
21,18	173
22,1	173
28,10	172
28,11	172
28,19	172

SEGUNDO PARALIPOMENOS

	<u>Página</u>
3,1	173
i2,13	214
36,20	83, 148, 268, 375, 379
36,21	83, 148, 268, 375, 379

PRIMERO DE ESDRAS

	<u>Página</u>
1,2	294
1,3	294
6,10	366
8	189
10	189

SEGUNDO DE ESDRAS

	<u>Página</u>
7,73	381, 462
8,1	381
12,39	256
13,23-27	189

J O B

	<u>Página</u>
11,3	312
31,32	265
35,11	357

S A L M O S

	<u>Página</u>
2,2	215
2,7	214, 215, 216, 218, 312, 313, 320, 322
2,11	214, 215
2,12	213, 215, 216
2,13	215, 314
11,7	584
14,1	264
14,2	264
14,3	264
14,4	264
14,5	264
18,8	583, 584
33,22	467
35,7	78, 378
35,10	226, 327, 330
36,30	440, 443
36,31	440, 444
44,11	226
46,1	314
48,2	337
48,3	235, 336, 344
48,4	337
55,12	256

Página

61,13	333
67,14	21
71,2	196
71,8	169, 224, 329
71,10	169
71,11	243
71,13	366
71,15	366
71,16	258, 259, 366, 369
71,17	210, 220, 308
73,9	129
75,2	462
77,6	186
77,7	186
77,8	186
77,40	186
77,40	282
77,56	186
77,67	199
77,68	199
79,9	216, 315
79,16	216
85,13	236, 337, 345
94,8	398
95,7	396
101,9	288, 352
101,14	349
101,15	349
101,19	201, 242, 302, 349
102,11	230
102,17	230
102,18	230
104,13	231
104,14	231
104,15	231
104,24	316
106,38	316
109,3	216
109,4	259
115,11	540
116,2	230
117,22	210
117,27	227
118,30	440
118,46	162, 444
118,71	445
118,129	584
118,130	584
121,1	206, 278, 304
121,2	206, 278, 304
121,3	206, 278, 304
130,8	296
136,9	296
145,7	261

PROVERBIOS

	<u>Página</u>
4,23	521
5,13	187
9,5	367

	<u>Página</u>
10,30	445
14,10	75
25,11	20
30,4	291
30,19	319

## ECCLESIASTES

	<u>Página</u>
1,10	456
2,1	247, 354, 359
7,14	238, 338, 340, 345, 347
7,16	236, 338, 340
11,8	248, 355
12,7	357

## CANTAR DE LOS CANTARES

	<u>Página</u>
1,1	251, 359, 362
3,11	226, 327, 330
5,2	226

## ISAIAS

	<u>Página</u>
1,11	255
1,18	20, 21, 24
1,19	20, 21, 24
1,20	20, 21, 24
2,2	243, 249, 357, 360
2,3	249, 357
2,4	169, 178, 286
6,10	25, 155, 208, 388, 429, 489, 536
6,21	26
7,2	317
7,4	317
7,10	323
7,11	219, 318, 323
7,12	220, 318
7,13	318, 324
7,14	131, 137, 219, 318, 323, 324
8,13	225
8,14	225
9,6	11, 112, 121, 125, 220, 552
9,7	125, 218, 317, 552
10,34	105, 112, 400
11,1	105, 112, 399
11,2	176, 215, 321
11,5	296
11,9	177, 255
11,10	243, 244, 251, 359, 361
11,11	461
11,12	165, 285
11,15	165, 285, 297

	<u>Página</u>
11,16	165, 285, 297
12,3	249, 357, 360
14,1	265
24,16	126, 136
25,8	334
25,9	228, 331
29,14	536
30,34	399, 466
33,15	264
33,16	264
35,6	297
35,10	237, 248, 346
41,4	326
41,9	325
42,1	243
42,4	243
42,12	297
42,18	297
44,2	325
44,5	201, 242, 349, 352
44,6	225
45,22	244
45,24	244
46,4	244
49,6	244
49,19	165
49,20	165, 194
49,23	193
51,4	226
51,11	157
52,9	165
52,13	223, 265, 325
52,15	193, 325
53,1-12	325
53,2	216
53,4	224, 396
53,7	238, 347
54,17	193
55,6	16
56,1	143, 264
56,6	265
56,7	364
60,2	199
60,3	193
60,19	199
60,21	199, 277, 382
60,22	62, 69, 72
62,1	218, 322
62,2	242, 350, 352, 353
62,4	350, 352
63,4	89
64,4	350
65,15	243, 350, 353, 536
65,20	343
65,22	335
66,7	43, 54, 58, 106, 113, 122, 401, 466, 480, 494
66,8	113
66,19	536
66,21	536
66,24	536

JEREMIAS

	<u>Página</u>
2,21	315
3,13	176
3,14	158, 175, 177
3,15	158, 176, 177
3,16	158, 177
3,17	159, 177, 178, 198
3,18	178, 203
3,22	11, 153, 154, 160, 176, 544
7,4	159, 178, 202, 289, 303
7,12	178
7,14	178
7,15	202
7,22	255
12,1	25
15,1	84
16,14	164
16,15	164
17,12	177
23,1	176
23,6	220, 224, 253
28,1	143
29,10	81, 143, 149, 268, 375, 461
29,11	268, 461
29,22	350
29,32	268
30,18	165
31,21	217, 316, 317, 322
31,22	217, 218, 316, 322
31,33-35	250
31,32	358, 361
31,33	177, 250, 252, 355, 358, 359, 361
31,34	251, 334
31,38	165
31,39	165
31,40	165
35,10	339
42,10	461
50,6	28

LAMENTACIONES

	<u>Página</u>
3,6	584
3,27	492
5,3	216, 314, 315, 321
5,11	218

EZEQUIEL

	<u>Página</u>
4,4	339
4,6	339
8,3	120
16,55	166

Página

18,4	268
18,20	268, 375
18,22	88
19,6	355
23,3	217, 317
28,25	164, 285
28,26	164, 285
34,31	28
36,26	334
36,27	313, 334
37,22	64
37,24	64, 167
37,25	64, 164
39,28	64, 164
39,29	164
40,5	174
42,15-20	174
43,11	65
43,19	168
44,1	218
44,2	218, 323
44,9	166
44,15	166
44,16	168
44,22	168, 317
44,23	168
44,24	168
48,31-35	175
48,32	175
48,35	175

DANIEL

	<u>Página</u>
2,22	237
2,35	225, 329
2,40	329
2,44	225, 329
6,26	366
7,4	313
7,5	313
7,13	214, 313, 320
7,14	83, 133, 214
9,11	148, 268, 379
9,20	148
9,22	70, 148
9,23	70, 148
9,24	142, 143, 146, 466, 553
9,25	70, 142, 146, 466
10,2	142
10,13	325
10,20	325
12,1	113, 122
12,6	146
12,8	65, 70, 147
12,9	65, 66, 70, 147
12,17	147
14,35	120
14,42	366

## GSEAS

	<u>Página</u>
1,9	350
2,24	350
3,5	316
13,14	237, 239, 346

## JOEL

	<u>Página</u>
2,20	192
3,17	177

## AMOS

	<u>Página</u>
2,6	273, 376, 380, 467
8,4	377
8,5	377
8,6	377
9,11	166
9,12	166
11,14	166
11,15	166

## MIQUEAS

	<u>Página</u>
2,13	316
4,3	169, 287
4,4	169, 287
4,8	307
5,2	209, 306, 307, 308
6,8	264
7,15	164, 194, 285

## HABACUC

	<u>Página</u>
2,3	436, 437, 548
2,4	264

## SOFONIAS

	<u>Página</u>
3,9	168, 255

## AGEO

	<u>Página</u>
2,7-10	192
2,7	149
2,10	284

## ZACARIAS

	<u>Página</u>
2,11	158, 176, 201, 243
6,12	216
9,9	234, 238, 259, 273, 341, 347, 467
9,10	169, 234
9,11	234, 336
11,1	130
12,3	377
12,4	377
12,6	377
12,8	377
12,10	274, 377, 381
12,12	274, 381
13,2	266
14,1	169
14,9	225
14,16	168, 177, 195
14,17	168
14,18	176

## MALAQUIAS

	<u>Página</u>
1,7-11	369
1,7	365, 366
1,10	257, 365
1,11	257, 365, 366, 369
2,1	366
2,2	366
3,1	295
3,11	369
3,12	491

## SAN MATEO

	<u>Página</u>
1,23	219
10,5	28

## SAN LUCAS

	<u>Página</u>
19,41	606

## SAN JUAN

	<u>Página</u>
3,3	174
7,37	196

## EPISTOLA A LOS ROMANOS

	<u>Página</u>
11,11	597
11,23	597

	<u>Página</u>
11,25	597
11,26	597

## PRIMERA A TIMOTEO

	<u>Página</u>
1,13	446

## SEGUNDA DE SAN PEDRO

	<u>Página</u>
2,22	186, 385

## A P O C A L I P S I S

	<u>Página</u>
2,9	537





# F E D E E R R A T A S

---

PAGINA	LINEA	DICE	DEBE DECIR
17	2	ordinantas	ordinatas
21	17	xisse	se
22	penúltima	versi-	veris-
24	33	et augmentum	ut augmentum
25	12	oluade	claude
27	2	paradis	paradisi
28	17	parditus	perditus
28	24	cvili	ovili
28	33	cupiens	cupiens
31	5	tali, est	talis est
32	3	im	in
32	3	assignatio	assignato
36	20	disceptacionem, et	disceptacionem et
37	17	discendencium	discedencium
39	13	dibro	libro
40	31	adicit	adicit
49	17	peiri	periri
49	18	nullibi, reperiri	nullibi reperiri
51	37	inferi	inferri
54	5	viden	videns
54	14	indicandi	iudicandi
55	10	porte	parte
58	6	diebat	dicebat
58	penúltima	perperit	peperit
59	21	aliasi	alias
60	4	veluit	voluit
60	12	ad dominis	ac dominis
63	33	cunt credunt	cunt, credunt
64	17	pesuit	posuit
64	19	fere	fore
64	22	eran	erant
68	16	informates	informantes
72	14	idem es	idem est
78	30	de preserti	de presenti
79	2	secundum	secundum
81	3	ad illuo	ad illud
83	11	rebuisset	debuisset
83	21	ductos	ductus
85	23	elementissimus	clementissimus
89	17	Ho enim	Hoc enim
91	36	pers oruptata	perscriptata
94	8	medietatem. Dei	medietatem Dei
95	10	reperir	reperitur
95	12	pativitas	captivitas
97	39	desultans	resultans
98	9	dicitur	dicitur

PAGINA	LINEA	DICE	DEBE DECIR
98	10	Deincops	Deinceps
98	27	Dimini	Domini
103	penúltima	Digo	Dico
104	20	respondit Hodie	respondit: Hodie
105	5	ad cum	ad eum
105	34	donum	domum
106	10	óbo	lbo
111	21	filium, Levi	filium Levi
111	21	ex illo	ex illa
111	36	Ichay	Iohay
112	13	egredietur, virga	egredietur virga
112	35	parvitatam	parvitatam
118	21	vellis	vellit
119	32	Ea responsio	Et responsio
120	10	existen	existens
120	10	ingudavit	ingulavit
122	11	ho	hoc
122	11	preter	propter
125	21	dieta	dicta
126	8	diebat	dicebat
126	9	diens;	dicens:
128	17	edat	erat
129	última	tus	tuus
130	10	iudci	iudei
132	11	nitelli-	intelli-
132	29	regnun	regnum
132	34	cius	eius
135	2	raionabiliter	racionabiliter
136	nota 2	Gen. 30-38	Gen. 30, 38
138	30	habede	habere
139	16	allegade	allegare
140	22	cedtum	certum
141	25	Babrielem	Gabrielem
149	9	Eigei	Agei
151	6	respondeat	respondeat
156	32	porter	portet
162	14	utra	ultra
166	17	a	ad
172	25	pater	patet
173	penúltima	srvicium	servicium
175	nota 76	1.500	4.500
180	22	quan	quam
195	31	cum. Deo	cum, Deo
202	14	Dico quod reperietis clare in Talmut, in libro voca- to Nazir, in ca-	Dico quod •nichil horum habet locum, cum omnia hec sint invencio-
202	última	eiciomnes	eiei omnes
204	11	ailiqua	aliqua
204	30	assinato	assignato
205	10	ex unc	ex tunc
207	4	doudecim	duodecim
210	26	«Et sic	Et sic
211	26	A quam	Ad quam
214	7	quius	quis
214	22	habi	rabi
216	3	Renpodit	Respondit
216	25	Et per cum	Et per eum
226	5	Inquit rabi	«Inquit rabi
226	26	cadem	eadem
226	26	quam dixit	quem dixit
231	21	sequitor	sequitur

PAGINA	LINEA	DICE	DEBE DECIR
234	7	et: «Iste sunt generaciones Phares.» Et habent magnum mitempletum (17). Ex ista	est completum? Quoniam cum Deus creavit mundum non erat pletum» (17). Ex ista
235	7	beli	belli
245	penúltima	gentus	genus
250	nota 12	<i>Pugio</i> , 779-884	<i>Pugio</i> , 779; 884.
251	14	simila	similia
253	17	sut	aut
253	19	nonnulli, doctores	nonnulli doctores
254	25	habi	rabi
256	18	segundo	secundo
256	19	romanos	romanos
256	31	namquam	numquam
256	nota 10	Hehil-lim	Tehil-lim
268	1	pensio	ponsio
284	17	dicir	dicit
287	penúltima	walta	alta
311	nota 4	Gen. 21, 203.	Gen. 21, 2. 3.
321	26	quod predixi	quod predixi
353	1	fir-	fit
360	nota 59	Is. 12, 13	Is. 12, 3
365	2	sicus	sicut
365	3	norman	normam
366	16	testux	textus



---

Nihil obstat:

El *ensor*, DR. ANGEL FÁBREGA

Imprimase:

GREGORIO, *Arzobispo-Obispo de  
Barcelona.*

7 de octubre de 1953

---

Nihil obstat:

CELESTINO MORENO. *Censor reli-  
gioso.*

Imprimase:

JOSÉ FERNÁNDEZ. *Provincial.*

3 de diciembre de 1954

---

Print  
4













BM535 .P11 v.2  
La disputa de Tortosa.

Princeton Theological Seminary-Speer Library



1 1012 00010 1784